GERMANICI CÆSARIS,

INCLYTI DUCIS, POETÆ ELEGANTIS,

RELIQUIÆ

QUÆ EXTANT OMNES,

EX RECENSIONE

ET CUM NOTIS JO. CASP. ORELLII.

ADDITIS PRÆTEREA NOTIS OMNIBUS

CASPARIS BARTHII, JANI BRŒCKHUSII, PETRI BURMANNI SECUNDI, HUGO. GROTII, H. MEYERI, GUIL. MORELII, CLAUDII SALMASII, JOS. SCALIGERI, JO. CONR. SCHWARTZII, H. TURNEBI, JANI ULITII, ET ALIORUM.

QUIBUS ETIAM

SCHOLIA VETERA AUCTORIS INCERTI, EX EDITIONE BUHLIANA,

ADJUNXIT

JOHANNES ALLEN GILES, A.M.

COLLEGII CORPORIS CHRISTI APUD OXON. NUPER SOCIUS.

LONDINI:
SUMPTIBUS JACOBI BOHN,
12, KING WILLIAM STREET, STRAND.

MDCCCXXXVIII.

LONDINI:
C. RICHARDS, 100, ST. MARTIN'S LANE.

TABULA

EORUM QUÆ IN HOC LIBRO INSUNT.

PRÆFATIO EDITORIS.

De hac, quæ nunc prodit, Germanici editione, non est cur multa dicam. Id mihi propositum fuit, ut omnia, quæ lectori utilia forent, in unum corpus redigerem. Quocirca, præter notas Schwartzii, quas omnes retinuimus, secutus sum novam textus recensionem quam Orellius nuper Phædro suo adjunxit. Notas quoque Orellianas omnes servavi, quo factum est ut omnia, quæcunque in duabus istis editionibus reperiri possent, in libellum meum migrârint. Præter genuina Germanici opera, adjunximus etiam, ex editione Arati Buhliana, Scholia vetera, quæ olim a quibusdam Germanico ipsi adscripta, merito tandem, quippe quæ humiliori sint stylo, quam ut ævi Augusti proles sint, a Germanico abjudicantur. Nec tamen omnino inutilia ea esse censeri possunt, cum plura habeant, quæ de Scriptoribus deperditis scire non dedignemur. Sed de istis Scholiis ipsum Buhlium audiamus:

"Edidit hæc Scholia primum sub nomine *Commenti in Sicilia reperti* una cum Avieni Arateis et aliis Victor Pisanus, Venet. 1488, 4. post repetita sunt ab Aldo; deinde in edit. Morelliana, in Coloniensi (1569, fol.) et in Sanctandreana Heidelbergæ 1589, 8. Grotius ea in Syntagma suum Arateorum non admisit. Redhibui Scholia ista haud mutata vel emendata, nisi quod ea melius interpungi curavi; nimis enim barbare et vitiose scripta sunt, quam ut operæ pretium fuisset eorum emendationi

vacare." Hæc Buhlius in præfatione quam secundo Arateorum volumini præmisit. At in commentatione quam de Arati vita, scriptis, interpretibus etc. conscripsit, hæc habet: "Uti in Aratum Græci, ita quoque in Germanici Aratea Latine commentati sunt jam antiquioribus temporibus viri docti plures. Scripserat Commentarium in Germanici Aratea *Nigidius Figulus*, ex quo Fragmenta collegit Rutgersius Var. Lect. lib. iii. p. 276, seq. Alius exstat vetus Commentarius sub nomine *Scholiastæ Germanici*, quem et ego in hac editione textui adjungendum curavi. Est ille a diversis hominibus et antiquioribus Græcorum in Aratum commentariis, sicut Scholia ad Aratum Græca, conflatus absque ullo ordine: quare etiam eadem sæpius repetuntur; afferuntur sibi contraria; et sermo est tam barbarus, incomtus et vitiosus, ut totus hic commentarius non veteris latini scriptoris operi, sed pueruli nostræ ætatis exercitio styli latini similis videatur. Arbitror equidem, doctos Grammaticos latinos olim Germanici Aratea discipulorum cœtui explicâsse, et scholia, quæ hodie tenemus, esse dictata, a discipulis calamo excepta; ita sermo factus est tam incohærens et parum latinus. Scholiis unius Grammatici latini addita et intermixta postea sunt alia, unde repugnantiæ ortæ sunt. Leguntur etiam scholia ad Germanicum in unoquoque cod. msto. diversa."

I. PRÆFATIO ORELLII.

Sex adhuc accuratius innotuerunt Codd. horum Arateorum:

I. Susianus, quo Grotius usus est, antiquissimus, literis *capitalibus* scriptus. In eodem Codice alius quispiam, quo commodius tractaret librum scholasticum, Germanici versus literis "*monachalibus*" descripserat, sine ulla mutatione, inquit Grotius; ita tamen, ut ad v. 141 hæc annotârit; " Quinque hi versus in Manuscripto *αὐτογράφῳ* desunt; sed in ea descriptione, quæ litera recentiore facta est, deest versus secundus (dumtaxat.)" Suppletum igitur erat apographum istud ex alio codice. Nobis est G.

II. Basileensis*) cum Scholiasta. Index: LIBER ASTRONOMIE CLAUDII CÆSARIS. membr. forma quadruplicata foliorum XLV. Sec. IX. Figuræ constellationum insunt admodum rudes, calamo delineatæ: folia tria a ceteris distinguuntur scriptura Saxonica. Duo tresve primi versus singularum divisionum exaratæ sunt plerumque, non tamen semper, literis quadratis. Scriptus esse videtur Fuldæ; certe in fine a manu Sec. XIV. hæc subscripta sunt:

Honorabili domino ac patri suo (sequitur nota mihi et Fæschio inextricabilis; videtur vel *L.* vel *S.*) *dei gratia Fuld. ecclesiæ abbati Decanus totusque ejusdem Eccl. Conventus paratam ac devotam obedientiam.*

Hujus præstantissimi libri usum per totum tempus huic qualicunque curæ insumptum concessit mihi Gerlachii mei amicitia. Signavi A.

III. Bernensis†) N. 88. CLAUDII CÆSARIS ARATI PHÆNOMENA: sine Scholiasta; membr. Sec. X. folio maximo, cum imaginibus coloratis; codex splendidissimus, in usum, ut puto, principis alicujus viri summa cum elegantia exaratus. Hunc, dum per ferias autumnales apud Usterium meum Bernæ dego, ipse contuli. Nobis est B.

IV. Einsiedlensis‡) N. 338. sine Indice, destitutus Scholiasta et figuris; membr. Sec. XI. forma duodecimplicata, foliorum XXII. diligenter ac nitide scriptus. Hujus optimi Codicis usum acceptum fero benignitati Cælestini primi illustrissimi Principis Abbatis Monasterii Einsiedlensis et reverendissimi Patris Meinradi Kælinii, cui doctissimo viro bibliothecæ illius custodia commissa est. Semper hunc quoque in emendando poëta ante oculus habui. Notavi E.

V. Freibergensis, incertæ ætatis, cujus lectiones a viro quodam docto Schwarzianæ editioni adscriptas et a Spangenbergio cum Seebodio V. C. communicatas hic inseruit Miscellaneis suis; (*Neues Archiv für Philologie* 2. *Jahrgang* 2. *Heft.* pag. 125. seqq.) Nobis F.

VI. Siciliensis cum Scholiasta et figuris, incertæ ætatis. Fortasse etiam nunc Panormi exstat in bibliotheca Senatus, quum Goettlingius V. C. mihi narrârit, ibi a se visa esse Ciceronis Aratea. Hujus fidele admodum ἔκτυπον videtur Editio princeps a Victore Pisano sive potius ejus præceptore Georgio Valla curata:

"Hic codex avienii continet epigramma. Ejusdem arati phænom-

* In Hænelii, V. C. *Catalogis Libr. Manuscr.* pag. 658 b. sic refertur: "Claudii Cæsaris, Germani, versio Horatii, c. comm.; membr." (omnia sic.)

† Cfr. Sinneri *Catal. Codd. Bibl. Bern.* Vol. I. p. 278—282.; quem tamen fugit ultimos Cdd. versus ex Avieno assutos esse.

‡ Idem est Codex, qui in Hænelii *Catalogis* p. 663. b. miro errore sic memoratur: "N. 200. Ovidii opera; sec. XI. membr. 4." Nihil autem Ovidii in hoc libro, sed: Boëthii Expositio secunda (sic) in Isagogas Porphyrii. Priscianus de figuris numerorum. Idem de metris fabularum Terentii et aliorum comicorum. Ejusdem Præexercitamina (sic). Commentarium Rufini V. C Grammatici Antiochensis in metra Terentiani (Insunt his omnibus Græca.) Versus Rufini Grammatici de metris Terentii et Plauti et ceterorum. Versus Rufini V. C. litteratoris de compositione et de metris oratorum. (Postremum hoc Rufini opusculum compluribus locis ex egregio Codice emendatum dabo propediem in Scholiastis Ciceronianis.) In fine Codicis sine ullo indice Germanici Aratea. Hæc ἰδιώτης aliquis quum Ovidio attribuisset, natus est error in Hænelii Catalogo, in illis omnibus quæ attinent ad monasterium Einsiedlense imperfecto et omnis generis vitiis sine viri docti culpa referto,

ena geographiam carmine heroico et oras maritimas trimetro iambico. germanici quoque et marci tulii *(sic)* arati fragmenta et Sereni versus de variis curandis morbis."

Pag. penult.: Hoc opus impressum Venetiis arte et ingenio Antonii de strata Cremonensis. Anno salutis. M.CCCCLXXXVIII. octavo calendas novembres." (Cfr. Ebert N. 1448. Hain N. 2224.)

Fol. h. "Fragmentum arati phænomenon per germanicum in latinum conversi cum commento nuper in sicilia repertum." Hanc editionem, quam ipse habeo, signavi P.

Jam uno conspectu demonstrabo, quid cum nostra recensione collati et præbeant et omittant Cdd., quos ipse trivi, A, B, E et Editio princeps sive Codex Siciliensis.

Ordo et numerus versuum Editionis nostræ.	*Codex Basileensis.* (A.)	*Editio princeps.* (P.)	*Cd. Bernensis.* (B.)	*Cd. Einsiedlensis.* (E.)
		(Et sic fere Cd. Freib. paucissimis exceptis.)	Et sic fere Co-	dex Grotii G.
Vers. 1-64	1-64	1-64	1-64	1-64
65-69	65-69	65-69	Omittit hos 5. (Post 64, sequuntur 90-95. Tum 71-89.)	Omittit hos 5. (Post 64, sequuntur 90-95. Tum 71-89.)
70	70	Abest 70	Abest 70	Abest 70
71-82	71-82	71-82	[71-82]	[71-82]
83	83	83	Abest 83	Abest 83
84-95	84-95	84-95	[84-95]	[84-95]
96	96	Abest 96	96	96
97	97	97	Abest 97	Abest 97
98-142	98-142	98-142	98-142	98-142
143	143 (Eundem versum et hic habet et post nostrum 134.)	143 (Eundem versum et hic habet et post nostrum 134.)	Abest 143	Abest 143
144-146	144-146	144-146	144-146	144-146
147-148	Bis leguntur in Cd. A.	147-148	Omittit hoc loco 147. (Habet 148 interpolatum.)	Omittit hoc loco 147. (Habet 148 interpolatum.)
149	149	149	149 Avieni *Phænom.* 370-374. Ejusd. 376-378. Germanici 147. Germanici 148, et Avieni 383, in unum conflatus. Avieni 384. Tum 388-390. Germanici 149.	149 (Omnia ut in B. nisi quod in fine accedit interpolatio memorata in Annotatt. nostris.)
150-156	150-156	150-156	150-156 Absunt a Cd. B. nostri 157-240.	150-156 In hoc codice adsunt.
157-206	157-206	157-206	(Absunt)	157-206
207, 208	Hi duo versus in unum contracti.	Hi duo versus in unum contracti.	(Absunt)	207, 208 Post 208, sequuntur 224-247
209-223	209-223	209-223	(Absunt)	Tum 209-223
224	Abest 224	Habet 224	(Abest)	Habet 224
225-231	225-231	225-231	(Absunt)	225-231

Ordo et numerus versuum Ed. nostræ.	*Codex Basileensis.* (A.)	*Editio princeps.* (P.)	*Cd. Bernensis.* (B.)	*Cd. Einsiedlensis.* (E.)
232	232	Abest 232	(Abest)	232
233-240	233-240	233-240	(Absunt)	233-240
241-247	241-247	241-247	241-247	241-247
248-250	Absunt 248-250	Absunt 248-250	248-250	248-250
251-254	251-254	251-254	251-254	251-254
255	Abest 255	Abest 255	Abest 255	Transpositus est 255: quia sic sese excipiunt: (vide supra.) 209-223 256-268 248-255
256, 257	Absunt hi duo 256, 257	Absunt hi duo 256, 257	Adsunt 256 257	Adsunt 256 257
258-262	258-262	258-262	258-262	258-262
263	263	Abest 263	263	263
264-266	264-266	264-266	264-266	264-266
267	267	267	Abest 267	Abest 267
268	268	268	268	268
269	269	269	Transpositus 269 post nostrum 272	Abest 269
270-272	Absunt 270-272	Absunt 270-272	Habet 270-272	Absunt 270-272
273	273	273	273	Abest 273
[274]	274	274	274	Abest 274
275-277	275-277	275-277	275-277	275-277
278-280	Absunt 278-280	Absunt 278-280	Habet 278-280	Habet 278-280
281-283	281-283	281-283	281-283	281-283
284-285	Absunt 284, 285	Absunt 284, 285	Habet 284, 285 Tum sequuntur nostri 387-393 Deinceps 315-320 Postea 286-332 Sequuntur 341-342, cum tribus ex Avieni 747 et 748 interpolatis. Abest 343 Sequuntur 333-340 Tum 344-386 Absunt 394-445 Sequuntur 446-729	Habet 284-285 Tum sequuntur nostri 387-393 Deinceps 315-320 (Absunt 286-314 et 321-327) Sequuntur 328-342, cum tribus ex Avieni 747 et 748, interpolatis. Abest 343 Sequuntur 344-386 Absunt 394-413 Sequuntur 414-729
286	Abest 286	Abest 286	Habet 286	Abest 286 (et sic usque ad 314)
287, 288	Absunt 287, 288	Absunt 287, 288	Habet 287, 288	(Absunt)
289-299	289-299	289-299	289-299	(Absunt)
300	300	300	Abest 300	(Abest)
301-314	301-314	301-314	301-314	(Absunt)
315-317	Absunt 315-317	Absunt 315-317	Habet 315-317	Habet 315-317
318-320	318-320	318-320	318-320	318-320
321-323	Absunt 321-323	Absunt 321-323	Habet 321-323	Absunt 321-327
324-327	324-327	324-327	324-327	
328-330	Absunt 328-330	Absunt 328-330	Habet 328-330	Habet 328-330
331, 332	331, 332	331, 332	331, 332	331, 332
333-335	Absunt 333-335	Absunt 333-335	Habet 333-335	Habet 333-335
336-340	336-340	336-340	336-340	336-340
341	Abest 341	Abest 341	Habet 341 (Hic interpola-	Habet 341 (Hic interpola-

Ordo et numerus versuum Ed. nostræ.	*Codex Basileensis.* (A.)	*Editio princeps.* (P.)	*Cd. Bernensis* (B.)	*Cd. Einsiedlensis.* (E.)
			tiones ex Avieno. Vide Annott.)	tiones ex Avieno. Vide Annott.)
342	342	342	342	342
343	343	343	Abest 343	Abest 343
344-346	Absunt 344-346	344-346	Habet 344-346	Habet 344-346
347-355	347-355	347-355	347-355	347-355
356-358	Absunt 356-358	Absunt 356-358	Habet 356-358	Habet 356-358
359-362	359-362	359-362	359-362	359-362
363-365	Absunt 363-365	Absunt 363-365	Habet 363-365	Habet 363-365 (365, 367, 366)
366-379	366-379	366-379	366-379	366-379
380-382	Absunt 380-382	Absunt 380-382	Habet 380-382	Habet 380-382
383-392	383-392	383-392	383-392	383-392
393	Abest 393	Abest 393	Habet 393	Habet 393
394, 395 (e Grotii Codice)	Absunt 394, 395	Absunt 394, 395	Absunt 394, 395 et sic usque ad 445	Absunt 394, 395 et sic usque ad 413
396-399	396-399	396-399	(Absunt)	(Absunt)
400	Abest 400	Habet 400	(Abest)	(Abest)
401	401	401	(Abest)	(Abest)
402	Abest 402	Habet 402	(Abest)	(Abest)
403-413	402-413	402-413	(Absunt)	(Absunt)
414-416	Absunt 414-416	Absunt 414-416	(Absunt)	Habet 414-416
417-425	417-425	417-425	(Absunt)	Absunt
426-428	Absunt 426-428	Absunt 426-428	(Absunt)	Habet 426-428
429, 430	429, 430	429, 430	(Absunt)	429, 430
431, 432	Absunt 431-432	Absunt hinc (a 431) omnia usque ad finem Phænomenon; id quod semel notatur. Idem defectus est Cod. Freibergensis.	(Absunt)	Habet 431, 432
433	433	—	(Abest)	Habet 433
434-436	Absunt 434-436	—	(Absunt)	Habet 434-436
437-439	437-439	—	(Absunt)	Habet 437-439
440-442	Absunt 440-442	—	(Absunt)	Habet 440-442
443-445	443-445	—	(Absunt)	Habet 443-445
446-458	446-458	—	446-458	446-458
459-461	Absunt 459-461	—	459-461	459-461
462-464	462-464	—	462-464	462-464
465	Abest 465	—	Habet 465	Habet 465
466-473	466-473	—	466-473	466-473
[474, 475]	Absunt 474, 475	—	Habet 474, 475	Habet 474, 475
476-515	476-515	—	476-515	476-515
516	Abest 516	—	Habet 516	Habet 516
517-534	517-534	—	517-534	517-534
535-538	Absunt 535-538	—	Habet 535-538	Habet 535-538
539-557	539-557	—	539-557	539-557
558	Habet 558	—	Abest 558	Abest 558
559-570	559 570	—	559-570	559-570
571-574	Habet 571-574	—	Absunt 571-574	Absunt 571-574
575-585	575-585 Hinc omnia desunt, usque ad Prognosticorum Fragm. II.	—	575-585	575-585
586-729	(Absunt)	—	Habet 586-729	Habet 586-729
Prognosticorum Fragm. I. 1-28	Abest hoc Fragm. I.	Abest hoc Fragm. I.	Habet hoc Fragm. I. omissis tamen 13 et 14	Habet hujus Fragm. I. versus omnes.

Ordo et numerus versuum Ed. nostræ.	*Codex Basileensis.* (A.)	*Editio princeps.* (P.)	*Cd. Bernensis.* (B.)	*Cd. Einsiedlensis.* (E.)
Prognosticorum Fragm. II. 1-50 51-162	Habet hujus Fragm. II. 1-50 Habet hos 51-162 In fine: CLAUDI CÆSARIS ARATI PHENOMENA EXPLICIT FELICITER.	Absunt hujus Fragm. II. a Cd. Freib. et Ed. principe. 1-50 Habent Cd. Freib. et Ed. princeps, 51-162 Omittit P. 110. 125-126, in unum contracti.	Abest omne hoc Fragm. II.	Abest omne hoc Fragm. II.
Prognosticorum Fragm. III. 1-16	Abest hoc Fragm. III.	Abest hoc Fragm. III.	Habet hoc Fragm. III.	Habet hoc Fragm. III. In utroque Codice et Bern. et Einsiedl. huic fragmento subjunguntur Avieni Prognosticorum 415-436, 443, 444, 447, 544, 551, 552. In Bernensi 552, hic versus Christianus assutus: *Vale fidens domino Christi vestitus amore.*
Prognost. Fragm. IV.	Abest.	Abest.	Abest.	Abest.

Omissionum et trajectionum, quibus eruditum atque elegans Germanici poëma jam ante sec. IX. deformatum est, veram causam recte indicavit Grotius, cujus verba nostris subjungemus. Id fortasse addendum erat, Germanico ipso et multo magis ejus Scholiasta usos esse ludorum magistros seculorum inter quartum, puto, et duodecimum ad tradenda discipulis astronomiæ et mythologiæ elementa. Hinc Germanicus partim solus descriptus est modo adjectis figuris modo sine iis, partim una cum interprete vetere, partim hujus ipsius cura omissis versibus in compendia et uberiora et breviora est redacta cujus generis exstant Sangallense duplex et Turicense, de quibus fusius egi in Epistola critica ad Madvigium: hinc pro lubitu hæc vel illa resecta ac mirum in modum sæpe permixta et interpolata: hinc denique tot a scholasticis librariis errores commissi.

Jam vel ex tabulis a me confectis in oculos incurrit, maximam similitudinem intercedere ex una parte inter Cdd. Basileensem, Freibergensem et Siciliensem, qui duo postremi ita in omnibus fere conspirant, ut si Editio princeps expressa esset e Freibergensi, haud multum differret tota ejus ratio ab ea, quam nunc ad Siciliensem exacta præ se fert; ex altera autem parte consimiles esse in plerisque Cdd. B, E, G. scilicet longe intergriores, nisi quod carent Prognostic. II. vv. 1 — 50. a Basileensi et Puteaneo servatis: tum septum aliis versiculis, quos e Basileensi primus protraxi.

Internam autem indolem singulorum hanc esse perspexi. Totum lectionis genus ubi spectes, optimam inter omnes præbent G et E: immo sunt loci, ubi recentior E devitavit errores Cd. G.; cum quo ipso in pluribus etiam quam E facere solet B; nisi quod alicubi in Bernensi reperiuntur interpolationes ab homine semidocto profectæ, quibus liberi sunt G, E. Initio autem Grammaticus aliquis in perlegendo Cod. B. ante oculos habuit Codicem alterius familiæ cujus varietatem quum enotare cœpisset, ab ea opera exsequenda nimis cito deterritus est nescio quo fastidio. Cd. Basileensis ab imperito scriba exaratus incredibilibus atque innumerabilibus vitiis obsitus atque omissionibus fœde deturpatus, tamen solus interdum aut ipsam veram lectionem aut manifesta ejus vestigia servavit, ubi in Cdd. B, E, G sive potius eorundem archetypo vel casu obliterata vel consulto ab interpolatore deformata est. Hujus igitur ope haud paucos poëtæ locos nunc demum in integrum restitutos videbis.

Jam quum librarius archetypi illius, e quo fluxerunt et Freibergensis, quæcunque demum hujus est origo ac patria primaria, et Siciliensis, exscriberet codicem aliquem mancum, sed simillimum Basileensis, vitiis interdum mederi conatus, plerumque turpem sese dedit magisque etiam corrupit, quam emendavit scriptoris verba: adeo ut hi Cdd. F, P, omnium non solum maxime mutili, sed etiam mendosissimi sint.

Jure igitur meo duas statuo Cdd. familias, alteram BEG, alteram AFP.; prior in primis sequenda est Critico, sed, ubi in pejus deflectit ac veluti degenerat, corrigenda ex A. et aliquando e Puteaneo, nunc Cod. Regio N. 7886. itidem Sec. IX., qui Basileensi simillimus esse debet, immo in multis etiam melior, uti conjicere licet e Fragmenti Prognost. II. versibus 1—50. Mihi ejus usus negatus erat. In FP eorumque similibus nihil fere est præsidii.

Editiones autem ante Grotianam omnes e principe repetitæ sunt sine ullo supplemento e Cdd. hausto, nisi quod unus versiculus Prognosticorum Fragm. II. v. 110. a Pisano omissus, a nescio quo editore Sec. XVI. e codice aliquo Freibergensis, in quo exstat, simili est insertus. Nec quidquam, quod operæ pretium sit, in iis emendatum est, pauca illa si exceperis, quæ Morelius nec semper prospero successu novavit. Immortalia vero sunt merita Grotii quum propter supplementa e Cd. G. ascita, tum propter emendationes plerumque sagacissimas, quas summo ejus ingenio debemus. Nam vix adducor, ut credam, quod Barthius inconsideratius quam malignius effutiit Adverss. Lib. XLVII. c. 18. p. 2222.: "Josephus Scaliger sine ulla controversia auctor est notarum Grotianarum." Nec defraudandus justa laude Schwartzius, qui etsi nonnulla audacius tentavit, locos tamen aliquot pessime affectos sanavit. De Buhlio non est quod loquamur. Nihil aliud enim præstitit, quam ut interdum satis perverse Grotii annotationes aut repeteret aut in compendium redigeret (*).

Tribus ego præterea subsidiis carui, editionibus C. F. Schmidii,

* Notandum est g. significare Grotii *contextum*, b. Buhlii *contextum*; persæpe scilicet judicium in Annotatt. Buhlii prolatum differt ab ipsius contextu: s. est Schwartzius.

Halmæ, recensione Schaubachii, V. C. Hæc postrema asservatur in Bibliotheca Universitatis Lipsiensis atque omnino propter egregias obscuriorum locorum interpretationes dignissima est, quæ publici juris fiat. Verum ante hos tres annos quum in Ciceronis Arateis permissu ipsius Schaubachii et Schæferi e doctissima illius cura illustrandis occupatus domi eam haberem, nondum nactus tres meos Cdd. præstantissimos de Germanico quoque aliquando edendo minime cogitabam nec quidquam inde tunc temporis excerpsi. Nunc vero ea uti nec potui neque volui; etenim, etsi Viri illi eruditissimi, qua tum fuerunt in me benignitate, eam rursus mecum communicâssent, redemptoris tamen rationes minime passæ essent, ut integra a me ederetur; et, in eo si substitissem, ut optima quæque inde seligerem, magnum id toti commentario detrimentum postmodum attulisset.

Quod autem ad Halmæ inceptum attinet, ex amico Hauthalio sciscitatus sum, an critici præsidii illi quidpiam inesset. Inspecto libro, quem Turici nemo habet, illico respondit ille æquo animo me eo cariturum, utpote qui ad codices antea ignotos exactus non esset; unam tamen mihi misit emendationem ab Halma excogitatam, utique probabilem (v. 714.) (*) Schmidius quid præstiterit, prorsus ignoro; nusquam enim ejus libellum, etsi studiose quæsitum, reperire potui. Bonus si esset, utique notior esset.

Id vero unice propositum mihi fuit, ut Germanici opusculum denuo ad codicum auctoritatem revocarem et probabiliter, quantum nunc licet, emendarem: permulta sane quum plurium Cdd., tum conjecturæ ope in tam depravato poëmate corriget posteritas.

(Hactenus Orellius de suo : quod sequitur, ex Grotii præfatione est.)

II. PRÆFATIO SCHWARTZII.

Germanicum Cæsarem tibi do, Lector benevole, diutina cura perpolitum et præstantium virorum notis illustratum. Indignus visus est nobilissimus scriptor, qui ultra CXV. annum in bibliothecis latitaret.† Nam posteaquam eum Grotius A. CIↃ. IↃC. edidit, nemo fuit, qui situm abstergeret, et ornamenta quædam adderet. Quod utrumque tamen in proclivi erat. Nam et Aratus diligenter comparatus viam ad emendationem Germanici munit, et cœlum ipsum, et veterum scriptorum testimonia. Quanquam enim nonnunquam Auctor noster ab Arato discedit: tamen in plerisque cum eo congruit, præsertim cum cœlum concordare jubet. Præterea cum eximius

* Hæc scilicet dicit editor, cui aditus patebat ad Regiam bibliothecam: pag. 101.: *Je me suis généralement conformé aux corrections de Grotius dans ses Aratea et à celles de Bouhle* (sic) *avec quelques restrictions.* Id est, "Nihil ego feci: etiam Cod. Regium neglexi."

† Confer quæ deinceps dicemus.

Susii manuscriptus codex, tum divinum Grotii ingenium multis in locis mirifica spe restituendæ lectionis germanæ prælucent editoribus. Mihi quidem universa hæc præsidia longe antiquissima fuerunt, et si usquequaque circumspectione opus erat. Et a Grotio quidem cum quod ad conjecturas, tum quod ad notas pertinet, dissidere cœpi, quoties graviores causæ quas fere subjunxi, coëgerunt. Sunt autem causæ illæ vel Arati sermo, quem a Germanico non intellectum esse nimis crebro suspicatur Grotius, vel scriptores curatius in re qualibet versati, vel res ipsa. Nihil igitur in versuum contextum recepi, nisi quod aut dubio careret, aut necessitas postularet. Nam nihil eorum recipere, quæ germanitatis cujusdam insignia gererent, stultitia videbatur. Ratio enim plus valere debet, ut Bentleium etiam, Perizonium ac præstantissimos quosque viros et sentire et facere video, quam complurium librariorum ridiculæ insaniæ. Sed ne ex ea re periculum ullum existeret, ineptiæ librariorum semper subjectis notis sunt præmissæ. Si margini licuisset adscribere, ut Grotius fecit, commodius id multo fuisset, nunc paginarum spatium non patiebatur.

Notas meas brevitate commendabiles esse volui, citatis auctoribus qui diligentius res quasque persequuntur. Aliena omnia studiose fugi: opiniones vero, ad quas sermonem conformavit Germanicus, annotare laboravi. Et, ut alienissimum esse me ostenderem ab eorum consuetudine, quibus auctor suus fere Deus est, sæpe judicium interposui meum, quum vel Aratus vel Germanicus ingenium ostendit.

Imagines Grotii, quum veritatis cognitioni plurimum obsint, rescindendas putavi, præsertim cum ex Hygino Munckeri queant repeti, si quis delectetur pictorum commentis. In eorum locum Schickardi Astroscopium substitui, quod ab artifice spero rite expressum iri, nam quum hæc scribebam, nondum specimen ejus ad nos erat allatum.

Editiones Germanici nostri et Grotius docet, et Fabricius, vir is, qui literatorum commodis suum egregie dicat studium. Ego tantum addam editionem Lugdunensem Joannis de Gabiano, quæ etsi An. CIↃ. IↃC. VIII. lucem vidit, prioribus tamen editionibus nihil adjecit, et præclaras admonitiones Grotii neglexit.

Præter Aratea Phænomena et Diosemeia Germanici invenies etiam epigrammata Græca et Latina, quæ ad eum auctorem referuntur, ac reliqua familiæ Cæsareæ carmina, de quibus quum in annotationibus dixerim, istuc te allego.

Desideramus hodie multa scripta cum omnium Cæsarum, tum in primis Germanici. Hujus quidem deperditos libros commemorat industrius ille, quem identidem collaudare juvat, Fabricius. Quibus equidem adjici velim carmen de equo Cæsaris, cui tumulum fecerat Augustus. Plin. VIII. c. 42.

AN GERMANICUS DRUSI F. SIT AUCTOR PHÆNOMENON ARATEORUM.

Ne veterem Editorum morem temere deseruisse videar, primum controversiam de Germanico, tum, ea discussa, vitam ejus attingam.

Quæstionis eruditorum de Germanico, si æquos reperiat viros, facile finis inveniri posse videtur. Auctoritatis enim vis hic nulla est. Non curo igitur Oizelium in animadversionibus ad Minucii Octavium pag. 180, neque alios. Sed Nicolaum Heinsium operæ pretium est audire, qui in notis ad Valerii Flacci lib. I pag. 165, a Petro Burmanno C. V. editis ita scribit: "Avunculus meus Jo. Rutgersius in Variis Lectionibus persuasum habebat, ut crederet Aratea Cæsaris Germanici, quæ etiam num extant, Domitiani Germanici fœtum esse, non illius Germanici Druso parente nati, cui fastos suos dedicavit Naso. Et sane recordor vidisse me Lutetiæ pervetustum Arateorum codicem, qui Domitiano Cæsari poëma illud adserebat: ut veri omnino simile sit, pro Domitiano Germanicum ob invidiam nominis in plerisque exemplaribus esse repositum. Nam et Domitianus Germanici cognomentum sibi vindicabat ambitiose, ut ex historicis, poetis, ac numis antiquis liquido apparet." Sed librorum veterum titulis quantum momenti insit, satis inter eruditos constat. Invidia recte commemoratur: verum ea nec rationes graviores evertit, et nobis etiam favet. Si enim Domitianus auctor fuisset carminis hujus: tum Lactantius aut ejus vituperandi non prætermisisset facultatem, aut eum silentio præteriisset. Et enim si de Diana ab Orione tentata tam verecunde scripsisset Domitianus, impurissimus homo et adulter scelestissimus: non est addubitandum, quin hominis simulatio reprehensa esset. Non convenit in Vespasianum horoscopus Capricornus: neque magis ad Vespasianum quam ad Augustum pertinet allocutio Phænomenis Arateis præmissa. Præterea carmen hoc limatissima reconditaque doctrina plenum est. Quod quidem decus in Domitiano ne suspicari quidem licet. nam, ut Suetonius in ejus vita c. 2. testatur, jam admodum adolescens tantum aliquamdiu *simulavit poeticæ studium tam insuetum antea sibi, quam spretum postea et abjectum.* Selectissima verba, ordo rerum et versuum melior quam ille Arati, notitia cœli accuratior, an ab homine adolescentia prima infami* expectari potuerint, res ipsa clamat. Quamvis autem ipse Domitianus Germanici nomen affectârit: tamen hoc ad controversiam nihil attinet. Illud enim quæritur, an vulgo et communiter ab omnibus omnium sæculorum hominibus doctis Germanici nomine insignitus sit Domitianus, ut Lactantius non alium spectare potuerit,† quum Germanici versus citaret. Certum est enim post Tacitum vel ex uno Suetonio, Germanici nomen ad ipsius usque tempus soli Drusi filio insignite fuisse tributum. Neque enim, quod Augustus *pater* vocatur, quicquam causæ officit. Et enim tam late nomen hoc apud poetas patet, ut avos haudquaquam excludat. Erat enim *patris* nomen sæpissime honoris, non naturæ. Quod antiquitatum Romanarum peritis apertissimum est. *Astra* quidem *materna*, quæ Germanicus alicubi memorat, dirimunt controversiam omnem. Julium Cæsarem enim et Octavianum ab eo adoptatum rite spectant: ad Vespasianum, nisi vi quadam, torqueri non possunt. Sed hæc fere Barthio debentur, quem veritatis studiosi, non dubito, quin diligenter inspiciant.

* Vid. Sueton. in ejus vit. c. 1.   † Hæc ratio est Barthii Advers. lib. X. c. 21, p. 498.

Jam ad vitam Cæsaris Germanici progrediendum erat: sed cum ex Suetonii Caligula cap. 1-7, tum Taciti Annal. I. c. 31-73, tum Plinii Histor. Natur. VII c. 13, VIII c. 2, et 46, XI c. 37, XXXVII c. 3, Ælianique lib. II. hist. animal. c. II et aliis libris, res ejus cognoscuntur facile. Hos enim libros, cum in omnium manibus versentur, describere supervacaneum fuerit. Neque pœnitebit quemquam, cum iis Jo. Alberti Fabricii, Viri doctissimi, bibliothecam latinam conferre.

III. PRÆFATIO GROTII.

In hoc auctore qua via, quo modo egerimus neque tibi, mi Lector, inutile erit audire, neque mihi dicere tædiosum. Germanicus duo opuscula scripsit ad rem astronomicam pertinentia, Phænomena Aratea, et Prognostica, non illa quidem ex Arateis Diosemeis tralata, ut sunt Ciceronis et Avieni, sed alterius generis: in quo libro, meo judicio, signorum Zodiaci relationem ad Planetas, et quid quodlibet sidus in quoque dodecatemorio operetur, explicuit. Prius opusculum interpretatio est Arati ferme *κατὰ πόδας*: nisi prœmium de suo præjunxisset, et fabulas Arato intactas leviter, non ut Avienus ex professo, attigisset. Exempli causa sufficiant, illud quod de Arctophylace habes:

> Sive ille Arctophylax, seu Bacchi ob munera cæsus
> Icarus ereptam pensavit sidere vitam.

Et illud de Heniocho:

> Sive Attide terra
> Natus Erichthonius, qui primus sub juga duxit
> Quadrupedes, seu Myrtoas demersus in undas
> Myrtilus.

Quibus similia in aliis ferme singulis invenias. Accedit tertium, quod similiter versionem hanc non esse *κατὰ πόδας* persuadeat: quod videlicet ubi Aratus obiter de re nondum tractata aliquid immiscet, ipse ordinem secutus, hoc ipsum in commodiorem locum transtulerit: quod alius non animadvertens dicat forte versus transponendos. Exemplum dabo illud: Postquam de Thuribuli signis locutus est Aratus, subjungit:

> *Εἰ δὲ κεν ἑσπερίης μὲν ἀλὸς κενταύρυ ἀπείη*
> *Ὦμος, ὅσον προτέρης* et quæ sequuntur.

Germanicus illud, postquam de Centauri sidere locutus est, explicat his versibus:

> Hic humero medium scindens iter ætheris alti,
> Si tenuem traxit nubem, stellasque recondit
> Toto clarus equo, venientes nunciat Euros.

Similia aliqua *ἐν ταῖς συνανατολαῖς καὶ συνδυσμαῖς* invenies: nam cum Aratus, verbi gratia, dicit de signo aliquo loquens, sidus aliquod dimidium sub illo signo oriri, dimidium sub sequenti, Germanicus

dimidium illud iis, quæ cum sequenti oriuntur, inserit, cujus rei exempla satis multa invenies. Præterea aliquoties Aratum ipsum ex aliorum Astronomorum disciplina correxit, ut cum Aratus dextro pede Nixi ait Draconem premi, ipse lævum posuit, et ubi Aratus humanas Chironis partes ait esse sub Scorpio, equinas sub Chelis: ille melius sub Virgine equinas, sub Chelis humanas collocat, quod nos satis feliciter observavimus. Hæc si excipias, pauca admodum invenias, in quibus Germanicus plus aliquid minusve aut aliud quam Aratus dicat.

Nunc ad alterum opusculum veniamus, quod eum ex Arato non transtulisse diximus, ex aliis Astronomis Græcis desumsisse non negaverimus. In eo planetarum naturam, et signorum Zodiaci, et eorum inter se relationem et conjunctas vires complexus est. Hoc opus indicat cum ait in sine primæ partis Phænomenon (sunt enim omnino tres de astris, de circulis, de coorientibus et cooccidentibus)

> Hoc opus arcanis si credam postmodo Musis,
> Tempus et ipse labor, patiantur fata, docebit.

Ad Planetarum naturam pertinet illud:

> Hac rapitur Phœbe, per idem Cythereius ignis,

et quæ sequuntur. Illud vero præcipue:

> torpere videntur
> Omnia Saturno: raros ille exprimit ignes
> Et siccas hiemes adstrictis perficit undis.

Ad signorum naturam fragmentum illud, quod

> Grandine permixtus Aries nivibusque caducis

Relationem indicat illis versibus;

> Hæc ut quisque Deus possedit numine signa,
> Adjungit proprias vires.

Et in fragmento illo quod incipit *Ætherium venit thalamum super* explicata videmus Veneris et Mercurii per quælibet signa cum in ortu tum in occasu effectus et operationes. Hactenus de auctore quem optimum Poëtam fuisse optimo Poëta, Ovidio nempe, teste satis constat: et res ipsa, ne quid ejus auribus datum ab Ovidio putemus, satis probat.

Ad exscriptores et exemplaria veniamus, et una quid nos in eo præstiterimus, quem ordinem et modum in textu notisque secuti simus, breviter explicemus. Exscriptores nactus est imperitissimos, adeo ut vix putem alium quempiam tam misere exceptum. Rationem quæris? Nulli ferme alii fuit usui, nisi ut imaginibus cœlestibus depictis carmina illius, quod in aliis quoque picturis usitatum, ad explicationem subservirent: quæ etiam causa est, cur hactenus prima tantum parte phænomenon fuerit editus. Idem etiam occasionem quibuslibet præstitit pro suo cerebro eum immutandi, mutilandi, augendi: multum enim majestatis et reverentiæ opusculo divino detritum est, cum mantissæ loco imaginibus illis accederet. Itaque verum de Germanico, quod et de Arato ait Leontius: Ὅμηρον μὲν ἓν εἶδος γραφέων βλάπτει, τῶν βιβλιογράφων· Ἄρατον δὲ δύο, βιβλιογράφων τε καὶ ζωγράφων· Hoc est, *Homero soli exscripto-*

rum nocent librarii, Arato librarii et pictores. Eadem fortuna Germanici apud Latinos, quæ Arati apud Græcos. Videas vulgatam editionem quæ quadruplex, Aldina, Basiliensis, Morelliana et Sanctandreana, inter quas omnes minima est differentia. Dii boni, quot in ea versus omissi, quot carmina ita misere detorta, ut nullum maneat veritatis vestigium! Omissionis causa, quod paucos, nulla sæpe sententia, versus deligerent imaginibus adscribendos: detortionis, pictorum imperitia, et operis ipsius contemtus, quia jam in vulgum abierat. Videas Manuscriptum, quem a viro Nob. Jac. Susio profectum ejusdem hæredibus, nec non generoso et eruditissimo viro D. Jano Dousæ, cujus opera liber ille ad me pervenit, acceptum fero: miraberis quidem antiquitatem, sed videbis turpissimos errores, imo sæpe tales in quibus solvendis non parum laborabis. Scriptus ille non litera rotunda Monachis usitata, qua codices alii manuscripti minimæ antiquitatis sunt exarati; non Longobardica, qua alii mediæ vetustatis; sed litera romana, quam capitalem vocant, multorum sæculorum præfert auctoritatem. Scripti in eo sunt versus non conjunctim, sed dispersim, et ita ut singulis paginis quaterni ferme aut quini tantum inscriberentur: quæ fuit occasio, ut postea cum jam usus et cognitio literarum quadratarum exolevisset, alius quispiam spatio vacante eosdem versus nulla mutatione literis monachalibus descripserit. Hîc etiam continua series imaginum intertextu dirupta trajectioni locum dedit, quam in notis nostris indicabimus. Imo etiam cum in Geminis et Cancro fabula deesset, homines insulsi eam ex Avieno emendicatam Germanico inseruerent, ne quid deesset ad extremam dementiam. Ita illi dum imaginibus suis consulunt, auctorem conservaverunt quidem, sed ita perdiderunt, ut sui similis non esset. Nos itaque ex editionibus vulgatis et Manuscripto unam concinnantes editionem, in singulis versibus eam lectionem secuti sumus quæ verior et commodior visa: aliquando cum neutra vera esset, alterutram elegimus, in notis nostris lectionis veritatem aut ex utriusque commistione, aut ex nostro judicio prolaturi. Versus superfluos resecavimus, eos qui deessent, substituimus, sed non ea tamen audacia, ut nobis in omnibus credi postulemus. Quare in notas nostras omnem lectionum varietatem retulimus: eademque de causa emendationes nullas aut paucissimas easque certissimas in textum retulimus, sed ad notas reservavimus: quarum aliquæ si multum discedere videbuntur a lectione manuscripti aut editi libri, considera collatis exemplaribus, quantum sæpe manuscripti lectio a vulgata distet: quo facto videbis, quod ego video, longissime exscriptores a vera lectione discessisse. Itaque non hæc culpa mihi assignanda, sed fungis illis qui nulla reverentia auctorem hunc ita mutilaverunt. Duro nodo durus cuneus: quanquam ille revera non durus, sed salutaris. Scholiasten illum qui Germanici appellatur, cum nihil ferme ad Germanicum faciat, et, quamvis faceret, ordinem et seriem continuam interturbet, omisimus. Imagines ex manuscripti fide excudi fecimus, ad quas notas etiam conscripsimus, quas infra reperies. Nunc ad Germanicum ipsum veniamus.

IV. FABRICII DE CÆSARE GERMANICO NOTITIA.

EX BIBL. LAT. ED. ERNESTI, I. 508.

I. *Germanici ætas.* II. *Ejus Metaphrasis Arati.* III. *Editiones et antiquus in illam qui fertur scholiastes.* IV. *Epigrammata Germanico tributa, et scripta deperdita.* V. *Index Scriptorum a Scholiaste Germanici laudatorum.*

I. Cæsar Germanicus, Augusti Imp. Nepos, Drusi F. præter alias virtutes, quæ Imperium* illi, ni sæpius recusâsset, conciliare potuissent, ingenium in utroque eloquentiæ† genere excellens nactus, veneno, ut creditum est vulgo, periit Antiochiæ, quod, licet omnia alia præ se ferens, Tiberius, qui ex Augusti voluntate adoptaverat, jussit illi præberi a Cn. Pisone‡ anno U. C. 772, ætatis 35, Christi 19.

II. Extant ejus 1. *Aratea Phænomena* latinis versibus hexametris, non infeliciter, etsi liberius paulo expressa, ad Augustum Imp. jam senem.§

2. Fragmentum *Diosemeion*, sive prognosticorum; quæ non tam ex Arateis petita Diosemeiis, quam ex aliis Græcis Astrologis depromta, singulorum siderum in quovis dodecatemorio apotelesmata exponebant.

Poëmata hæc non *Germanici Cæsaris*, cui Ovidius ingeniosi vatis laudem tribuit Fastosque dicavit, sed *Domitiani* Imp. esse, quem Germanici|| nomen, velut a victa gente, adscivisse constat, vix dubitant Gerh. Jo. Vossius de scientiis Mathematicis p. 169, de Poëtis latinis p. 48, et Janus Rutgersius lib. II. c. 9, Var. Lect. quem liquido hoc ostendisse ait Colomesius ad Gyraldum pag. 271, denique Nic. Heinsius ad Val. Flaccum p. 165. Sed non inficiandis argu-

* Vide Dionem lib. 57, p. 604, seq. et 615. Suetonium in Caio Caligula, cap. 3 seq.

† De Poëtica Germanici facultate Ovidius I. fastor. v. 13.

Scimus et ad nostras cum se tulit impetus artes
Ingenii currant flumina quanta tui.
Scilicet et fas est, vates rege vatis habenas.

Idem IV. 8, e Ponto v. 67.

Non potes officium vatis contemnere vates:
Judicio pretium res habet ista tuo.
Quod nisi Te nomen tantum ad majora vocâsset.
Gloria Pieridum summa futurus eras.

Plura de ejus laudibus et ingenio Menkenius in Bibl. scriptorum militia et scriptis illustrium, p. 216 sqq.

‡ Tacit. III. Annal. 14. Sueton. Tib. 52, Cal. 2.

§ Etiam C. Julium Cæsarem Dictatorem, præter libros de ortu et occasu siderum, Aratipoëma latino carmine reddidisse Auctor est Julius Firmicus lib. 2, proœm. et lib. 8, c. 5. Priscianus et Suidas: sed forte Germanicum Cæsarem confuderunt cum Julio. Ceterum Metaphraseos Germanici meminit etiam S. Hieronymus ad T. 1. *In Phænomenis Arati legitur, quem Cicero in latinum sermonem transtulit, et Germanicus Cæsar, et nuper Avienus et multi, quos enumerare perlongum est.* Ante Hieronymum Lactantius V. 5. *Ut Germanicus Cæsar in Arateo loquitur carmine.* Cæsarem in Arato laudat plus simplici vice etiam Priscianus, versiculos nostri repetens.

|| Vide quæ viri docti ad Martial. VIII. 65, ad Suetonii Domitianum, c. 13. Barthium ad Stat. T. 1. p. 352. Silium, lib. III. 607. *At tu transcendens Germanice facta tuorum.*

mentis Augusti nepoti vindicantur a Casp. Barthio Advers. X. 21, cui junge Burmanni ad Flaccum notas p. 10, et Cl. *Mullerum*, in App. versionis Taciti Germ. T. I. p. 606.

III. Prodierunt Bononiæ a. 1474, quam editionem innuebat idem Barthius, cum Bononienses membranas allegabat, lib. 47, c. 18. Inde Venetiis ex Aldi officina, et plus vice simplici Basileæ, et Parisiis 1559. 4. ap. Guil. Morellum, cum castigationibus. Etiam cum Proclo, Leontii sphæra, Arato ipso, Metaphraseos a Cicerone compositæ reliquiis, Rufi Festi Avieni Metaphrasi, et *antiquo*, qui vulgo appellatur, Germanici *Scholiaste** in Sicilia reperto, et ab Aldo et Guil. Morello ante edito, lucem adspexerunt a. 1589. 8. ex officina Sanct. Andreana. Denique elegantissime, sed scholiaste illo antiquo omisso, in Syntagmate Arateorum, quod Jos. Scaligeri ductu adornavit notisque illustravit *Hugo Grotius*, tum admodum adolescens, Lugd. Bat. 1600-4. Huic editioni quantum tribuerit Jos. Scaliger, ex eo patet, quod, cum Joan. de Wouwern vellet editionem novam instituere, eum ab hoc consilio deterruit, Epist. p. 404, ad calcem Epp. Wouwern, quod melior Grotiana fieri non posset. In hac editione, præter versus aliquos hactenus ineditos Diosemeion, ex veteri codice,† literis Romanis capitalibus exarato, quem a Jac. Susio Grotius acceperat, quique postea in Bibliothecam Is. Vossii pervenit, accesserunt formis æneis expressæ imagines XLIV. signorum cœlestium; etsi toto cœlo eas sæpius aberrare ipse, qui vulgandas curavit, Grotius non diffitetur. Has imagines ab insigni artifice, Jacobo Geynæro, luculenter incisas æri seorsim postea luci expo-

* Aldus edidit hoc titulo: *Fragmenta Arati phænomenon per Germanicum in latinum versi cum commento in Sicilia reperto.* Proprie vero hoc, quod vocat, commentum non est commentarius in Arati Metaphrasin, unde H. Grotius illud tanquam alienum in Arateis suis prætermisit: sed ut Joan. Fellus Oxoniensis Episcopus in sua Eratosthenis editione pulchre observavit, *latina versio catasterismorum Eratosthenis*, additis quibusdam excerptis e *Nigidii Figuli* sphæra Græcanica, et recentioribus quibusdam e Plinio, Fulgentio Planciade, et Isidoro de natura rerum assumentis. Persuasit sibi nempe Fellus commentarium istum (quicquid Scaliger aliique viri docti aliter senserint) Germanici ipsius esse (quod et Politiano, c. 38. Misc. et Barthio pridem visum) ab eoque non Aratum modo, sed et Eratosthenem translatum esse latine. Neque hanc sententiam tantum conjecturis niti, quod in veteri MS. exemplari, quod olim in Sicilia traditur repertum, nec non altero veteri exemplo Collegii Etonensis Regii utrique simul compareant, aut quod restrictior stellarum in singulis asterismis numerus ævum profitetur saltem Claudio Prolemæo antiquius: sed Lactantium Firmianum hoc statuere affirmato L. i. c. XI. ubi Cæsaris Aratum laudans illa ipsa refert verba, quæ in commentario isto pariter et in Græco Eratosthene reperiuntur. Quales tamen hodie illi commentarii leguntur, qui possunt Germanicum agnoscere auctorem, cum ad Prognostica laudentur hi versus Prudentii ex lib. I. in Symmachum, pag. 365.

Denique cum luna est, sublustri splendet amictu,
Cum subcincta juvit calamos, Latinia Virgo est.

Itaque recte id negavit Jo. Meursius Epistola ad Justum Lipsium, T. 2. Sylloges Burmannianæ, p. 36. M. Antonio Delrioni auctor commentarii præsentis vocatur *Calpurnius Bassus*, aliis *Caesius Bassus* incerta plane conjectura. Casp. Barthius *Fulgentium* suspicabatur incertiore etiam divinatione. Thomas Munckerus in dissertatione de auctore Mythologiæ, quæ sub Hygini nomine ambulat, refert se in pervetustis Puteaneæ Bibliothecæ membranis Arateorum Germanici scholiasten deprehendisse latinum ab edito satis diversum, sed cum jam describendum eum sibi proposuisset, deprehendisse paulo post, esse Græca in Aratum scholia latinitate donata. Idem Vir Clariss. loca complura scholiastæ quem vocant Germanici sanavit non infeliciter in notis ad Mythographos latinos. Indicem auctorum in hoc commentario allegatorum dedi in Bibliotheca Græca, lib. III. cap. 18.

† Mentio hujus Codicis apud Jos. Caligerum, Epist. XXIX.

suisse comperi Jo. Jansonium Amst. 1621. f. easdemque minoribus formis expressas in Mythographis suis exhibuit, et Poëticon Astronomicon Hyginianum exornare jussit *Thom. Munkerus*, ibid. 1681-8. Post Grotium *Germanici Aratea* cum integris Hugonis Grotii notis, suisque et variorum animadversionibus, et una cum Epigrammatis Græcis et Latinis, Germanico Drusi F. tributis, carminibusque sive fragmentis carminum perpaucis Julii Cæsaris, Augusti et Neronis, vulgavit *Jo. Conradus Julius Schwartz*, Coburgi, 1715. 8. addita explicatione numorum, miscellaneorumque Theologicorum appendice. Non ingratam, opinor, rem fecisset eruditis, si Germanico veterem etiam, quem vocant, scholiastem, recensitum a se emendatumquè, adjunxisset. Alia denique editio Lunebergensis scriptorum Germanici debetur *Christ. Frid. Schmidio*, Rectori Scholæ Luneb. a. 1728. Epigramma in Thracem puerum illustrat Angelus Decembrius lib. VI. de politia literaria c. 69. *Scholiastes* autem Germanici ipse ille, qui Metaphrasin Arati condidit, Germanicus est, si Barthio credimus T. I. ad Statium p. 465, et ad Claudianum p. 123, ubi eum in Grotii Arato prætermissum dolet. Aliud videtur Hadriano Junio, quem vide lib. VI. Animadvers. cap. 20. Sane Barthius ipse alibi observavit, versus, qui sine nomine p. 143, a scholiaste Germanici afferuntur, esse Prudentii, tot sæculis Germanico junioris. Nonnulla etiam ex iis, quæ scholiastes Germanici habet p. 141, 143, eadem leguntur in mythologicis Fulgentii, ut lib. I. p. 780, et lib. II. p. 822, nec non ap. Plinium XVIII. 26. Fulvius Ursinus pag. 114. Virgilii cum Græcis scriptoribus collati, scriptorem commentarii illius *Calpurnium Bassum* vocat. Nonnulla ejus loca tentat aut illustrat Meursius Critici Arnobiani IV. 3.

IV. *Epigrammata* quædam sub Germanici nomine occurrunt in appendice Virgilii, et inter Poëmata vetera collecta a P. Pithœo, ut Græca in præsenti prætercam, quæ leguntur in Anthologia Epigrammatum Græcorum. Oravit causas Germanicus, etiam triumphalis, atque inter cætera studiorum monumenta reliquerat et Comœdias Græcas, teste Sueton. Calig. c. 3. Sed horum omnium nihil quicquam ad nos pervenit.

His addi possunt quæ habet Buhlius in commentatione de Arati Interpretibus.

Meliori cum fortuna, quam Cicero, novam Arati versionem poeticam suscepit *Germanicus Cæsar*, nobilissimus ille domus Augusteæ heros, egregiis virtutibus et meritis civilibus, rebusque in bellis Romani Imperii cum Germanis gestis adeo insignis, ut laurea poetica, quam Arateis latine reddendis acquirere allaboravit, facile carere potuisse videatur. Dubitârunt quidam, an Germanicus Cæsar vere carminum Arateorum, ipsi tributorum, auctor fuerit; verum optimum poetam Germanicum fuisse, Ovidius testatus est; igitur etiam carmina Aratea condere potuit et haud dubie condidit,

cum reliquorum principum Augusteæ domus noscamus nullum quem eorum auctorem fuisse majori cum probabilitate dicere possis; nam *Julium Cæsarem* Aratum vertisse, quod Suidas et Julius Firmicus tradiderunt, est error in nomine; et sententia *Rutgersii* (Var. Lectt. lib. III. p. 276), qui carmina Aratea non Germanico, sed *Domitiano* vindicare voluit, non minus explodenda est, utpote orta ex errore librarii cujusdam in vetusto codice, a *Petro Burmanno* inspecto, illa carmina ad *Claudium Cæsarem* referentis. Diserte Germanicum Cæsarem Arateorum auctorem pronuntiat Hieronymus ad Titum cap. I. 155, et Lactantius Institt. lib. I. cap. 21, aliique plures gravissimi scriptores.

Monendum autem est primo, Germanicum *Sola Arati Phænomena* poetice expressisse; nam quæ habemus *Prognosticorum* Germanici fragmenta, sunt ea non ex Arati Diosemeis translata et diversi omnino argumenti ab eo, quod Aratus in Diosemeis persecutus est. In Prognosticis Germanicus exposuit Planetarum naturam et signorum Zodiaci inter se relationem et conjunctas vires. Materiem forsitan ab aliis Astronomis Græcis desumsit. Indicavit etiam Prognostica tamquam peculiare opus in fine primæ partis Phænomenorum vs. 441.

Hoc opus arcanis si credam post modo Musis,
Tempus et ipse labor, patiantur fata, docebit.

Deinde in Phænomenorum Arateorum versione Germanicus non semper ad verbum Aratum expressit. Procemium præmisit de suo; fabulas, Arato intactas, attigit leviter, v. c. de Arctophylace, de Auriga; plura, ab Arato non bene disposita, in meliorem ordinem redegit; aliquoties etiam Aratum ex aliorum Astronomorum disciplina correxit. Aratus v. c. Draconem ait premi dextro Nixi pede; Germanicus posuit lævum; Aratus humanas Centauri partes ait esse sub Scorpio, equinas sub Chelis; Germanicus melius sub Virgine equinas, sub Chelis humanas collocavit. Plurima ejusmodi exempla correcti a Germanico Arati in notis Grotii sparsa sunt. Ceterum dictio Germanici poetica, quamvis ille passim archaismum sectatus sit, longe est vividior et elegantior Ciceroniana, et prodit omnino poetam Virgilii et Horatii æqualem. Meminisse etiam nos oportet, carmina Germanici corruptissima ad nos pervenisse, et vix unquam illis nativum nitorem suum restitutum iri.

V. VARIORUM AUCTORUM EDITIONES QUIBUS INSUNT GERMANICI CARMINA.

I. Marci Manlii (lege Manilii) poetæ clarissimi Astronomicon ad Cæsarem Augustum libri quinque. Arathus *Germanici* ad Augustum. Bononiæ impressum per me Ugonem Rugerium et Dominum Bertuchum, 1474, die xx Mart. fol.

II. Rufi Festi Avieni interpretatio Phænomenorum Arati, et Dionysius de situ orbis, &c.; item Arati interpretatio per *Germani-*

cum et Ciceronem et Serenus de medicina: arte et ingenio Antonii de Strata Cremonensis, octavo Cal. Nov. Victore Pisano recognitore. Venetiis, 1488, 4to.

III. Julii Firmici Astronomicorum libri VIII; M. Manilii Astronomicorum libri V. Arati Phænomena Latine, cum comment. et metaphr. Ciceronis, *Germanici* et Rufi Festi Avieni; &c. &c. Venetiis, cura et diligentia Aldi Rom. mense Octob. MID. fol.

III. C. J. Hygini fabularum liber; ejusdem Poet. Astronom. libri IV. Accedunt: Palæphati de fabulosis narrationibus liber; F. Fulgentii Placiadis Mythologiarum libri III. ejusdem de vocum antiquarum interpretatione; Arati Phænomenorum fragmentum *Germanico Cæsare* interprete, &c. Basileæ, 1535, fol.

IV. Arati Solensis Phænomena Græce. Ciceronis in Arati Phænomena interpretatio &c. Vergilii, *Germanici Cæsaris*, et Rufi Festi Avieni carmina &c. Parisiis ap. Jo. Lodoicum Tiletanum, 1540, 4to.

V. Editio Parisina repetita Basileæ ap. H. Petri, 1540, 12mo.

VI. Editio Hygini Basileensis, repetita Basileæ mense Martio, 1549.

VII. Arati Solensis Phænomena et Prognostica, interpretibus M. T. Cicerone, Rufo Festo Avieno, *Germanico Cæsare*, una cum ejus Commentariis &c. Paris. ap. Gu. Morel. 1559, 4to.

VIII. Arati Solensis Phænomena et prognostica, interpp. M. T. Cicerone, Rufo Festo Avieno, *Germanico Cæsare*, una cum ejus Commentariis &c. emendata ab ipso Morelio, &c. Nos vero præter ea, quæ in Parisiensi exemplari reperiebantur, figuris affabre ad Ptolemæi doctrinam exsculptis, figurarumque explicationibus Rufum Festum ornavimus, &c. Colon. Agripp. ap. Th. Graminæum, 1569, fol.

IX. Editio Hygini Basileensis, repetita Basileæ, mense Augusto, 1570, ex officina Hervag.

X. Astronomica veterum scripta isagogica, Gr. et. Lat. Insunt: Procli Sphæra; Arati Solensis Phænomena et Prognostica, Leontius Mechanicus de constructione Arateæ Sphæræ, Græce; Aratea Phænomena ex poetica interpretatione M. T. Ciceronis, Festi Rufi Avieni, *Germanici Cæsaris*, cum commentariis incerti auctoris, &c. Heidélbergæ, in officina Sanct-Andreana, 1589, 8vo.

XI. Hugonis Grotii Batavi Syntagma Arateorum, opus poeticæ et astronomiæ studiosis utilissimum. ex officina Plantin. ap. Chr. Raphelengium, Acad. Lug. Bat. typographum, 1550, 4to. Insunt, præter alia, *Germanici* Phænomena Aratea Prognosticorum fragmenta, &c.

XII. C. J. Hygini, Augusti liberti, fabularum liber, ad omnium poetarum lectionem mire necessarius, et nunc denuo excusus. Ejusdem Poeticôn Astronomicôn libri quatuor, &c. Arati φαινομένων *Germanico Cæsare* interprete; ejusdem Phænomena, Græce, cum interpretatione Latina, &c. Lugduni, ap. Jo. Degabiano, 1608, 8vo.

XIII. Carmina et fragmenta Carminum familiæ Cæsareæ, hoc est, *Cæsaris Germanici*, quæ extant, opera omnia cum Latina, tum Græca,

nunc primum conjunctim edita cum commentariis integris Hugonis Grotii, et notis Guil. Morelii, Hadr. Turnebi, Josephi Scaligeri, Claudii Salmasii, Casparis Barthii, Jani Ulitii, Jani Brœckhusii, et aliorum. Item Epigrammata et versus Caii Julii Cæsaris, C. Julii Cæsaris Octaviani Augusti et Neronis Claudii Cæsaris, omnia recensuit, notisque suis ac duplici indice auxit, amuleti denique Basilidiani, gemmæque ac numorum quorundam veterum explicationem subjecit Jo. Conradus Schwarz, Eloqu. et Græc. Ling. P. P. O. in Gymn. Casimir. Coburgi. Impensis Pauli Güntheri Pfotenhaver. Ære Mauricii Hagenii. Typogr. Duc. A. 1715.

XIV. *Germanici* Opera omnia, ed. Schmid, Lunæburgi, 1728, 8vo. *(eadem videtur esse cum præcedenti editione, nisi quod titulum novum præ se fert).*

XV. Phædri, Augusti Liberti, Fabulæ Æsopiæ, Prima ed. critica cum integra varietate codd. Pithœani, Rhemensis, Danielini, Perottini, et editionis principis, reliqua vero selecta. Accedunt *Cæsaris Germanici* Aratea ex fide codd. Basil. Bern. Einsiedl. Freiburg. ed. Venetæ MCCCCLXXXVIII emendata et suppleta. Pervigilium Veneris ad codd. Salmas. et Pith. exactum ab Jo. Casp. Orellio. Editio altera aucta Phædri fabulis novis ab Angelo Maio redintegratis et Publii Syri Sententiis XXX Turici repertis. Turici, typis Orellii, Fuesslini et sociorum, MDCCCXXXII. 8vo.

VI. INDEX SCRIPTORUM A SCHOLIASTA GERMANICI LAUDATORUM.

(Numerus paginam indicat.)

* Epimenides. Confer indicem in Scholiastas Arati, quem dedit Fabricius, lib. III. Bibl. Græcæ capite 18.

His antiquis scriptoribus addendi sunt sequentes in notis Schwarzianis memorati; locos, ubi de iis mentio occurrit, præsertim de Avieno, Hygino, præ numero non operæ pretium duxi apponere :

ÆLIANUS, Anacreon, Apollodorus, Aratus, Aristoteles, Arnobius, Artemidorus, Avienus, C. Aurelianus, Ausonius, Beda, Boethius, J. Cæsar, M. M. F. Capella, Cato, Catullus, Celsus, Cicero, Cinna, Claudianus, Clemens Alexandrinus, Cleomedes, Columella, Conon, Q. Curtius, Diodorus Siculus, Donatus, S. Empiricus, Epiphanius, Eratosthenes, Euclides, Euripides, Festus, Fulgentius, Gratius Fal., Heraclitus, Hesiodus, Hesychius, Hieronymus, Homerus, Horatius, Hyginus, Irenæus, Isidorus, Justinus Historicus, Justinus Martyr, Lactantius, Laertius, Leontius, Livius, Lucanus, Lucianus, Macrobius, Manetho, Manilius, Martialis, Maximus Tyrius, Minucius Felix, Moschus, Musæus, Nicander, Nigidius, Nonius, Nonnus, Oppianus, Orpheus, Ovidius, Palæphatus, Palladius, Pausanias, Petronius, Phædrus, Phurnutus, Pindarus, Plautus, Plinius, Plutarchus, Priscianus, Proclus, Propertius, Ptolemæus, Rutilius, Sallustius Cynicus, Sedulius, Seneca, Servius, Silius Ital., Simonides, Sophocles, Statius, Strabo, Suetonius, Suidas, Tacitus, Tatianus, Terentius, Theodosius, Theon, Tibullus, Tzetzes, Varro, Vegetius, Virgilius, Vitruvius, Zoroaster—*præter hos* SCHOLIASTÆ Germanici, Arati et Nicandri, AUCTORES Carminis de Ætna *et* Elegiæ in Mæcenatis obitum, AUCTORES GEOPONICI, INSCRIPTIONES et EPIGRAMMATA varia.

GERMANICI CÆSARIS

RELIQUIÆ.

I. PHÆNOMENA ARATEA.

Ab Jove principium magno deduxit Aratus:
Carminis at nobis, genitor, tu maximus auctor;
Te veneror, tibi sacra fero doctique laboris
Primitias. Probat ipse deûm rectorque satorque.
Quantum etenim possent anni certissima signa,
Qua Sol ardentem Cancrum rapidissimus ambit,
Diversasque secat metas gelidi Capricorni,
Quave Aries et Libra æquant divortia lucis,
Si non parta quies, te præside, puppibus æquor
Cultorique daret terras, procul arma silerent?
Nunc vacat audaces ad cælum tollere vultus
Sideraque et mundi varios cognoscere motus;
Navita quid caveat; quid scitus vitet arator;
Quando ratem ventis aut credat semina terris.
Hæc ego dum Latiis conor prædicere Musis,
Pax tua tuque adsis nato, numenque secundes!
Cetera, quæ toto fulgent vaga sidera mundo,
Indefessa trahit proprio cum pondere cælum.
Axis at immotus semper vestigia servat,
Libratasque tenet terras et cardine firmo
Orbem agit. Extremum geminus determinat axem,
Quem Graii dixere polon; pars mersa sub undas
Oceani, pars celsa sub horrifero Aquilone.
Axem Cretææ dextra lævaque tuentur ARCTI.
Sive Arcti seu Romani cognominis Ursæ,
Plaustrave, quæ facies stellarum est proxima vero:

Tres temone, rotisque micant sublime quaternæ.
Si melius dixisse feras, obversa refulgent
Ora feris; caput alterius super horrida terga
Alterius lucet; pronas rapit axis in ipsos
Declives humeros. Veteri si gratia famæ,
Cressia vos tellus aluit, moderator Olympi
Donavit cælo; meritum custodia fecit,
Quod fidæ comites prima incunabula magni
Foverunt Jovis, attonitæ quum furta parentis
Ærea pulsantes mendaci cymbala dextra,
Vagitus pueri patrias ne tangeret aures,
Dictæi texere adytis famuli Corybantes.
Hinc Jovis altrices Helice Cynosuraque fulgent.
Dat Graiis Helice cursum majoribus astris,
Phœnicas Cynosura regit. Sed candida tota
Et liquido splendore Helice nitet; haud prius ulla,
Quum Sol Oceano fulgentia condidit ora,
Stella micat cælo, septem quam Cressia flammis.
Certior est Cynosura tamen sulcantibus æquor:
Quippe brevis totam fido se cardine vertit,
Sidoniamque ratem nunquam spectata fefellit.
Has inter medias abrupti fluminis instar DRACO.
Immanis serpens sinuosa volumina versat
Hinc atque hinc, superatque illas mirabile monstrum.
Cauda Helicen supra tendit, redit ad Cynosuram
Squamigero lapsu; qua desinit ultima cauda,
Hac caput est Helices; flexu comprenditur alto
Serpentis Cynosura; ille explicat amplius orbes,
Sublatusque retro majorem respicit Arcton.
Ardent ingentes oculi, cava tempora claris
Ornantur flammis: mento sedet unicus ignis;
Tempus dexterius quæ signat stella Draconis,
Quæque sedet mento, lucetque novissima cauda,
Extremum qua Helices sidus micat. Hac radiatur
Serpentis declive caput, qua proxima signa
Occasus ortusque uno tanguntur ab orbe.
Oceani tumidis ignotæ fluctibus Arcti,
Semper inocciduis servantes ignibus axem.
Haud procul Effigies inde est defecta labore;
Non illi nomen, non magni causa laboris: [ENGONASIN.

Dextro namque genu nixus diversaque tendens
Brachia, suppliciter passis ad numina palmis,
Serpentis capiti figit vestigia læva.
  Tum fessi subter costas atque ardua terga
Clara Ariadnæo sacrata est igne Corona: CORONA.
Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.
Terga nitent stellis: at, qua se vertice tollit, OPHIUCHUS
Succiduis genibus lassum et miserabile sidus,
Hac Ophiuchus erit. Longe caput ante notabis
Et vastos humeros; tum cetera membra sequuntur.
Illis languet honos; humeris manet integer ardor,
Luna etiam pleno mensem quum dividit orbe. ANGUIS.
Lux tenuis manibus, per quas elabitur Anguis,
Pressus utraque manu, medium cingens Ophiuchum.
Scorpios ima pedum tangit, sed planta sinistra SCORPIUS.
In tergo residet, vestigia dextera pendent.
Impar est manibus pondus; nam dextera parvam
Partem anguis retinet, per lævam attollitur omnis,
Quantumque ab læva distantia Serta notantur,
Erigitur tantum Serpens atque ultima mento
Stella sub ætheria fulget crinita Corona:
At qua se dorso sinuabit lubricus Anguis,
Insigni cælum perfundent lumine Chelæ.
  Ipsam Helicen sequitur senior baculoque minatur,
Sive ille Arctophylax seu Bacchi ob munera cæsus
Icarus ereptam pensavit sidere vitam. [ARCTOPHYLAX.
Non illi obscurum caput est, non tristia membra;
Sed proprio tamen una micat sub nomine flamma,
Arcturum dixere, sinus qua vincula nodant.
  Virginis inde subest facies, cui plena sinistra VIRGO.
Fulget spica manu maturisque ardet aristis.
Quam te, diva, vocem? Tangunt mortalia si te
Carmina nec surdam præbes venerantibus aurem,
Exosa heu! mortale genus, medio mihi cursu
Stabunt quadrupedes, et flexis lætus habenis
Teque tuumque canam terris venerabile numen.
  Aurea pacati regeres quum secula mundi,
Justitia inviolata malis, placidissima virgo,
Sive illa Astræi genus es, quem fama parentem
Tradidit astrorum, seu vera intercidit ævo

Ortus fama tui, mediis te læta ferebas
Sublimis populis, nec dedignata subire
Tecta hominum et puros sine crimine, Diva, penates,
Jura dabas cultuque novo rude vulgus in omnes
Formabas vitæ sinceris artibus usus.
Nondum vesanos rabies nudaverat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nota;
Ignotique maris cursus, privataque tellus
Grata satis; neque per dubios avidissima ventos
Spes procul amotas fabricata nave petebat
Divitias; fructusque dabat placata colono
Sponte sua tellus; nec parvi terminus agri
Præstabat dominis signo tutissima rura.
At postquam argenti crevit deformior ætas,
Rarius invisit maculatas fraudibus urbes,
Seraque ab excelsis descendens montibus, ore
Velato tristique genas abscondita vitta,
Nulliusque larem, nullos adit illa penates.
Tantum quum trepidum vulgus cætusque notavit,
Increpat: O patrum suboles oblita priorum,
Degeneres semper semperque habitura minores,
Quid me, cujus abît usus, per vota vocatis?
Quærenda est sedes nobis nova: secula vestra
Artibus indomitis tradam scelerique cruento.
Hæc effata, super montes abit alite cursu,
Attonitos linquens populos graviora paventes.
Ærea sed postquam proles terris data, nec jam
Semina virtutis vitiis demersa resistunt,
Ferrique invento mens est lætata metallo,
Polluit et taurus mensas assuetus aratro:
Deseruit propere terras justissima virgo,
Et cæli est sortita locum, qua proximus illi
Tardus in occasum sequitur sua plaustra Bootes.
Virginis at placidæ præstanti lumine signat
Stella humeros; Helicen ignis non clarior ambit,
Quique micat cauda, quique armum fulget ad ipsum,
Quique priora tenet vestigia, quique secunda,
Clunibus hirsutis et qui sua sidera reddit:
Namque aliæ, quibus expletur cervixque caputque,
Vatibus ignotæ priscis sine honore feruntur.

Qua media est Helice, subjectum respice Cancrum.
At capiti suberunt Gemini. Qua posterior pes, [GEMINI.
Horrentesque jubas et fulvum cerne Leonem.
Hunc ubi contigerit Phœbi violentior axis,
Accensa in Cancro jam tum geminabitur æstas;
Tunc lymphæ tenues, tunc est tristissima tellus,
Et densas lætus segetes bene condit arator.
Ne mihi tunc remis pulset vada cærula puppis;
Dem potius ventis excusso vela rudente,
Excipiamque sinu zephyris spirantibus auras.

Est etiam Aurigæ facies, sive Atthide terra ERICHTHONIUS.
Natus Erichthonius, qui primus sub juga duxit
Quadrupedes, seu Myrtoas demersus in undas
Myrtilos: hunc potius species in sidere reddit;
Sic nulli currus, sic ruptis mœstus habenis
Perfidia Pelopis raptam gemit Hippodamiam.
Ipse ingens transversus abit læva Geminorum,
Majorisque Ursæ contra delabitur ora.
Numina præterea secum trahit: una putatur
Nutrix esse Jovis, si vere Jupiter infans
Ubera Cretææ mulsit fidissima capræ,
Sidere quæ claro gratum testatur alumnum.
Hanc Auriga humero totam gerit; at manus Hædos
Ostendit, nautis inimicum sidus, ubi illos
Orbis ab Oceano celsos rapit: haud semel Hœdi
Jactatam videre ratem nautasque paventes,
Sparsaque per sævos morientum corpora fluctus.

Aurigæ pedibus trux adjacet ignea Taurus TAURUS.
Cornua fronte gerens et lucidus ore minaci.
Quamlibet ignarum cæli sua forma docebit,
Et caput et patulæ nares et cornua Tauri.
Fronte micant Hyades. Quæ cornus flamma sinistri
Summa tenet, subit hæc eadem vestigia dextra
Aurigæ mediaque ligat compagine divos.
Myrtilos exoritur summo quum fluctibus ore,
Totus cum Tauro lucet; ruit oceano Bos
Ante, super terras quum fulget Myrtilos ore.

Iasides etiam cælum cum conjuge Cepheus CEPHEUS.
Ascendit totaque domo; quia Jupiter auctor
Est generis: (prodest majestas sæpe parentis.)

Ipse brevem patulis manibus stat post Cynosuram
Diducto passu: quantum latus a pede dextro
Cepheos extremam tangit Cynosurida caudam,
Tantundem ab lævo distat; minor utraque jungit
Regula Cepheos vestigia. Balteus ambit,
Qua latus ac flexum sinuosi respicit Anguis, CASSIEPEIA.
Cassiepeia virum residet sublimis ad ipsum;
Clara, etiam pernox cælo quum Luna refulsit,
Sed brevis et paucis decorata in sidere flammis.
Qualis ferratos subicit clavicula dentes,
Succutit et foribus præducti vincula claustri:
Talis disposita est stellis; ipsa horrida vultu
Sic tendit palmas, ceu sit planctura relictam
Andromedam, meritæ non justa piacula matris.
Nec procul Andromede, totam quam cernere posse
Obscura sub nocte licet: sic emicat ore, [ANDROMEDA.
Sic magnis humeris candet nitor. Hanc media ambit,
Ignea substricta lucet quæ zonula palla;
Sed pœnæ facies remanet, districtaque pandit
Brachia, ceu duri teneantur robore saxi.
Andromedæ capiti sonipes supereminet ales, EQUUS.
Vertice et Andromedæ radiat quæ stella, sub ipsa
Alvo fulget equi; tres armos et latera æquis
Distinguunt spatiis; capiti tristissima forma,
Et cervix sine honore obscuro lumine sordet.
Spumanti mandit sed qua ferus ore lupata,
Et capite et longa cervice insignior exit
Stella nitens, armis laterique simillima magno.
Nec totam ille tamen formam per singula reddit:
Primo præstat equum, medio rupta ordine membra
Destituunt visus; rudis inde assurgit imago.
Gorgonis hic proles: in Pierio Helicone,
Vertice quum summo nondum decurreret unda,
Museos fontes dextri pedis ictibus hausit;
Inde liquor genitus nomen tenet; Hippucrenes
Fontis nomen habet. Sed Pegasus æthere summo
Veloces agitat pennas et sidere gaudet.
Inde subest Aries, qui longe maxima currens ARIES.
Orbe suo spatia ad finem non tardius Ursa
Pervenit, et quanto breviore Lycaonis Arctos

Axem actu torquet, tanto pernicior ille
Distantes cornu properat contingere metas.
Clara nec est illi facies, nec sidera possunt,
Officiat si Luna, sua virtute nitere.
Sed quærendus erit zonæ e regione micantis
Andromedæ; terit hic summi divortia mundi,
Ut Chelæ, candens ut balteus Orionis.
Est etiam propiore deum cognoscere signo, DELTOTON.
Deltoton si quis—donum hoc spectabile Nili
Divitibus generatum undis—in sede notabit,
Tres illi laterum ductus: æquata duorum
Sunt spatia; unius brevior, sed clarior igne.
Hunc Aries juxta; medium Deltoton habebit
Inter lanigeri tergum et Cepheïda mæstam.
Hunc ultra Gemini Pisces; quorum alter in Austros
Tendit, Threïcium Borean petit alter et audit [PISCES.
Stridentes auras, niveus quas procreat Hæmus.
Non illis liber cursus, sed vincula cauda
Singula utrumque tenent, uno coëuntia nodo.
Nodum stella premit. Piscis, qui respicit auras
Threïcias, dextram Andromedæ cernetur ad ulnam.
Subter utrumque pedem devotæ Virginis ales PERSEUS.
Perseos effigies servatæ grata puellæ.
Moles ipsa viri satis est testata parentem,
Tantus ubique micat, tantum occupat ab Jove cæli.
Dextera, sublatæ similis, prope Cassiepeiam
Sublimis fulget; pedibus properare videtur
Et velle aligeris purum æthera findere plantis.
Poplite sub lævo, Tauri certissima signa, PLEIADES.
Pleïades suberunt; brevis et locus occupat omnes;
Nec faciles cerni, nisi quod coëuntia plura
Sidera communem ostendunt ex omnibus ignem.
Septem traduntur numero, sed carpitur una,
Deficiente oculo distinguere corpora parva;
Nomina sed cunctis servavit fida vetustas:
Electra, Alcyoneque, Celænoque, Meropeque,
Ac Sterope, et Taygete, et Maia, parente
Cælifero genitæ; si vere sustinet Atlas
Regna Jovis superosque, atque ipso pondere gaudet.
Lumine non multis Pleias certaverit astris;

Præcipuo sed honore ostendit tempora bina:
Quum primum agricolam ventus superimminet auster,
Et quum surgit hiems ponto, fugienda peritis.
Quin etiam Lyra Mercurio dilecta, deorum LYRA.
Proli accepta pio cælo nitet ante labore
Devictam effigiem planta qua erecta sinistra
Tempora læva premit torti subjecta Draconis.
[Summa genu subversa tenet, qua se Lyra versat.]
Contra spectat avem vel Phœbi qui fuit olim CYCNUS.
Cycnus vel Ledæ thalamis qui illapsus adulter
Furta Jovis falsa volucer sub imagine texit.
Inter defectum sidus Cycnumque nitentem
Mercurialis habet sedem Lyra; multa videbis
Stellarum vacua in Cycno; multa ignea rursus
Aut medii fulgoris erunt; penna utraque læta,
Dexterior juxta regalem Cepheos ulnam,
At læva fugit instantem sibi Pegason ala.
Piscibus interlucet equi latus; ad caput ejus,
Dextra manus latices qua fundit, Aquarius exit.
Quo prior Ægoceros semper properare videtur [AQUARIUS.
Oceano mersus sopitas condere flammas. [CAPRICORNUS.
Tum brevis occasus ortusque intercipit hora,
Quum sol ambierit metas gelidi Capricorni.
Nam neque perficiet cursus et vota brevis lux,
Et quum terrores auget nox atra marinos,
Multum clamatos frustra exspectaveris ortus.
Tunc rigor aut rapidus ponto tunc incubat Auster;
Pigra ministeria, et nautis tremor alligat artus.
Sed rationem animi temeraria pectora solvunt:
Nulla dies oritur, quæ jam vacua æquora cernat
Puppibus, et semper tumidis ratis innatat undis.
In terra tentare undas juvat; aspera sed quum
Assultat lateri deprensæ spuma carinæ.
Tunc alii curvos prospectant litore portus,
Inventasque alii terras pro munere narrant.
Interea exanimat pavidos instantis aquæ mons;
Ast alii procul a terra jactantur in alto;
Munit eos breve lignum et fata instantia pellit;
Nam tantum a leto, quantum rate fluctibus, absunt.
Belligeri Titan magnum quum contigit arcum
[SAGITTARIUS.

Ducentemque ferum sinuato spicula nervo, [SAGITTARIUS.
Jam clausum ratione mare est, jam navita portu
Infestam noctem fugitat longasque tenebras.
Signum erit exoriens nobis tum nocte suprema
Scorpios; ille micat supra freta cærula cauda:
Insequitur gravis Arcus et in lucem magis exit.
Tunc alto Cynosura redit, tunc totus in undas
Mergitur Orion, humeris et vertice Cepheus.

[AQUILA ET SAGITTA.
Est etiam, incertum quo cornu missa, Sagitta,
Quam servat Jovis ales; habet miracula nulla,
Si cælum ascendit Jovis armiger; hic tamen arduum
Unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymeden,
Et telo appositus custos, quum Jupiter arsit
In puero, luit excidio quem Troja furorem.

Delphin inde brevis lucet juxta Capricornum, DELPHINUS.
Paucis sideribus; tulit hic Atlantida Nymphen
In thalamos, Neptune, tuos, miseratus amantem.

Sidera, quæ mundi pars celsior æthere volvit,
Quæque vidênt Borean ventis assueta serenis,
Diximus. Hinc alius declivis ducitur ordo,
Sentit et insanos obscuris flatibus austros.

Primus in obliquum rapitur sub pectore Tauri ORION.
Orion; non ulla magis vicina notabit
Stella virum, sparsæ quam toto corpore flammæ:
Tale caput, magnisque humeris sic balteus exit,
Sic vagina ensis, pernici sic pede ludit.
Talis ei custos aderit Canis ore timendo; SIRIUS.
Ore vomit flammam; membris contemptior ignis;
Sirion hunc Graii proprio sub nomine dicunt.
Quum tetigit Solis radios, accenditur æstas;
Discernitque ortu longe sata: vivida firmat;
At quibus affectæ frondes aut languida radix,
Exanimat; nullo gaudet majusve minusve
Agricola et sidus primo speculatur ab ortu.

Auritum Leporem sequitur Canis, et fugit ille; LEPUS.
Sic utrumque oritur, sic occidit in freta sidus.
Tu parvum Leporem rimare sub Orione.

At qua cauda Canis languenti desinit astro, ARGO.
Fulgent Argoæ stellis aplustria puppis;
Puppe etenim trahitur, non recto libera cursu:

Ut quum decurrens inhibet jam navita remos,
Aversamque ratem votis damnatus ad oram
Perligat, optatam cupiens contingere terram:
Sed quæ pars violata fuit, coëuntia saxa
Numine Junonis tutus quum fugit Iason,
Hæc micat in cælo: lateri non amplior auctus,
Quam surgit malus. Qua debet reddere proram,
Intercepta perit nulla sub imagine forma;
Puppis demisso tantum stat roscida clavo.
Haud procul expositam sequitur Nereia Pistris PISTRIS.
Andromedam; media est Solis via, quum tamen illa
Terretur monstro pelagi, gaudetque sub axe
Diverso posita et Boreæ vicina legente,
Auster Pistrin agit; duo sidera perlegit unum;
Namque Aries supra Pistrin Piscesque feruntur;
Bellua sed ponti non multum præterit Amnem,
Amnem, qui Phaëthonta suas deflevit ad undas,
Postquam patris equos non æquo pondere rexit,
Vulnere reddentem flammas Jovis; hunc, nova silva,
Planxere ignotis mæstæ Phaëthontides ulnis.
Eridanus medius liquidis interjacet astris. ERIDANUS.
Hujus pars undæ lævum terit Orionis
Lapsa pedem, procul ambobus qua Piscibus unus
Vincula connectit nodus, cristam super ipsam
Æquoreæ Pistris radians; sunt libera cælo
Sidera, non ullam specie reddentia formam,
Sub Leporis latus, aversam post denique puppim,
Inter et Eridani flexus clavumque carinæ;
Atque hæc ipsa nota est nullam præbere figuram:
Sunt etenim toto sparsi sine nomine mundo
Inter signa ignes; quibus etsi propria desit
Forma, per appositi noscuntur lumina signi.
Est etiam a geminis diversus Piscibus unus, PISCIS NOTIUS.
Qui Borean fugitat, totus directus in Austros,
Ventre sub Ægoceri, Pistrin conversus ad imam.
Infimus Hydrochoos sed qua vestigia figit,
Sunt aliæ stellæ, qua caudam bellua flectit,
Quaque caput Piscis. Media regione locatæ
Nullum nomen habent, nec causa est nominis ulla;
Sic tenuis cunctis jam pæne evanuit ardor.

Nec procul hinc dextra defundit Aquarius undas,
Atque imitata cadunt errantis signa liquoris.
E quibus una magis sub cauda flamma relucet
Squamigeræ Pistris; pedibus subit altera signi
Fundentis latices. Est et sine honore Corona
Ante Sagittiferi paulum pernicia crura.
  Scorpios erecta torquet qua spicula cauda, THURIBULUM.
Turibulum vicinum Austris sacro igne videbis
Arcturum contra; sed quanto tardius ille
Oceanum occasu tangit, tanto magis arctæ
Turibuli metæ. Vix cælum suspicit, et jam
Præcipiti tractu vastis demittitur undis.
Multa dedit natura homini rata signa salutis,
Venturamque notis cladem depellere suasit.
Inter certa licet numeres sub nocte cavenda
Turibulum; nam, si sordebunt cætera cæli
Nubibus obductis, illo splendente, timeto,
Ne pacem pelagi solvat violentior Auster.
Tunc mihi spissentur substricto cornua velo
Et rigidi emittant flatus per inane rudentes.
Quod si deprensæ turbavit lintea puppis
Incubuitque sinu laxo, vel mergitur undis
Prona ratis, sorbetque inimicum Nerea prora,
Vel si respexit servator Jupiter, ægre
Ultima persolvunt jactati vota salutis;
Nec metus ante fugit, quam pars effulserit orbis,
Quæ Borean cælum spectantibus indicet ortum.
  Sunt etiam flammis commissa immania membra CENTAURUS.
Centauri, capite atque hirsuto pectore et alvo
Subter candentes hominem reddentia Chelas:
Inde per ingentes costas, per crura, per armos
Nascitur intacta sonipes sub Virgine. Dextra
Seu prædam e silvis portat seu dona propinquæ
Placatura deos, cultor Jovis, admovet Aræ:
Hic erit ille pius Chiron, justissimus omnes
Inter nubigenas et magni doctor Achillis.
Hic humero medium scindens iter ætheris alti,
Si tenuem traxit nubem stellasque recondit,
Toto clarus equo venientes nuntiat Euros.
  Nec procul hinc Hydros trahitur, cui cauda superne
[HYDRA. CRATER. CORVUS.

Centaurum lucet; tractu subit ille Leonem;
Pervenit ad Cancrum capite et tria sidera tangit.
Huic primos tortus Crater premit, ulteriores
Vocali rostro Corvus forat; omnia lucent,
Et Corvus pennis et parvo pondere Crater,
Et spatio triplicis formatus sideris Hydros.
Sub Geminis Procyon fulgenti lumine surgit. PROCYON
Hic cælo ornatus trahitur noctemque diemque; PLANETÆ
Sors sua cuique data est; semel assignata tuentur
Immoti loca nec longo mutantur in ævo.
Quinque aliæ stellæ diversa lege feruntur,
Et proprio motu mundo contraria volvunt
Curricula, exceduntque loco et vestigia mutant.
Haud equidem possis alio contingere signo,
Quæ divis sedes. Hinc atque hinc sæpe videntur
Occasus ortusque. Neque anfractus brevis illis,
Annosasque vias tardus vix perficit orbis.
Hoc opus arcanis si credam postmodo Musis,
Tempus et ipse labor, patiantur fata, docebit,
Signorum partes, quorum prædicta figura est, CIRCULI.
Annum expleturi præcidunt quatuor orbes.
Intervalla trium transversus colligat unus.
Nec par est illis spatium; duo namque feruntur
Inter se æquales; duo, quorum est maxima forma;
Et totidem rursum prædictis ante minores.
Hi semper distant; illos communia signa
Committunt; qua se tangunt, pars æqua rotarum
Dividitur, binos ut si qui desecet arcus.
Dissimilis quintus liquida sub nocte videtur, LACTEUS
Sidera quum reddunt sinceros eminus ignes.
Lactis ei color, et mediis via lucet in umbris.
Lacteus hic orbis nullo minor orbe rotatur.
Celsior ad Borean qui vergit circulus, altos TROPICUS CANCRI.
Et peragit tractus vicinis haud procul Ursis,
Per Geminos currit medios, vestigia tangit
Aurigæ plantamque terit Perseïda lævam,
Transversæ Andromedæ latera utraque persecat actus
Et totam abs humero dextram: summa ungula pulsu
†Dividit et Sagittiferi medium pernicia crura
†Acris equi ferit orbis iter: tum candidus ora

Cycnus habet juxta; cubito lucet super ipsum
Nixa genu facies et primis ignibus Anguis.
Effugit at virgo: totus Leo, totus in ipso
Cancer; ab aversis omnem secat ille Leonem
Clunibus, hirsutique jubam per pectoris exit,
Cancro qua fulgent oculi, ceu regula currat
Per medios, sic divisi latera utraque tangunt:
†Et Geminis humeros et Tauri ungula dextra
Radit Ophiuchi humeros vastos fulgere notabis.
Hunc octo in partes si quis diviserit orbem,
Quinque super terras semper fulgere notabit,
Abdi tres undis, levibusque latere sub umbris.
Hoc Cancrum tetigit quum Titan orbe, timeto
Æstatem rapidam et solventes corpora morbos.
Tunc habet æterni cursus fastigia summa.
Erectoque polo brevius non applicat unquam
Candentes currus. Adverso nittitur orbe,
Dum tangat metus; pronus devolvitur inde.

[TROPICUS CAPRICORNI.

Hic Boreæ proprior; contrarius excipit Austros;
Ægoceros metas hiemis glacialibus Austris.
Æstatisque tenet flagrantia sidera Cancer.
Hoc medium sidus findit devexior orbis;
Fundentis latices genua implicat; illigat illum
Intorta Pistris cauda; velocia crura
Contingit Leporis, Canis alvum desecat imam;
Desecat et sacræ speciosa aplustria puppis,
Centaurique humeros et Scorpion ultima cauda
Spicula torquentem: magnus micat arcus in illo.
Inde Austro proprior Sol est Aquilone relicto,
Et gelidas hiemes hebetato lumine portat.
Hujus tres cælo partes assurgere cernes,
Quinque latent undis et longa in nocte feruntur.

Hos inter medius nullo minor orbis agetur, ÆQUINOCTIALIS.
In quo quum Phœbus radiatos extulit ignes,
Dividit æquali spatio noctemque diemque.
Bis redit hæc facies, librato sidere, mundo,
Quum ver fecundum surgit, quum deficit æstas;
Signa Aries Taurusque æquo tanguntur ab orbe;
Sed princeps Aries totus fulgebit in illo,
Tauri armum subit et flexi duo sidera cruris.

At medium Oriona secat spiramque priorem
Hydri et Crateram levem Corvique ferentis
Ultima, deficiunt nigra qua sidera cauda.
Illic et Chelas transverso lumine quæres
Et celsi partem Anguis et a medio Ophiuchum,
Nec procul inde Aquilam; toto capite incubat ardens
Pegasus et longæ spatio cervicis inhæret.
Hos orbes, quorum tractus et signa docemus,
Rectus per medios decurrens trajicit axis.
Tres intervallis paribus sine fine rotantur,
Nec mutare vias possunt nec jungere sulcos.
Quartus in obliquum tres unus colligat orbes:
Partibus extremis diversos implicat; unum
Inter utrumque secat medium desectus ab illo,
Non si Palladia doctus formaret ab arte,
Distantes orbes melius religâsset ab uno.
Sed tribus idem ortus omni nascuntur ab ævo,
Atque eadem occasus remanent certissima signa.
Quartus ab oceano tantum vestigia mutat, ZODIACUS.
Obliquo currens spatio, quantum Capricornus
Æstifero distat Cancro, quam latus ad auras
Ætherias surgit, tam sacris mergitur undis.
In sex signiferum si quis diviserit orbem
Æquales partes, succumbet regula binis
Inferior signis, spatii tantumque tenebit
Una, sui lateris quantum a Tellure recedit;
Nec tamen humanos visus fugit ultimus orbis.
Hæc via Solis erit bis senis lucida signis.
Nobilis hic Aries aurato vellere, quondam
Qui tulit in Tauros Phrixum, qui prodidit Hellen;
Quem propter fabricata ratis, quem perfida Colchis
Sopito vigile incesto donavit amori.
Corniger hic Taurus, cujus decepta figura
Europe, thalamis et virginitate relicta,
Per freta sublimis tergo, mendacia sensit
Litora, Cretæo partus enixa marito.
Sunt Gemini, quos nulla dies sub Tartara misit,
Sed cælo semper, nautis lætissima signa,
Ledæos statuit juvenes pater ipse deorum.
Te quoque, fecundam meteret quum cominus Hydram

Alcides, ausum morsu contingere bello,
Sidere donavit, Cancer, Saturnia Juno,
Nunquam oblita sui, nunquam secura novercæ.
Hinc Nemeæus erit juxta Leo; tum pia Virgo;
Scorpios hinc duplo quam cetera possidet orbe
Sidera, per Chelas geminato lumine fulgens,
Quem mihi Diva canet dicto prius Orione;
Inde Sagittifero tentus curvabitur arcus,
Qui, solitus Musas venerari supplice plausu,
Acceptus cælo Phœbeis ardet in armis:
Cochlidis inventor, cujus Titania flatu
Prœlia commisit divorum lætior ætas,
Bellantem comitata Jovem, pietatis honorem,
Ut fuerat geminus forma, sic sidere, cepit.
Hic, Auguste, tuum genitali corpore numen
Attonitas inter gentes patriamque paventem
In cælum tulit et maternis reddidit astris.
Proximus, infestas olim quas fugerat undas,
Deucalion parvam defundens indicat urnam.
Annua concludunt Syriæ duo numina Pisces
Tempora; tunc iterum prædictus nascitur ordo,
Lanigeri et Tauri, Geminorum, postea Cancri;
Tunc Leo, tunc Virgo, tunc Scorpios Arcitenensque
Et gelidus Capricornus et imbriferi duo Pisces:
Hujus quantum altas demergitur orbis in undas
Oceani, tantum liquidum super aëra lucet;
Nullaque nox bis terna minus cælo trahit astra;
Nullaque major erit, quam quanto tempore in auras
Orbis perfecti divisus tollitur arcus.
Sæpe velis quantum superet cognoscere noctis,
Et spe venturæ solari pectora lucis.
Prima tibi nota Solis erit, quo sidere currat;
Semper enim signo Phœbus radiabit in uno:
Cetera tum propriis ardentia suspice flammis,
Quod cadat aut surgat summove feratur in orbe,
Quantoque exsiliant spatio, quum cærula linquunt;
Namque aliis pernix saltus, majore trahuntur
Mole alia, Oceanum tardo linquentia passu.
Quod si nube cava Solis via forte latebit,
Occulet aut signum conscendens vertice cælum

Altus Athos vel Cyllene vel candidus Hæmus,
Gargaron aut Ide, Superisve agitatus Olympus,
Tunc dextra lævaque simul redeuntia signis
Sidera si nôris, nunquam te tempora noctis
Effugient, nunquam veniens Tithonius ortus.

[ORIENTIA ET OCCIDENTIA CANCRO ORIENTE.

Quum primum Cancrum Tethys emittit in auras,
Excipit Oceanus Minoæ serta coronæ,
Occidit et dorso Piscis caudaque priore:
Mergitur in totos humeros Ophiuchus et Anguis
Ultima cauda micat; tortus habet illa timendos.
Nec multo Arctophylax hinc longe subjacet astro,
Lumine qui primo quum Scorpios occidit undis,
Occulitur pedibus; durat tamen arduus ore,
Dum rigidum Ægoceri signum freta lucida terret.
Siderea vix tum satiatus luce Bootes
In terras abit et noctis plus parte relinquit.
At contra nullo defectus lumine totus
Orion humeris splendebit, magnaque Divi
Vagina et claro cælatus balteus igni:
Cornua et Eridanus liquido feret utraque cælo.

ORIENTE LEONE.

At quum prima juba radiârit flamma Leonis,
Quidquid parte micat cælo, *hoc* nascente, sub undas
Omne abit atque feri venientis defugit ora.
Tota Jovis mersa est pennis stellantibus Ales;
Quique genu posito defessus conditur undis,
Summa genu subversa tenet, qua se Lyra versat,
Crure tenus: redit in cælum vasti caput Hydri,
Et pernix Lepus et Procyon et Sirius ipse,
Totiusque Canis rabidi vestigia prima.

ORIENTE VIRGINE.

Accipe, quæ vitent exorsæ Virginis ora:
Delphinus notis jam tum deflexerit undis,
Et Lyra dulce sonans et flammis cincta Sagitta;
Et niveus Cycnus properârit tangere fluctus;
Utraque penna volans caudam vix lucet ad ipsam;
Nigrescitque Padus, terræ qui proximus amnis.
Tum caput abscondet Sonipes; tum tota latebit
Cervix; at contra sublimior Hydra feretur
Cratera tenus; et surgent aplustria puppis
Argoæ totusque Canis; sed quum pia Virgo
Nascitur, illa ratis media plus arbore lucet.

Surgentes etiam Chelas sua signa notabunt:
Exsilit Oceano nunc toto crine Bootes, [ORIENTE LIBRA.
Quem claro veniens Arcturus nuntiat ore;
Celsaque Puppis habet; cauda minus attamen Hydra;
Nixa genu species flexo redit ardua crure,
Partibus haud aliis; nocte eluctata suprema
Bis solet illa una cælo se ostendere nocte;
Nam si Phœbeos currus, dum longa venit nox,
Occasu sequitur, rursus fugit Oceanum ortu,
Crure simul Chelis fulgens. Quum Scorpios exit,
Jam totis radiat membris miserabile sidus;
At quum tantus abit, quantum Lyra surgit ab undis,
Arcus ipsa sua cælo referetur imago:
Imperfecta redit cælo tum tota Corona,
Et Chiron pius ad caudam cognoscitur imam.
Pegasus abscondit toto tunc pectore pennas;
Nec lucet cauda præmersus pectore Cycnus.
Abdit et Andromede vultus; et maxima Pistris
Occasu insequitur metuentis Virginis ora:
Crista super cælo fulget, caput abditur ipsi.
Regalis Cepheus altis intactus ab undis.
Scorpios exoriens, quum clarus fugerit Amnis,
Scorpios Oriona fugat, pavet ille sequentem. [ORIENTE SCORPIO.
Sis vati placata, precor, Latonia virgo:
Non ego, non, primus, veteres cecinere poëtæ,
Virginis intactas quondam contingere vestes
Ausum hominem, divæ sacrum temerâsse pudorem.
Devotus pœnæ tunc impius ille futuræ
Nudabatque feris† angusto stipite silvas,
Pacatamque Chion dono dabat Œnopioni.
Haud patiens sed enim Phœbi germana repente
Numinis ultorem, media tellure revulsa,
Scorpion ingenti majorem contulit hostem.
Parcite, mortales! nunquam levis ira deorum.
Horret vulnus adhuc et spicula tincta veneno
Flebilis Orion, et quamquam parte relicta
†Cæli pæne fugit, tamen altis mergitur undis,
Scorpios ardenti quum pectore contigit ortus.
Nil super Andromedæ, nil Pistris luce fruetur.
In caput atque humeros rapit orbis Cassiepeiam,

Declivemque trahunt æterni pondera mundi,
Corruptaque cadit forma, certaverat olim
Qua senis æquorei natis, quum littore Canchli
Doridos et Panopes spectâsset stulta choreas.
Illa abit Oceano: totius serta Coronæ
In cælum redeunt; totum se liberat Hydros;
Cruribus exspectat Chiron, obscurior arcu,
Corpore jam toto vasto sub vertice clarus.
Tum fera, quam dextra portat Centaurus, in auras
Exsilit et claris aperitur flexibus Anguis:
Innixusque genu læva minus æquora linquit.
At quum prima subit facies remeabilis Arcus,
Jam siccà Oceano Chiron pernicia crura [ORIENTE SAGITTARIO.
Expulit et celsis Ophiuchas fulget in astris.
Nil trahit obscurum Serpens: sed trunca recepta
Desinit esse manu† mediis deformis imago:
Jam Lyra cum superis et Cycni dextera penna:
Radit tellurem rediens cum sidere Cepheus.
Tum Canis abscondit totius corporis ignes
Et latet Orion; et semper tutus in undis
Est Lepus; Argoæque ratis, qua flexile signum
In puppim formatur, adhuc aplustria lucent.
Mergitur et Perseus et Capræ nobile lumen.

[ORIENTE CAPRICORNO.

Aurigam totum abscondit veniens Capricornus,
Atque omnem ornatum venerandæ numine Puppis.
Tum Procyon obscurus abit; redit armiger uncis
Unguibus, ante omnes gratus tibi, Jupiter, Ales.
Omnibus et stellis Cycnus redit et leve Telum,
Et parvus Delphinus et apta Altaria sacris.
[Eminus exsurgit Minoïa nota Corona.]
Hydrochoos cælum scandens simul evocat ore
Et cervice tenus fidentem Pegason alis. [ORIENTE AQUARIO.
Aversum Chirona trahit nox atra sub undas;
Oceanos caudam tingit, nondum capit ora,
Non vastos humeros, non pectora tristia setis;
Hydram plus mediam condit, pars tertia lucet.

[ORIENTIBUS PISCIBUS.

Hanc Pisces abdunt orti totumque Biformem.
Quum geminos Pisces Aquilonis provocat aura,
Ille etiam surgit, qui tristes respicit Austros;

Piscibus ille simul surgit, sed liberat ortus,
Quum pernix Aries in cælum cornua tollit.
Pisces educunt Cepheïda; lætior illa
Nereïdas pontumque fugit cæloque refertur.

[ORIENTE ARIETE.

Ortus Lanigeri properabunt condere sacrum
Turibulum; patrio fulgebit in æthere Perseus.
Persea quum pennæ reddunt, jam Pleias ab undis
Effugit et dextro Tauri cognoscitur armo.
Fixus ut in curru trahitur sine curribus ullis
Myrtilos; haud totum cernes;† cum interit ipsum
In cælum redit, et pars dextera mergitur undis:
Vertice lucebit; teneros manus efferet Hœdos;
Læva Jovis nutrix humero radiabit in ipso;
Proxima telluri nascetur planta sinistra:
Cetera cum Geminis perfecto sidere surgent.

[ORIENTE TAURO.

Tauro Pistricis pariter cristæque refulgent
Caudaque; vicinum terris jam cerne Booten;
Et quum se genibus demisit pars Ophiuchi,
Signum erit, Oceano Geminos remeare relicto.

[ORIENTIBUS GEMINIS.

Totaque jam Pistris lucebunt squamea terga;
Eridani et primos deprendet navita fontes,
Cælum conspiciens, dum claro se movet ortu
Orion; habet ille notas; quæ tempora noctis
Significent, ventosve truces fidamve quietem.

II. PROGNOSTICORUM ARATÆORUM FRAGMENTA.

Fragmentum I.

GRANDINE permixtas Aries nivibusque caducis
Spargit vicinas supra juga tristia nubes.
Taurus portat aquas et ventos excitat acres.
Fulmina tunc crebro jaculatur Jupiter, et tunc
Intonat emissis violentior ignibus æther.
At Geminis leviter perstridunt cærula venti,
Rarus et in terras cælo demittitur humor.

Omnia mitescunt tranquillo sidere Cancri;
Siccus erit Leo, præcipue quum pectora fervent.
Virgo refert pluvias et permovet aëra ventis.
Lenius est Libræ signum; vix rorat in illo,
Scorpios assidue cælo minitabitur ignes;
Lentior in pluvias† magis invenit arva quieta:
Atque truces venti densa nive sæpe rigebunt.
Rara Sagittifero descendunt flumina terris;
Ægoceros aliis parcit, sed frigora durat,
Instabilique gelu fallit vestigia passus.
Qui fundit latices cælo quoque permovet imbres.
Omnia miscentur cum Piscibus; aspera ventis
Æquora turbatos volvunt ad sidera fluctus;
Imbribus incumbit cælum solemque recondit;
Grandine pulsatur tellus; nive mœnia durant.
Hæc ut quisque deus possedit numine signa,
Adjungunt proprias vires. Torpere videntur
Omnia Saturno; raros ille exprimit ignes
Et siccas hiemes adstrictis perficit undis;
Grandine durantur pluviæ; nive grando putrescit,
Et rigor accedit ventis; mitissimus ille
* * * * * * * *

Fragmentum II.

* * * * * *

Jupiter est illo læto magis hic ubique solus.
Vitavit flammas proprior bene lucidus ore.
Nec pecus in fœtu falet nova turba repente.
Mugiet stabilis alto valebit obili.
Idem ne tellus nimium siccata repente.
Distuat sata cum tetigit fera cornua tari.
Dat pluvias sorbetque data cum pliade fugit.
Atque adidgeminos cancro placidissimus idem.
Dat modicas vires rapidos et temperat æstu.
Et leo terribilis subterpater ipse repellit.
Instantis morbos et ditis limina cludit.
Incipit agricolis in virgine sorbere vota.
tu n
Jammaiature segetes et spicæa pedent.

Ante larem primum perfectam esse corona.
Libra tumescentis musto bene per quoquit uvas.
Scorpioni ingrediens tua libra munera edit.
Jamque sagittiferum scandens, sua munera redit.
Num qualæte hiemi modice tam' in capricorno.
Hydrocoon piscesque agitat sævissimus idem.
Sistatuit currus quocumque in sidere fessus.
Lanigero tonat et pœni per terga leonis.
Omniaque hiberni permiscet mensibus astra.
Ad cum phœbeos mavors effugerit ignes.
Sive aries germinique deum sive acri leonis.
Sidus et equate librato pondere cælæ.
Sidus et equate librato pondere leonis.
Aut arcu pollens aut imbris furor habebit,
Siocatis cæcus nebulithebet habitur aer.
Nullaq. præcipite sagittabunt æquora venti.
His idem lento signis cum suprimit ignis.
i
Velligeret nigra cursus stantione tenebat.
Tum crebro magnus tonetru pulsabitur æthæ.
Tum resoluta dabit nimbus cum grandine nubis.
Sed magis hibernæ steterit cum sidera partis.
Effundet totas violentos numine vires.
Ad modicos imbres provi cum cornua tauri.
Frugiferamque deam vel brumalem capricornum.
Adigeret liquido non sævus ab æthere fundet.
Incertus cancro terras cum letifer ortu.
Strius aflavit nocituros temperat æstus.
Scorpios adprime quacolitæ cumina cauda.
Frigidaque extremi jam claudunt sidera pisces.
Maritia non illos turbavit itella neque imbres.
Aud ulla condet nitidos caligine soles.
s
Sed diforte diem victus mutaverit aer.
Et ventos aut fundet aqua gelidissimus unde.
Rim rigor et toto boreas dominabitur orbe.
Adfaciles glebæ bastastringit frigore verno.
Alma venus pecudis claro cum vellure fulsis.
Sublucem exoriens eademque ubi tempore eodem.
Ætherium venit Taurum super imbribus atris
Et tonitru crebraque abscondit grandine terras.

Temperat in Geminis annum. Nec crede sereno,
Nubila nec diuturna putes, quum sidere Cancri
Fulserit ardentis; tantum hoc nil sidere certum.
Flagrantis placide lucis vis temperat annum,
Quum posuit sedem Nemeæi finibus astri.
Virgineque et Libra semper pendentia tantum
Nubila continua magis in statione manebunt.
Tunc quoque nulla fides cælo, quum Scorpion acrem
Stat super; incerta namque omnia lege feruntur:
Heu quantis terras tum Jupitur imbribus omnes
Obruet! aut glomerata cadet quam densa per æthram
Immitis grando! cælum quam sæpe sonabit!
Quum spatium attigerit tendentis spicula signi,
Non terris imbres, ponto non flamina dêrunt.
Et cæli terret sonitus mortalia corda,
Quum sedem Ægoceri Cythereius attigit ignis.
Horridus at gelidos portendit Aquarius imbres,
Hibernæque cadunt pluviæ concretaque grando.
* * * * * * * * *

Piscibus a geminis sub prima recurreret astra
Hesperos, hæc tibi signa feret, quum† Lucifer ora
Ingreditur Venus alma polum; sed ubi Hesperos ignes
Provocat ætherios et noctem ducere terris
Incipit, exoriens ecce hæc Cytherea movebit.
Vere caveto imbres et fulmina culmine ab alto,
Phrixeum rutilo pecus ut radiaverit astro,
Nubila commixtusque fragor pluvialibus undis,
Flaminaque assiduo terris instantia pulsu
Et diræ cælo dejecti grandinis ictus,
Ver magis infidum, Tauri quum sidere fulsit,
Apportat; Geminis eadem inconstantia perstat:
Quum dederit soles, inducet nubila cælo:
Nubila quum fuerint, subitos mirabere soles;
Et modo de vento, gelido modo protinus imbre
Ducens, alterna superabit nube serena.
Si Venus ingressa est spatiosi sidera Cancri,
Pacem mundus habet; non ulli corpora soles
Pestiferi incendunt, non sidera densa solutos
Astringunt artus alieno tempore; lenis
Omnia pacato tum sidere temperat aër.

Ac rapidis eadem ne solibus æstuet orbis,
Efficiet, magni signo conspecta Leonis.
Virgine erunt pluviæ plenique in nube fragores,
Concava quos reddunt incluso nubila vento.
Detrahit autumno pluvias eademque replevit,
Nubibus assiduis cælum† ob frigora prima
†Extremum autumni superent glacialia terræ.
Scorpios at raris, ne quid cava terra gravetur,
Horrebit pluviis. At diris omnia nimbis
Continuisque ruent, quum per sinuosa feretur
Cornua Centauri rapide distenta Sagitta.
Ægoceros imbres et crebro fulmine ruptos
Nubibus elidet sonibus tremuloque nitore
Flagrantis teli mortalia lumina vincet.
Hæc eadem fundens prædicit Aquarius imbrem.
  Extremi sævis maria increbrescere ventis
Ostendent Pisces, Veneris quos stella notârit.
Et quoniam certis† exstat via cognita signis,
Accipe, quid moveat mundo Cyllenius ignis,
Si modo Phœbei flammas evaserit axis,
Matutina ferens solitos per sidera cursus.
Quum pecudis villis aurati fulserit astro,
Ventorumque graves et diræ grandinis iræ
Non intermisso patiendæ tempore surgent.
Quin pluvias alias alia in regione notabis
Affore; non omni namque est tunc imber in arvo.
Ast ubi se Tauri sinuatis cornibus effert,
Grandine significat. Geminis tranquilla serenti
Et placidum nautis spondet cælumque fretumque,
Nubilaque atque imbres, æstus ac frigora miscet.
Certus at ardor erit, quamvis juvet aura Favonî,
Quum vasti calida radiabit sede Leonis.
Templa sed Astræi simul ac possederit ignis,
Omnia mixta feret, pluvias tantummodo Libra,
Scorpio sed pluvias meditabitur; undique venti,
Undique grando venit, rumpuntur culmina nimbis.
Centauri attigerit quum jam Cyllenius arcum,
Aut ubi consurgit Capricornus et ipse biformis,
Aut subitos cælo deducet crebrius imbres,
Fulminis aut jactu magnum perrumpet Olympum.

Nulla serenato Capricornus nubila cælo
Comparat; at gelidos flatus cælique fragores
Non alio melius signo prædicere possis.
Piscibus hæc eadem quamvis cognoscere fas sit.
Quandoquidem exortus mundo Cyllenius ignis
Quid faceret primo docui cum lumine Solis:
Tempus et occasus moneat quæ discere Phœbi.
Ver erit hibernis totum exsecrabile nimbis,
Et crebro tonitru ninget; florentia rura
Spesque novæ segetis quatientur grandinis ictu.
Uretur cælum, magni quum regna Tonantis
Ingrediens Pecudis conscenderit aurea terga.
Hinc et Agenorei stellantia cornua Tauri,
Quidve ferant Gemini, rapido quid sidere Cancer,
Si penitus quæres: Taurum sævire videbis
Grandine, nec contra ferri ratione probanda
Aut Cancrum aut geminos: calidus vestigia servat
Hinc quo ducta, Leo sævisque caloribus ardet.
Flatibus at gelidis miscet tranquilla severis
Spicifera Dea nota manu; nec Libra metenti
Dissentit divæ; sed, ut hæc, ventura serena
Nuntiat; at ventis cessat mare, cessat et aër.
Scorpios in pluvias rarus; sed nubibus atris
Creber agit nimbos et sæva tonitrua portat,
Clara Sagittiferi tetigit quum lumina signi.
Ægocero semper cælo levis excidit imber;
Frigidus at rapidis horrebit Aquarius Euris,
Brumalesque dabit pluvias atque igne perenni
Cum sonitu quatiet nubes. Si cura sagacem
Non frustrans animum certo me limite ducit,
Hæc eadem tibi signa dabunt non irrita Pisces.

Fragmentum III.

Una via est Solis bis senis lucida signis.
Hac rapitur Phœbe; per idem Cythereius ignis
Fertur iter, per idem cristatus vertice Mavors,
Mercuriusque celer, regno cælique verendus
Jupiter, et tristi Saturnus lumine tardus.

Omnibus his gemini motus; quorum alter ab ipsis
Nascitur et proprios ostendit sidere nisus,
(Tunc mundum subeunt lento pede:) concitus alter
Invitos rapit et cæli circumrotat orbem.
Annua Sol medius designat tempora, Phœbe
Menstrua; namque anno Solem remeare videbis,
Moverit unde suos currus per signa volantes.
Hoc peragit spatium breviore citatior orbe
Mensem expleturis Phœbe contenta diebus.
Annuus est Veneri cursus, neque tardior illa
Mercurius: binos Gradivus perficit orbes.
* * * * * * * * *

Fragmentum IV.

— Cur divite lingua
†Græcia præcurram potius quam triangula dicam?

III. EPIGRAMMATA.

Epigramma I.

Ad Hectoris Tumulum. (Gr. et Lat.)

Martia progenies, Hector, tellure sub ima
(Fas audire tamen si mea verba tibi)
Respira, quoniam vindex tibi contigit heres,
Qui patriæ famam proferat usque tuæ.
Ilios en surgit rursum, inclita gens colit illam,
Te marte inferior, Martis amica tamen.
Myrmidonas periisse omnes dic, Hector, Achilli,
Thessaliam et magnis esse sub Æneadis.

Ἕκτορ, ἀρήϊον αἷμα, κατὰ χθονὸς εἴ πυ ἀκούεις,
Χαῖρε καὶ ἄμπνευσον βαιὸν ὑπὲρ πατρίδος.

Ἴλιον οἰκεῖται, κλεινὴ πόλις, ἄνδρας ἔχουσα
Σοῦ μὲν ἀφαυροτέρους, ἀλλ' ἔτ' Ἄρηϊ φίλους.
Μυρμιδόνες δ' ἀπόλοντο· περίστασο καὶ λέγ' Ἀχιλλεῖ
Θεσσαλίην κεῖσθαι πᾶσαν ὑπ' Αἰνεάδαις.

Epigramma II.

Thrax puer astricto glacie dum ludit in Hebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumque imæ partes rapido traherentur ab amni,
Abscidit tenerum lubrica testa caput.
Orba quod inventum mater dum conderet urna,
Hoc peperi flammis, cætera, dixit, aquis.

Epigramma III.

Οὔρεος ἐξ ὑπάτοιο λαγὼς πέσεν ἔς ποτε βένθος,
Ἐκπροφυγεῖν μεμαὼς τρηχὺν ὀδόντα κυνός.
Ἀλλ' οὐδ' ὧς ἤλυξε κακὸν μόρον· αὐτίκα γάρ μιν
Εἰνάλιος μάρψας πνεύματος ὠρφάνισεν.
Ἐκ πυρὸς ὡς αἰνῶς πέσες ἐς φλόγας, ἦ ῥά σε δαίμων
Κὴν ἁλὶ, κὴν χέρσῳ θρέψε κύνεσσι βορήν.

Epigramma IV.

Ἐκ κυνὸς εἷλε κύων με. τί τὸ ξένον· εἰς ἐμὲ θῆρες
Ὑγροὶ καὶ πεζοὶ θυμὸν ἔχουσιν ἕνα.
Αἰθέρα λοιπὸν ἔχοιτε λαγοὶ βατόν· ἀλλὰ φοβοῦμαι,
Οὐρανὲ, καί σὺ φέρεις ἀστερόεντα κύνα.

Epigramma V.

Εἰς Θεμιστοκλέα.

Ἀντὶ τάφου λιτοῖο θὲς Ἑλλάδα, θὲς δ' ἐπὶ ταύτᾳ
Δούρατα, βαρβαρικᾶς σύμβολα ναυφθορίας.
Καὶ τύμβῳ κρηπῖδα περίγραφε Περσικὸν ἄρη
Καὶ Ξέρξην. τούτοις θάπτε Θεμιστοκλέα.
Στάλα δ' ἁ Σαλαμὶς ἐπικείσεται, ἔργα λέγουσα
Τἀμά. τί με σμικροῖς τὸν μέγαν ἐντίθετε;

IV. SCHOLIA SIVE COMMENTARIA

IN PHÆNOMENA ARATEA.

Cælum Circulis quinque distinguitur, quorum duo extremi maxime frigidi: Australis humillimus, et Aquilonius excelsissimus. His utrinque proximi duo Paralleli vocantur, ut ita dixerim, *æque distantes:* iidem Tropici, iidem Solstitiales: alter Hibernus, per quem sol transiens ac tenens octavam partem Capricorni, solstitium hibernum facit: alter Æstivus, per quem sol transiens ac tenens octavam partem Cancri, solstitium æstivum facit. Medius est Æquinoctialis, qui octavam partem Arietis tenens, æquinoctium vernum facit: octava Libræ, autumnale constituit. Ut Circuli in cælo, ita Zonæ in terra vocantur. Inhabitabiles frigidi circuli sunt ob rigorem, quod ab his longissime sol abest. Sub torrido quidam habitare putant Æthiopiæ maximam partem: item plurimas insulas Maris rubri, aliosque vertices eminentiasque terrarum nostris ampliores. Sub Tropicis habitare nulli dubium est.

Noster Solstitialis Æstivus est excelsus atque arduus. Divisi autem sunt a nobis circulo Æquinoctiali, qui Antichthones nominantur, et videntur humiles atque depressi, qui Antipodes infra sunt: quod ut esse videatur, efficiunt flexus obliquitatesque terrarum, quas Antichthones et Antistochæ et Antisceptæ inhabitare dicuntur. Incipit autem Signifer, non ab extremo circulo, nec ad extremum extenditur: sed ab intimo Tropico australi, brumalique eodem, per Æquinoctialem ad summum solstitialem, eundemque æstivalem per medium, (in his longitudo latitudoque) porrectus. Obliquæ circuli Signiferi partes, CCCLXV. signa XII, partium singula trice-

narum, quorum quædam minora, quædam ampliora, et populo Canophora dicuntur: sed compensatio quinque partibus creditur applicari, ut sint omnes Signiferi partes CCCLXV. Horum incipientia ab Ariete, alia sunt masculorum natalibus, alia fœminarum. Item quartum quoque eorum, aut tropicum, aut solidum, aut deforme. Incipiet dinumeratio ab Ariete. Signa tropicorum duo sunt æquinoctialia, Aries et Libra: duo solstitialia, Capricornus et Cancer. Tropicis proxima solida anteposita his deformia.

Hic est stellarum ordo utrorumque circulorum: Septentriones duplices ad austrum vertuntur, figura aversis caudis invicem sibi adversantes: inter quas obliquus dilabitur Draco. Sub unius namque pede est Serpentarius, cujus Serpentarii pedes attingunt frontem Scorpionis. A latere autem retro stat Custos: sub pedibus quidem ejus Virgo, habens igneam in manibus spicam: retrorsus vero, vestigiis ejus adjacens Leo, medio æstivo solstitio Cancer et Gemini. Genua autem Agitatoris caput Gemini attingunt: pedes autem ejus Tauri cornibus junguntur, cujus Hœduli desuper obtinent locum Septentrionis. Habet autem Septentrio a dextris juxta Coronam desuper serpentem in manibus Serpentarii, et eum qui in Geniculo stat, et sinistro pede septentrionalis Draconis verticem calcans, unum brachium Libræ, alterum dans Coronæ. Nam minori Septentrione ultimus pes Cephei continetur, Cycnum manu dextra apprehendentis: super cujus alas Equus extendit pedem, et super equum Aquarius extollitur, juxta quem Capricornus est. Sub Aquarii pedibus Piscis magnus Austrinus, constituta ante Cepheum Cassiepeia: et a dorso Agitatoris Perseus pedem extendit: super Persei caput Cassiepeia pedibus properare videtur. Inter Cycnum igitur et eum qui in Geniculo stat, Lyra constituitur. In quorum medio desuper ab oriente Delphinus cognoscitur: sub cujus cauda est Aquila, in proximo habens Serpentarium. Sed jam de Aquilonio circulo dictum est. Nunc ad australem ordinem properemus.

Sub aculeo Scorpionis Sacrarium constitutum est; sub corpore ejus anteriora Centauri videntur, in quo est bestia. Conspicitur et Sagittarii pes summus ex alia parte. Sub australi circulo prope Centauri membra Hydræ cauda, et Cornus; ad genua Virginis urna est posita: a sinistris Orionis (qui et Incola) Fluvius, qui et Padus, necnon et Eridanus: sub pedibus Orionis, qui et Incola dicitur, Lepus splendida effigie conspicitur. Retrorsum vero a pedibus ejus Canis splendida refulget: post cujus caudam Navis constituta est; ad Tauri pedem protendit manum Orion: pedibus Gemini appropinquat Anticanis: super caput Arietis non longe ab Andromedæ pedibus Triangulus positus est; sub Ariete et Piscibus Cetus; connexio vero Piscium communem habet stellam.

Quæritur cur a Jove incepit, et non a musis, ut Homerus? Conveniens magis hoc existimavit principium Phænomenis, uti Jovem invocaret, quod ipsorum carminum origo est Jupiter. Non solus autem ita cœpisse videtur Aratus, sed et Crates Comicus, a Vesta incipiens et profari carmina; Sophron in mimo, qui Nuncius inscribitur, a Vesta incipiens. Omnes invocant Jovem omnium principem. Sed quæritur cujus Jovis meminerit, utrumne fabulosi, an naturalis? Et philosophi quidem plurimi naturalis aiunt eum Jovis meminisse. Sed Crates ait, Jovem dictum cælum; invocatum vero merito, quia in aëre et æthere sunt sidera; et Homerum dixisse Jovem in aliqua parte cælum. Et ipse Aratus, quod dicit Herodotus, Jovem dictum aëra, et Crates quidem ejusdem est opinionis, testemque esse Philonem Comicum dicit. Hoc autem constat et ipsum dicere. Nam quia nihil aliud est Vox, quam percussus aër, videtur convenienter dixisse, quæ rei præstent auctoritatem, plenas Jove vias referens, et omnes hominum conventus. Nihil eorum, quæ in terra sunt, sine aëre est: ratione etiam, cujus omnes usum desideramus. Nam cuncti mortales ostendunt usum suspirio, et cum vivimus, aëre indigemus. At quod ait,

Dextra monstrat, ad auguria pertinet avium. Propter quod et Stoici Jovem esse affirmant, qui per materiam manat spiritus, et similis est nostræ animæ. (Zenodotus autem Ætolus et Diodorus aiunt, nec ad fabulosi Jovis sufficere ejusmodi opinionem: esse enim talem causam Jovis, et convenire omnes vias eo confertas, quas tantum loco ejus describit. Dicendo autem, Etiam genus, ostendit animæ immortalitatem. Bene, propterea quod ait: noverat enim virtuti aliquid æmulum futurum. Dei igitur adversus delicta lenem esse, est, quoniam omnium parens affirmatur, et non solum hominum, sed etiam deorum.)

Vertices extremos, circa quos Sphæra cæli volvitur, Polos Græci nuncupaverunt, e quibus unus est australis, qui terræ objectus a nobis nunquam videtur; alter autem septemtrionalis, qui boreus vocatur, et nunquam occidit.

Duæ sunt Arcti, quarum majorem vocant, Helicem: minorem, Canis caudam. Alterutra quidem harum capita deorsum, alterutra sursum aspiciunt. Altera namque Helice est, quæ apparet prima noctis: altera pusilla quidem, sed a navigantibus observatur; maria enim conturbat. Helicen autem dicit Hesiodus Callisto Lycaonis regis filiam fuisse, et in Arcadia solitam cum Diana venari, et in montibus vagari, et a Jove compressam, rem celâsse Dianam. Quam gravidam, nudam se lavantem cum aspexisset Diana in lavacro, partum ejus accelerans, bestiam eam esse jussit; et dum esset ursa, Arctum enixa est, quem Arcadem vocant. Amphis autem comicus poeta refert, Jovem in Dianæ effigiem transfiguratum in venatione Callisto oppressisse; tempore partus pleno cum vexaretur, Dianæ culpam indicâsse, et iratam Dianam in ursam transfigurâsse. Quæ dum in montibus vagaretur, a quibusdam pastoribus apprehensa, cum puero perducta est ad Lycaonem; post tempus in Lycæi Jovis templum confugientem, cum eam Arcas filius sequeretur, quo eam nefas erat intrare, ab Arcadibus utrique interfecti sunt. Jupiter autem utrosque cæli astris intulit, Ursamque eam nominavit. Ovidius a Junone in bestiam conversam scribit. Habet

autem stellas in capite septem, in singulis humeris singulas obscuras, in armo duas, in pectore unam, in pede priore claras duas, in summa cauda claram unam, in ventre claram unam, in spina unam, in crure posteriore duas, in extremo pede duas, super caudam tres; fiunt omnes XXIV. Porro Arctus minor a pluribus Phœnice, a Græcis Arctophylax, a nonnullis Canis cauda vocatur. Quam Sidones aspicientes continuo navigant. Dicitur a Jove inter astra collocatus, ut duplex honor Helices monstraretur. Agathosthenes quidam in Asiaticis carminibus, Cynosuram dicit Jovis fuisse nutricem, unam ex Idæis nymphis, a qua in Cretæ oppido Hystoe Nicostratus constituit portus, et circa eum locum Cynosuram fuisse cum Telchiniis, qui dicuntur Curetes Idæi. Aratus Cynosuram et Helicen Cretenses Jovis nutrices fuisse dicit, ob quod sunt cælesti donatæ honore.

Habet autem stellas, in humero splendidam unam, in pectore claram unam, in ventre claram unam, super caudam claras tres: fiunt omnes septem supra alias decem, quæ præcedunt et dicuntur ludentes: et maxime altera, quæ vocatur Polus, in quo a quibusdam putatur totus orbis circumverti.

Inter ambas ergo Arctos maximus flexuoso corpore adjacens Draco, qui utramque Arcton flexuoso corpore semicingit, Helices supervolvit caput, Phœnices circumcingit caudam. Hunc Pherecydes dicit inter astra collocatum beneficio Junonis, eo quod cum nuberet Jovi Juno Diis offerentibus munera, Terra quoque obtulerit aurea mala cum ramis, quæ Juno in hortum suum, qui erat apud Atlantem, inferri jussit, et Hesperides Atlantis filias custodes posuit, quæ cum a filiabus Atlantis subtraherentur et sæpe vexarentur, Juno custodem horti Draconem pervigilem implicuit arbori, quem Hercules interfecit, et illa astris intulit. Hunc alii Jovem astris intulisse dicunt, ob memoriam virtutis Herculis, Minervæ objectu, quem illa contortum cælo immisit, et inter Septemtriones locavit. Habet autem stellas, in capite splendidas tres, in corpore vero usque ad caudam XII, ab invicem distantes. Sunt autem omnes XV.

Draconem immensæ magnitudinis, hortorum custo-

dem insomnem, dum a Junone ad custodienda aurea mala esset constitutus, Hercules, cum ad mala aurea profectus fuisset, ut refert Panyasis in Heraclea, fertur peremisse; et idcirco inter astra Jupiter hunc laborem memoria dignum honorâsse, et utrosque sideribus intulisse, ita ut in certamine fuerint eorum habitus, serpentis capite jam defecto; qui ideo in genu stans, manibus sursum extensis, dextro pede contra draconem porrecto pingitur, ut certaminis labor significetur. Ideo pellem leonis in sinistra manu habere fingitur, ut insigne virtutis monstretur, quia leonem inermis interfecisse narratur. Habet autem stellas, in capite unam, in singulis humeris singulas splendidas, in sinistro cubito unam, in eadem manu unam, in eodem brachio unam, in sinistro femore unam; in dextra parte femoris duas, in coxa duas, in genu dextro unam, in eadem tibia unam, in crure duas, in eodem pede unam, in dextra manu unam, in clava, quam eadem tenet manu, unam, in leonina pelle quatuor. Sunt omnes viginti quatuor.

Hæc corona dicitur esse Ariadnes, quam Liber astris intulisse dicitur, dum ejus nuptias dii in insula Creta celebrarent, cogitans præclaram facere, pro qua primum nova nupta coronata est. Sed qui Cretica conscripsit, refert, quia cum Liber ad Minoem regem venisset, ut Ariadnem filiam ejus duceret uxorem, coronam dono Ariadnæ dedisse Vulcani opere factam ex auro et gemmis preciosis, et talis fulgoris fuit, ut Thesea ex Labyrintho liberaret, quæ post astris affixa est, cum in Naxon utrique venissent. (Signum amoris ejus crines ostendunt, et est stellis fulgentibus sub cauda Leonis. Habet autem stellas novem in circuitu positas, quarum tres sunt splendidæ.)

Hic est Serpentarius, qui super Scorpionem stat, tenens utraque manu serpentem, qui ab astrologis dicitur fuisse Æsculapius, filius Apollinis; qui cum medicinæ arte uteretur, mortuos fertur suscitâsse. Quamobrem iratus in eum Jupiter domum ejus ipso fulminis ictu percussit. Rogatu autem Apollinis patris Jupiter ei arte sua rursus post obitum defuncto animam restituisse ad vitam, et inter astra constituisse putatur. Habet

autem stellas, in capite claram unam, in singulis humeris claras singulas, in sinistra manu tres, in dextra quatuor, et duas ex eis claras; in singulis lumbis singulas, in singulis genibus singulas, in dextra tibia claram unam, in singulis pedibus singulas claras. Sunt omnes XVII.

Serpens, quem tenet in manibus, habet stellas in orificio duas, in flexura capitis spissas quatuor, in manu Ophiuchi duas claras, in prima flexura octo, in secunda, quam tenet in dextra manu, alias octo, in tertia usque ad caudam sex. Fiunt omnes stellæ serpentis triginta.

Scorpius sane inter astra a Jove illatus est, pro eo quod ferunt ex terra ortum, submissumque qui Oriona interficeret ob ejus loquacitatem, quod ex venatione nullam se feram relinquere diceret: isque Oriona percussit et occidit, et inde a Jove astris illatus est, ut ejus naturam futuri homines intelligerent. Nigidius autem dicit, Scorpionem ad perniciem Orionis in insula Chio in monte Chelippio ortum, voluntate atque ope Dianæ. Nam cum in monte Celsionio venaretur, irridens Dianam, contemnebat ejus opera, quæ in monte constituebat. Itaque Diana dicitur misisse Scorpionem, qui Orionem vita privaret: postea ab Jove impetrâsse, ut Scorpio in duodecim signorum memoria constitueretur. Hic ob magnitudinem in duo domicilia partitur. Etenim ad aliud tendunt brachia ejus, ad aliud corpus et cauda et aculeus. Habet autem stellas in unoquoque cornu duas, in ore unam claram, in fronte duas, in dorso claras tres, in ventre duas, in cauda quinque, in aculeo duas. Sunt omnes XIX. Ex his quatuor, quæ sunt in Cornibus ejus, duæ priores claræ, et duæ obscuræ Libræ assignantur, quam Chelas Græci dicunt.

Bootes, qui et Arcturus, fertur esse custos Plaustri, eo quod Plaustrum sequitur, id est Septentriones, et quasi succinctus sit Septentrionibus. Hunc dicunt Arcadem Jovis filium esse, de cujus post nomine Arcadia dicta est, quem Lycaon Pelasgi filius, cum Jovem hospitio recepisset, infantem membratim laceravit, et Jovi in epulis apposuit, tentans Jovem, utrum deus esset.

Jupiter autem dicitur domum Lycaonis fulmine incendisse, eoque loco civitatem constructam, quæ Trapezos appellata est; Lycaonem vero convertisse in lupum, Arcadem autem compactis membris ad vitam reduxisse, et cuidam caprario dedisse nutriendum. Qui cum adulta jam ætate esset, matri inscius vim inferre voluit, quos cum incolæ Lycæi montis occidere vellent, Jupiter utrosque liberans, astris intulit: qui ut res gesta est, ita manent, illa Ursæ naturæ, hic impetum faciens, quem Bootem Homerus vocat. Habet autem stellas, in dextra manu quatuor, quæ non occidunt: in capite claram unam, in singulis humeris singulas, in singulis mammillis claras singulas, in dextra parte corporis sub mammilla obscuram unam, in dextro cubito claram unam, inter utraque genua claram unam et magnam quæ est Arcturus: in singulis pedibus singulas. Fiunt omnes XIIII.

Ad adspectum autem Bootis Virgo constituta est, quæ Erigone dicta est, quæ inter Leonem et Libram in Zodiaco locum tenet. Hanc Hesiodus Jovis et Themidis filiam esse dicit, nomine Justam. Hunc secutus Aratus dicit, quod cum esset immortalis, in terris morabatur, et a virorum aspectu se subtrahere solita, cum fœminis consulto ludere et conversari videbatur, et ab eis Justa vocabatur, et nondum inter homines nequitiam, neque navigationem fuisse: sed illam in terris moratam æquitatem hominibus præstitisse eo seculo, quod aureum dicebatur. Sed postquam diminuti homines a pietate quieverunt, illa cum eis minime conversata est: postquam vero hominum mores in deterius versi sunt, in toto se e terris abstulit, et in ea parte cæli habitavit, qua enumeretur. Nonnulli autem eam esse Cererem, eo quod spicas teneat: alii Atargatin; quidam vero Fortunam, pro eo quod sine capite astris infertur. Nigidius de Virgine ita refert: Virginem Justitiam dici sive Æquitatem, quæ ab hominibus recesserit, et ad immortales merito transierit. Nam cum inter mortales conveniret, omnibus locis conciliabulisque solitam consistere, et præcipere hominibus, ne temere a justitia et æquitate discederent: qui quamdiu monitis ejus obedirent, diu in

vita sine cura et solicitudine futuros: sed cum negligentius æquitatem observantes declinarent, insidiisque, cupiditate et avaritia alter alterum deciperet, ab hominibus discessisse, et digna cælesti numero immortale præmium pietatis possedit. Habet autem stellas in capite obscuram nimis unam, in singulis humeris singulas, in unaquaque ala obscuras duas: ex eis quæ sunt in dextra ala, a parte humeri, est clara una, et in singulis cubitis singulas, in singulis manibus singulas: illa quæ dextra, clarior est, et vocatur Spica: in tunica obscuras sex, in singulis pedibus singulas. Sunt omnes decem et novem.

Hi dicuntur Castor et Pollux, fratres Gemini maxima concordia, e quibus cum unus cecidisset in pugna quam adversus Athenienses gerebant, alter immortalitatem accepit, quos Jupiter utrosque cælo intulit sideribusque Geminos nominavit, qui salutares sunt appellati. Nam et horum stellæ ita se habent ut, occidente una, oriatur altera. Alii volunt Zethum et Amphionem esse, ideo unus zonam, alter lyram habet. Nigidius deos Samothracas dixit, quorum argumentum nefas sit enumerare, propter eos, qui ministeriis præsunt. Item dicit Castorem et Pollucem, Tyndaridas, Geminorum honore decoratos, quod principes pacationis dicantur: quod mare totum prædonibus maleficisque pacatum reddidissent, et quo in tempore navigaverint cum Jasone atque Hercule ad pellem inauratam auferendam, multis laboris tempestatibusque conflicti, periculorum atque animorum experti, impendia laboribus liberare studuerunt: atque cum a Jove essent elati, petierunt a patre, ut sibi liceret in eo cæli loco constitui, unde mortalibus auxiliantes prospicere possent. Quamobrem eis concessum est immortali memoria locoque constitui, et plerisque mortalibus auxiliantes sui conspectus gratiam præbent. Quorum prior habet stellas, in capite claram unam, in singulis humeris singulas claras, in dextro cubito unam, in eadem manu unam, in singulis genibus singulas, in singulis pedibus singulas. Sunt omnes novem. Alter qui Propus appellatur, is juxta cancrum est, habet stellas, in capite claram unam, in singulis mammillis singulas, in sinistro cubito duas, in eadem manu unam, in sinistro genu

unam, in singulis pedibus singulas, in sinistro pede ultimæ distantiæ unam: quæ vocatur Propus. Fiunt simul decem. Hi sunt inter duodecim signa zodiaci circuli: sed in medio circulo æquinoctiali tropici hiemalis, qui Australis appellatur, sita sunt.

Cancer in astris positus esse dicitur, beneficio Junonis, quod cum Hercules cum Hydra ad fontem Lernæum depugnaret, hic Cancer Herculis pedem morsu deprehendit, ut Panyasis auctor dicit, quem miratus Hercules, calcatum contrivit, beneficioque Junonis magnis honoribus decoratus est. Idem duodecim signorum numero annumeratus. Sunt in hoc signo aliæ stellæ, quas Græci ὄνους dicunt, quod cum Liber a Junone insania objecta fugeret, ad occursus Dodonæi Jovis, ejusque in templo responsa peteret, ut Philiscus refert, magni imbres cum grandine orti sunt, ea parte qua transiturus erat; asinis e contrario transeuntibus per aquas, in uno ex his sedens et ipse transvectus est sine periculo, et ab insania liberatus. Uni autem ex his effecisse dicitur, ut voce humana loqueretur, et post paucum tempus cum Priapo contendere cœpit de membro naturali. Priapus compressum asinum occidit. Jovis autem beneficio utrique immortali honore donati astris sunt illati. Est et altera origo, quæ infertur ab aliis: quod cum adversus gigantes dii bellum agerent, idem Liber et Vulcanus et Satyri asinis insidentes profecti sunt ad pugnam. Quod genus viso tumultu diro, cum murmure rugîssent, gigantes eorum voce territi fugerunt, et confestim dii de gigantibus triumphaverunt; et idcirco una cum præsepio suo astris sunt illati, et in signo nobilis Cancri positi, cujus cursum ad occasum tendit. Habet autem stellas in cornibus anterioribus duas claras, et tres obscuras, quæ appellantur Nubilum: quod circa eum videtur, Præsepium dicitur: in ore unam, in dextris pedibus singulas: sunt quatuor obscuræ; in sinistris priores claras duas, in secundo unam, in tertio unam, in extremo minore unam, in testa duas. Sunt omnes XVI.

Leo beneficio Junonis inter astra collocatus dicitur, eo quod virtute cæteras præcellat. Periandrus Rhodius refert, eum ob primos labores Herculis, memoriæ causa,

honorifice astris illatum. Nigidius refert, hunc Leonem nutritum apud Lunam jussu Junonis, et in terra Arcadia in regione Nemææ in spelunca Mihdimon nomine fuerit, quam quidam Aphriso dicunt, et jussu Junonis ad Herculis exitium dimissum, quem Hercules jussu Eurysthei interfecit cum Molorcho hospite suo, cujus clavam pro viribus tributam principio est adeptus, cum qua Leonem interfecit, itaque postea clava pro gladio, pelle pro scuto reliquo tempore uti cœpit, et apud omnes mortales gratus ob virtutem haberi cœpit; Junoni porro magis odio esse. Quapropter leonem cælesti memoria dignatum voluntate Junonis nos arbitramur. Hic notabilis et maximus inter signa est. Plerique volunt Nemææ gymnicos ludos ob hunc Leonem institutos. Hic totus figuratur. Habet stellas, in capite tres, in collo duas, in pectore claram unam, in spina tres, in cauda media unam, in ultima cauda claram unam, in medio ventre unam, sub pectore duas, in priore pede claram unam, sub ventre unam claram, in medio ventris unam, in posteriore pede claram unam, in genu posteriori claram unam. Fiunt omnes decem et novem. Videntur aliæ stellæ obscuræ septem juxta caudam ejus, quæ vocantur crines Berenices, et sunt earum virginum quæ Lesbo perierunt. Illa autem magna et clara, quæ in pectore ejus est, appellatur Tyberone.

Hic agitator Erichthonius dicitur fuisse Vulcani et Minervæ filius. Qui Vulcanus cum Jovi fulmen efficeret, ab Jove promissum cœpit, ut quicquid vellet præsumeret. Ille Minervam in conjugem petivit. Jupiter imperavit Minervæ, ut virginitatem defenderet. Dumque cubiculum introirent, certando Vulcanus semen in pavimentum jecit, unde natus est Erichthonius, quem Minerva in cista abscondit, draconeque custode apposito, duabus sororibus Aglauro et Pandroso commendavit. Hic primus currus homines equis junctis docuit similes quadrigæ solis facere. Primum Panathenæa constituisse, arcem templumque ædificâsse dicitur, quem Jupiter miratus astris receptum memoriæ tradidit. In hoc signo et Capra est, quam in humero portat, quæ Jovem nutrivit. Itemque ejus filii Hœdi, quos auriga in brachio

portat, qui fluctus significare dicuntur, noscuntur. Musæus de capra hoc refert: datur Jovis infans nutriendus Themidi Amalthææ, quæ fuit domina capræ, quæ ex ea Jovem nutrivit. Esse autem hanc capram filiam Solis dicunt, cujus aspectus tam atrox fuisse dicitur, ut Titanes eam timerent, rogarentque matrem Terram, ut eam abderet. Terra autem in antro clausam Amalthææ tradidit custodiendam, ibique Jovem cum cura Amalthææ educâsse. Qui cum esset juvenis, et ille contra Titanes inermis vellet pugnare, ejus pellem dicitur acceptam pro scuto habuisse, quod semper Titanibus agitator timori fuerit, et dicebatur media pelle Gorgoneum caput habere; eo tectus tegmento capræ, tergo alterius pellis tecta restituit, vitæ etiam immortalitate donavit, cælique astris intulit, et ejus pellem appellavit. Aliis placet, agitatorem Myrtilum esse, Mercurii filium, Œnomai aurigam, et a patre Mercurio astris illatum, cujus caput non multum distat ab Helice, genua apponuntur Geminis, pedes juxta Tauri cornua. Habet autem stellas, in capite unam, in singulis humeris singulas, sed ea est clarior, quæ in sinistro humero est, et appellatur Capra: in singulis genibus singulas, in dextra manu unam, in sinistra duas, et super ipso brachio stellas duas, quæ vocantur Hœdi. Sunt omnes simul decem.

Porro Taurum inter astra quidam putant positum, propter Jovem, quod in bovem sit fabulose conversus. Nigidius hunc Jovem a Neptuno fratre per gratiam adduxisse, qui in figura Tauri sensum humanum haberet, quem Jupiter Sidonem misit, ut Europam Agenoris filiam ad se portaret, isque per pelagus Sidonem venit, ibique Europam inter æquales suas ludentem in templo Æsculapii conspexit, eamque repentino arreptu collocatam suo tergo devexit ad Jovem in insulam Cretam. Ob hanc igitur causam Jupiter Taurum sideribus dignatus est immortali memoria inferre. Eratosthenes dicit, hunc esse qui coiit cum Pasiphae. Cujus priores partes apparent, reliquum corpus non apparet propter fœmineum sexum. Spectat autem orientem. In signo autem Tauri frons et facies, Hyades vocantur, quas Pherecydes Athenæus nutrices Liberi dicit, quæ Dodonides

nymphæ vocantur. Quæ cum a Lycurgo captivitatem timentes, fugerent Thebas, ne sibi a Junone aliquid paterentur, Jupiter cælo illatas sideribus honoravit, Hyadesque appellavit, quod nascente Libero eas invenerit, quas in signum temporis posuit; vel quod sint pluviales: ὕειν enim pluere est, quia earum ortus imbres concitat: vel quia in modum Y literæ positæ sunt. Musæus et ista refert: Ex Atlante et Hya duodecim filiæ procreatæ sunt, et filius Hyas, quem dum ab apro vel Leone occisum sorores omnes nimis diligentes flerent, obierunt; e quibus quinque stellas figuratas Hyades appellaverunt; septem autem, Pleiades. Myrtilus autem quinque filias Cadmi esse dixit. Habet autem Taurus stellas, in capite quinque, quæ Hyades appellantur: id est in cornibus singulis singulas, in fronte duas, in naribus unam: hæ sunt Hyades; in singulis genibus singulas, in ungue anteriore duas, in palearibus duas, in collo unam, in dorso tres, e quibus novissima splendida est; in ventre splendidam unam, in pectore unam, in palla unam. Sunt omnes XVIII ab excisione Tauri usque ad id quod septem stellæ sunt, quas quidam Pliades vel Pleiades dicunt, quæ non videntur simul, eo quod septima obscura sit.

Cepheus in ordine quarto loco positus est, quem Septentrionalis circulus occupat, a pedibus usque ad pectus; reliquus medius est Arcturo, Æstivo tropico circulo. Fuit ergo, sicut Euripides scribit, Æthiopum rex, Andromedæ pater, qui filiam suam ad cetum dicitur exposuisse, quam Perseus salvavit; ejusque causa et ipse pater beneficio Minervæ sit astris illatus. Habet quidem stellas, in capite splendidas duas, in singulis humeris singulas, in singulis manibus singulas claras, in singulis cubitis obscuras singulas, in zona tres obliquatas, in dextra coxa unam, in sinistro genu duas, supra pedes quatuor, in ultimo pede unam. Sunt omnes XIX.

Cassiepeia interea (ut refert Sophocles carminum vates) dicitur præposuisse formam suam Nereïdibus, ob quam rem ira Neptuni Ceto transmisso vastabatur eorum terra; expostulatamque Andromeden et Ceto propositam; ob quam rem longe habitus eorum diversus est. Ita autem est: Cassiepeia in sella sedens habet in capite stellam

claram unam, in singulis humeris singulas claras, in dextra mammilla claram unam, in dextra manu claram et magnam unam, in sinistra manu claram unam, in umbilico claram et magnam unam, in sinistro femore duas, in eodem genu claram unam, in unoquoque angulo sellæ, in qua sedet, singulas claras. Sunt omnes XIII.

Andromeda filia fuit Cephei et Cassiepeiæ, quæ adamata est a Cupidine, et datum est responsum, ut traderetur Ceto ad devorandum. Quæ suspensa inter duos montes, et exposita Ceto est cum omnibus ornamentis, a Perseo autem liberata est, et ob id Persea dicta; beneficioque Minervæ astris recepta est. Euripides etiam dicit intra astra collocatam, ut labor Persei æternus pateret, manibus ejus extensis, quemadmodum Ceto opposita est. Quæ cum a Perseo liberata esset, neque patri neque matri voluit commorari, sed continuo cum Perseo profecta est. Habet stellas, in capite claram unam, in singulis humeris singulas, in singulis cubitis claras singulas, in dextra manu claram unam, in eodem brachio claras duas, in zona tres, sub zona quatuor, in singulis genibus claras singulas, in dextro pede duas, in sinistro pede unam. Sunt omnes XXI.

Equus præterea dimidius est, priore parte patens usque ad umbilicum. Aratus dicit super Geniculatorem situm, et jam astris illatum, eo quod a celsitudine Heliconis montis percusso pede dextro aquam produxit, quem liquorem Hippocrenen dicunt. Quidam pro eo quod Jupiter eo usus fuerit. Nonnulli vero Pegasum putant, qui ad astra pro Bellerophontis interitu evolaverit. Euripides dicit, Menalippen Chironis filiam esse, quæ compressa, gravida profugit in Pelion montem, et dum a patre comprehendi timeret, deorum misericordia conversa in equum ad astra conscendit, cujus posteriores partes corporis propter fœminei sexus pudorem non videntur. Habet autem stellas, in facie claras duas, in capite claram unam, in singulis auribus singulas claras, in maxilla unam, in ala proxima capiti claram unam, in humero alæ dextræ unam, in media ala unam, in extremis pennis unam, in armo unam, in pectore unam, in spina unam, in umbilico claram unam, in singulis genibus singulas, in singulis ungulis singulas. Fiunt omnes XVIII.

Aries, ut Hesiodus et Pherecydes dicunt, inter astra collocatus est propter Phrixum et Hellen, Athamantis et Nebulæ filios. Qui cum novercam occidere vellent, insani a Libero dicuntur effecti; qui dum in silva errarent, mater eis Arietem aurata pelle fertur adduxisse, qui cum navigare vellent, in mare projecti sunt, quod pelagus ab Helles nomine Hellespontus vocatur. Helle autem (ut aiunt) a Neptuno salvata est, et ex ea puerum Pæonem genuit. Phrixus autem insidens præparato arieti, Colchos adductus est ad Æetam regem, ibique Arietem Marti immolavit, eique suam auream pellem concessit, antequam inter astra processisset, quam Draco custodivit. Genitum autem hunc Arietem dicunt ex Neptuno et Theophane, Altidis filia, quam cum adamâsset, in insulam Crinnissam traduxit, inque ovem convertit, cum qua in Arietem mutatus concubuit, ex qua Aries chrysovellus natus. Nigidius hunc Arietem dicit ducem et principem esse signorum zodiaci circuli. Immortali autem honore donatum, quod cum Liber exercitum in Aphricam duceret, et aquæ inopiam pateretur, subito Aries ex arena exivit, et Liberum cum suo exercitu ad aquam perduxit divinitus. Hoc facto Liber eum Arietem Jovem Ammonem appellavit, eique fanum magnificum fecit, eo in loco, in quo reperta est aqua, et abest ab Alexandria itinere dierum novem, locus arenosus et serpentum multitudine plenus, et ab arena Ammon est nominatus. Præterea Aries dux aquæ, immortalis mutatus, et cæli sidera consecutus. Convertit autem caput ad Taurum, ipse autem assequitur aliis signis. Habet autem stellas, in capite unam, in auriculis tres, in collo duas, in summitate pedum anteriorum singulorum singulas, in dorso quatuor, in cauda unam, in ventre tres, in summitate singulorum pedum posteriorum singulas. Sunt omnes XVIII.

Super caput Arietis non longe ab Andromedæ pedibus adjacet signum quod Græci ob similitudinem Deltæ literæ Deltoton vocant, Latini autem ob proprietatem formæ Triangulum dicunt. Quod quidam a Jove per Mercurium inter astra positum dicunt, super caput Arietis, pro eo quod obscurum esse dicitur. Quidam vero

dicunt, Ægypti esse effigiem, stellis figuratam in tribus angulis, id est trigono, et Nilum talem ambitum facere. Habet autem stellas tres, in singulis angulis singulas, e quibus una est clarior.

Pisces hi sunt, et major Piscis. Nigidius hos Pisces dicit in flumine Euphrate fuisse, et ibi ovum invenisse miræ magnitudinis, quod volventes ejecerunt in terram, atque ita columbam insedisse, et post aliquot dies exclusisse eam Syriæ quæ vocatur Venus; maxime quæ misericors ad homines pertinebat; quæque multa quæ ad utilitatem hominibus verterentur, ea dicitur invenisse. Quæ quoniam Jupiter sæpius a Mercurio laudari nominarique audiret, quod in deos religiosa, in hominibus officiosa diligenter fuerit, rogata a Jove, quod sibi optanti tribui postularet, illa ait, Ut pisces, qui suam originem servâssent, immortali præmio afficerentur. Jupiter in duodecim signis Pisces siderum splendore decoravit. Unde hodie quoque Syri neque hos Pisces edunt, et columbas potestate decorant. Horum autem unus aquilonius est, alter australis, ex adverso caudis utrinque positis. Habent inter se alligamentum luteum, continens usque ad priores pedes arietis. Andromedæ autem humerus dexter, piscis est signum. Habet idem aquilonius stellas duodecim. Alligamentum luteum, quo continentur in parte boreæ, habet stellas tres, in parte noti tres, ad orientem tres, ad occidentem tres. Australis piscis quindecem. Sunt omnes XXXIX.

Perseus quidem ex Danae et Jove natus est. Jupiter enim in similitudinem aurei imbris se tranformans oppressam delusit Danaen, Acrisii regis Argivorum filiam; quam pater a Jove ut vitiatam cognovit, intra arcam includens præcipitavit in mare; quæ delata ad Italiam, inventa a quodam piscatore, et oblata regi, eam sibi fecit uxorem, una cum Perseo quem enixa est in mari. Qui missus ad Polydecten regem insulæ Seriphi, acceptis a Mercurio talaribus, et a Vulcano harpe adamantina, per aëra iter faciens ad Gorgones, Phorci filias, venisse perhibetur, quæ angues pro crinibus dicuntur habuisse, quosque vidissent in lapides convertere. Gorgones tres feruntur fuisse sorores, uno oculo, una pulchritudine

inter se communicantes; quarum nomina putantur, primæ Stheno, secundæ Euryale, tertiæ Medusa. Quidam vero eum a Minerva missum dicunt, et ab ea clypeum vitreum accepisse, per quem videre nec videri ab eis posset. Qui cum Gorgones dormientes invenisset, caput Medusæ abscidit et Minervæ tradidit, quod illa in suo pectore aptavit, ut in bello terribilior esset. Perseum autem inter sidera collocavit. Habet autem stellas, in capite unam, in singulis humeris claras singulas, in manu dextra claram unam, in eodem cubito unam, in manu sinistra unam, in dextra parte lumborum claram unam, in sinistro femore claram unam, in singulis genibus singulas, in singulis tibiis singulas, in singulis pedibus singulas, in capite Gorgonis circumquaque tres, in harpe unam. Fiunt omnes XVIII.

Pleiades a pluralitate Græci vocant; Latini, eo quod vere exoriantur, Vergilias dicunt. Dicit autem Pherecydes Athenæus, septem sorores fuisse, Lycurgi filias, ex Naxo insula, et pro eo quod Liberum educaverunt, a Jove inter sidera sunt relatæ. Harum nomina putantur, Electra, Alcyone, Cæleno, Asterope, Merope, Taygete, Maia: quarum septimam, ut ait Aratus, vix intueri licet, quam quidam præ timore Orionis fugisse putant; quidam a Sole persecutam arbitrantur, vocatamque Electram, quæ non sustinens videre casus pronepotum, fugerit. Unde et illam dissolutis crinibus propter luctum ire asserunt, et propter comas quidam Cometen appellant. Nonnulli vero Meropen esse autumant, quæ nupta a quodam viro nominata est Hippodamia. Musæus autem refert, filias Atlantis fuisse septem, ex quibus sex claræ sunt, una obscura; cum diis concubuerunt, tres cum Jove, et ex Electra Dardanus, ex Maia Mercurius, ex Taygete Lacedæmon; cum Neptuno duæ, Alcyone, ex qua Herus, Cæleno, ex qua Lycus; cum Marte Asterope, ex qua Œnomaus; Merope cum Sisypho. Magnam apud homines dignitatem habent.

Lyram inter astra collocatam dicunt, propter honorem Mercurii, qui eam condidit ex testudinis similitudine de Apollinis boum cornibus; qui intendit chordas septem Atlantidum numero. Regrediente igitur Nilo ad suos

meatus, inter cætera relicta etiam testudo est, quæ cum putrefacta fuisset et nervi ejus extensi intra corium remansissent, percussa a Mercurio sonitum dedit; in cujus similitudinem Mercurius Lyram fecit, quam postea Apollini datam, alii Orpheo dicunt, eo quod unius ex musis, id est Calliopæ, sit filius. Fecit autem chordas novem juxta numerum musarum. Tantæ namque dicitur dulcedinis in modulando fuisse, ut arbores, saxa, bestias, atque inferos commoverit ob conjugis Eurydices desiderium, ad inferos descendens. Qui cum Apollinem maximum deorum honoraret, Liberum autem patrem, a quo fuerat glorificatus, minime glorificaret, sedens in Pangæo monte, et expectans solis ortum, Liber indignatus misit Bacchas, ut Æschylus scribit, quæ eum membratim discerperent, collectisque membris ejus sepelierunt eum in Lesbiis montibus; ejus Lyram Musæo dederunt, Jovemque rogaverunt, ut ejus memoriam astris inferret. Habet autem stellas, in utrisque pectinibus singulas, in cacumine chordarum singulas, in utrisque humeris singulas, in fundo unam, in modulo unam, in tympano claram atque candidam unam. Sunt omnes novem.

Cycnum dicunt inter astra constitutum, eo quod Jupiter in Cycnum transfiguratus evolaverit in ramum Atticæ regionis, ibique compresserit Nemesin, quæ et Leda dicitur, (ut refert Crates tragœdiarum scriptor) quæ enixa est ovum, unde nata est Helena: sed quoniam Jupiter rursus in cælum in Cycnum transfiguratus se recepit, ut fuit pennis tensis, simulacrum ejus sideribus reliquit. Habet autem stellas, in capite claram unam, in dextra ala quinque, unam claram quæ est erga collum, in sinistra ala quinque, in pectore unam, in cauda unam, quæ est amplissima. Sunt omnes XIV.

Porro Aquarius nomen accepisse dicitur, quod ejus exortu imbres plurimi fiant. Quidam volunt, Ganymeden eum esse, Troili et Callirrhoes filium, qui cum in Ida monte venaretur, ob nimiam pulchritudinem a Jove adamatus, et per aquilam raptus, inter astra est collocatus. Dehinc Aquarius dictus est, quod undas funderet. Nigidius Hydrochoon sive Aquarium existimat esse Deucalionem Thessalum, qui maximo cataclysmo sit relictus

cum uxore Pyrrha in monte Ætna, qui est altissimus in Sicilia; et posteaquam se et uxorem suam in terra relictum censuit, orbitatis et vastitatis misertus, ab Jove precari cæpit, ut aut et ipsi interirent, aut hominum genus restituerent. Jupiter respondit et per sortem indicavit, ut lapides, quos ante se reperissent, post se jactaret. Reversi itaque, quotquot Deucalion misit, viri fiebant; quos Pyrrha, fœminæ. Quo facto rursus hominum genus natum est, ob quam rem λαὸς Græce populus dicitur, quia lapis antiquitus Græce λάας appellabatur. Ab antiquis quidem dicitur Aristeus filius Apollinis fuisse, quem Apollo dicitur ex Cyrene procreâsse, quam compressit in monte Orpheo, qui Cyrenis est appellatus. Aristeus dicitur omnibus artibus doctus fuisse, quibus cæteros homines ad bonos fructus utilitatemque perducebat. Is, cum Caniculæ signum pestiferum oriretur, et statim præsentes fructus læderentur, et homines diuturna pestilentia afficerentur, factum est, ut a diis impetraretur, maxime Neptuno, Jovis fratre, ne tempestatibus et ventis pateretur genus humanum affici indignis calamitatibus. Itaque venia data, constitutum est a diis ut, Caniculæ stellæ exortu, venti perflarent dies circiter quadraginta, ejusque pestilentiæ vim abscinderent. Quapropter Aristeus a diis inter astra est collocatus. Habet autem Aquarius stellas, in capite obscuras duas, in singulis humeris singulas amplas, in sinistro cubito unam, in dextro cubito unam, in singulis mammillis singulas, sub mammillis singulas, in dextro lumbo unam, in singulis genibus singulas, in dextra tibia unam, in singulis pedibus singulas. Sunt omnes XVIII. Effusio vero aquæ dextra lævaque fit stellis XXXI. Quarum duæ splendidæ sunt, cæteræ vero obscuræ.

Capricornus sane similitudinem habet Ægipanos; habet enim posteriorem partem Piscis, priorem Capricorni; et hunc honorem dicitur assecutus, eo quod cum Jove sit nutritus. Epimenides dicit in Ida utrosque nutritos, et ad Titanum bellum cum Jove esse profectum; quem Jupiter victor astris intulit, quod ejus opera dii armati essent; itemque matrem ejus Capram, quod Di-

colon invenisset in mari, ideo Piscis cauda notatam. Nigidius Capricornum refert immortali honore donatum quo tempore Typhon in monte Tauro speluncam haberet, et Ægyptum incoleret, ab Joveque concessum habuisset quemadmodum diis posset obsistere, cum eis consilium panderet, si neque terras relinquere vellent, neque Typhonis immanitati resistere dii possent, inconsulte figuras immutaverunt, in quam quis vellet, seu bestiam, seu volucrem, seu piscem pecudemve, Typhon se in capram transmutâsset; itaque immortales figuris ignotis Typhonis ante oculos crebro versabantur; unde adhuc maxime pro diis multas bestias observant coluntque Ægyptii. Et cum venit Typhoni neminem deorum adversari, sibimet vacuam cognovit dominantibus, arbitratus deos se veritos, propter metum: dominabatur imperitis fortunæ varietate, et periculi magnitudine instantis. Nam post XVIII dies dicitur consilium de eo repente a diis factum ut interficeretur; ob idque usque hodie in Ægypto hos dies, id est XVIII, festos perpetuo, annis singulis instituerunt; in quibus diebus qui nascitur, amplius quam eos non vivit. Typhon autem fulmine interficitur ab Apolline, in templo Ægypti Memphis, ubi mos fuit solio regio decorari reges qui regnabant. Ibi enim sacris initiabantur primum, ut dicitur, reges, satis religiose tunicati: et Tauro quem Apim appellant, jugum portare fas erat, quem deum maximum Ægyptii existimant, et per vicum unum duci, ut periti existimabant, labore humanæ necessitatis, ut crudelius quæ sub eis sint abutantur. Deducitur autem a sacerdote Isidis in locum, qui nominatur Adytos, et jurejurando adigitur, neque mensem, neque diem intercalandum, quem in festum diem immutarent, sed CCCLXV. dies peracturos, sicut institutum est ab antiquis. Sed illo revertamur, unde digressi sumus. Igitur dii postea quam Typhonem pœna affecerunt et interfecerunt, sancta astrorum memoria decoraverunt, et ei nomen Ægyptii, Ægipana imposuerunt, quod cum tanti dii se in bestias convertissent, Typhon se in Capram transfigurabat, oppidumque magnificum in Ægypto ædificaverunt, quod Panopolin appellaverunt. Habet autem stellas, in singulis cornibus duas, in nari-

bus claram unam, in capite claras duas, sub collo unam, in pectore duas, in anteriore pede unam, in summitate ipsius pedis unam, in dorso septem, in ventre quinque, in caudæ extremitate claras duas. Sunt omnes XXVI.

Porro Sagittarius Scorpione oriente ascendit, quo ascendente Orion occidit totus, et Cepheus a vertice et humeris cum manibus, in cujus signi regione zodiacus circulus humillimus est propter equina crura. Quidam negant, dicentes, nunquam Centauros ullis sagittis usos fuisse. Quidam autem dicunt, quod quadrupes esse non videatur, sed stans bipes sagittarius. Hic autem homo equinis pedibus est, et caudam habet veluti sagittarii. Sositheus autem, tragœdiarum scriptor, illum affirmat esse Crotonem, Euphemes Musarum nutricis filium, et inhabitâsse Heliconem, atque sagittis et venatu vitam exegisse, qui inter Musas sæpius commoratus, plausu cantus earum distinguebat, id est ad pedem manibus plaudebat, quo alii timerent. Hunc Musæ beneficio Jovis astris intulerunt, cujus artes, id est plausus et sagittæ, inter mortales mansere. Nigidius de Crotone idem dicit, sed non conversatum cum Musis; sed dum illæ cantus chorosque celebrarent, hunc procul auditu repentino plausu ad pedem feriendo oblectare canentes, ob hoc eum a Jove immortali memoria earum rogatu donatum, quod esset nutricis earum filius, idem Oceani nepos. Habet autem stellas, in capite duas, in arcu duas, in acumine sagittæ duas, in dextro cubito unam, in eadem manu unam, in ventre claram unam, in spina duas, sub cauda duas, in anterioribus geniculis singulas. Sunt omnes XV. Reliquæ vero septem, subter crura, similes quidem sunt posterioribus, quæ non ostenduntur, quod Centaurus duplex sit: jaculum autem ejus, ex quo dicunt omnes Cyclopas ab Apolline interfectos, qui Jovis fulmina fecerant, obsconditum fertur ad aquilonem, et peracta, ac potius sedata lite, assumptum, et ad pedes sagittarii inter astra collocatum. Habet autem stellas quatuor, in summo unam, in medio obscuram unam, in pennis duas, unam vero splendidiorem aliis.

Aquilam sane inter astra collocatam dicunt, propter Ganymedem Jovis ministrum, quem rapuit in cælum.

Est enim ea signum Jovis, quod cum dii omnes volucres inter se dividerent, eam in portione sortitus sit Jupiter, quod altius cunctis volantibus evolet, et pene inter omnes principatum teneat, et quod sola avium Solis radiis non terreatur. Namque ita est spectans ad orientem pennis tensis. Aglaosthenes dicit Jovem in aquilam transfiguratum Naxiam regionem ubi nutritus fuerat petiisse, et regnum accepisse. Egresso vero de Naxo cum adversus Titanas proficisceretur, et sacrificium faceret, aquilam ei in auspicio apparuisse, et fulmina ministrâsse, quam bono omine acceptam tutelæ suæ subjecisse. Habet autem stellas, in capite claram unam, in humeris singulis alarum singulas, in pectore obscuram unam. Sunt omnes quatuor. Sagitta autem, quam tenet in pedibus, dicitur sagitta Apollinis fuisse, cum qua Cyclopas interfecit, eo quod Jovis fulmina facerent, quod eo telo Æsculapius ejus filius a Jove esset interfectus, quam sagittam astris illatam in memoriam virtutis suæ reliquit. Habet autem stellas quatuor, in summo unam, in medio unam, in pennis sagittæ duas.

Neptunus, ut Artemidorus refert, Amphitriten voluit in conjugium accipere, quæ cum ob verecundiæ magnitudinem et virginitatis observantiam ad Atlantem confugisset, Neptunus post eam multos misit, qui eam peterent, inter quos et Delphinum [misit, qui eam peteret.] Quæ cum circa insulas Atlantis moraretur, reperit eam, nunciavitque Neptuno, quam ille suis persuasionibus ad suam perduxit voluntatem, Delphinoque maximos honores in mari tribuit, quem in astris intulit et in manu sua habere instituit. Habet autem stellas novem, et ideo musicum signum dicitur, eo quod in numero musarum stellas habet, in ore unam, in solio duas, in pinnulis ventris tres, in dorso unam, in cauda duas. Sunt omnes novem. Delphinus autem non multum currit supra Capricornum.

Orion, qui et Incola dicitur, ante Tauri vestigia fulget, et dicitur Orion, ab urina, id est ab inundatione aquarum. Tempore enim hiemis habet ortum, cum mare et terras aquis et tempestatibus turbat. Hunc Romani Jugulam vocant, eo quod sit armatus, ut gladius stellarum luce

terribilis et clarissimus, qui, si fulget, serenitatem portendit: si obscuratur, tempestatem annuit imminere. Hunc Hesiodus dicit Neptuni et Euryales filium, cui dono datum est a Neptuno, ut super fluctus ambularet, veluti supra terram. Qui cum Chium venisset, Meropem Œnopionis filiam compressit, quem Œnopion ob injuriam excæcavit, et de finibus suis expulit. Ipse cum Lemnum venisset, a Sole dicitur ei lumina restituta esse, et reversus est ad Œnopionem, qui cum a civibus terra absconderetur, Œnopion, desperata ejus inventione, Cretam est profectus: ubi cum immodice venaretur, et a Diana corriperetur, ait se nullam feram in terris relicturum. Tellus indignata Scorpionem extulit miræ magnitudinis, qui pœnas magniloquentiæ ejus exigeret, Jupiter autem Orionem ob virtutem astris intulit. Idem rogatu Dianæ Scorpionem inter astra duodecim cælo collocavit, quorum contra magnitudinem stellæ quoque eorum amplissimæ sunt. Aristomachus autem dicit Erythrea quendam Thebis voto petîsse, ut filium haberet, ad quem Jupiter Mercurius et Neptunus hospitio devenerunt: qui eis hostiam immolavit, ut filius nasceretur; cujus bovis pelle detracta, dii in eam urinam fecere, jussuque Mercurii, terra obruta est, unde puer supradictus est natus, quem Urionem appellaverunt et astris intulerunt. Quidam autem dicunt Urionem Methymnæum, qui cum esset citharæ potens, rex Corinthiorum Pyranthus nomine eum dilexit, qui cum a rege impetrâsset ut civitatem arte sua illustraret, et magnum patrimonium acquisivisset, consenserunt famuli cum nautis, ut eum interficerent; quem cum vellent interficere, petiit ab eis ut ante decantaret. Cum autem citharæ sonus cum voce ejus audiretur, Delphini circum navim venerunt, ille super unum ex his se præcipitavit, qui eum sublatum ad Regem Pyranthum Corinthum detulit. Delphinus subductis per æstum aqüis exanimatus est. Qui cum suos casus Pyrantho narrâsset, jussit rex Pyranthus Delphinum sepeliri, et ei monumentum fieri: post aliquantulum temporis navis, qua Orion devectus fuerat, Corinthum delata est. Nautas cum ad se adduci rex imperâsset, et de Orione inquireret, dixerunt eum

obiisse. Quibus ille, Crastino, inquit, die ad Delphini monumentum jurabitis: eosque custodiri mandavit, atque Orionem ita ornatum sicut se præcipitaverat, in monumento Delphini delitescere. Cum autem adducti per Delphini monumentum jurarent Orionem obiisse, et de monumento prodiisset, illi eum videntes obmutuerunt, ibique regis imperio crucifixi sunt. Dehinc Jovis miseratione dicitur Orion cum Delphino inter astra positus. Nigidius autem refert quodam tempore Jovem cum cæteris diis apud Musæum Bistoniorum regem hospitio dapsili copiosoque affectu prædito in hilaritate constituisse, ut in corio Tauri qui tunc immolatus fuerat, mingerent, eoque loco in corio terra obruta natus sit Orion, qui factus adolescens digna deorum forma atque egregia virtute incitatus, immortali memoria obtemperabat, quibus ortus dicebatur. Nam cum in Celinio venaretur, Dianam irridens contemnebat ejus opera, quæ in monte constituebat. Itaque Diana misisse dicitur Scorpionem qui Orionem vita privaret: Orion, vita privatus, sideribus illatus est. Habet autem stellas in capite claras tres, e quibus media est splendidior cæteris: in singulis humeris singulas claras, in dextro cubito obscuram unam, in eadem manu unam, in zona tres, in gladio, quem tenet in manu, tres: in singulis genibus singulas, in singulis pedibus singulas, in mantili tres. Sunt omnes XVII. et decem ex eis obscuriores.

Sirius stella est in medio Centro cæli, ad quam cum Sol accesserit, duplicatur calor ipsius, et languore afficiuntur corpora humana. Sirium autem stellam vocatam putant propter flammæ candorem. Latini autem illam Caniculam vocant, unde et dies Caniculares dicuntur, quia quamdiu Sol in ipsa est, pestifera est, sed pro qualitate adjacentium commutatur. Nam aut vincitur, aut morbosis utitur viribus. Hinc est, quod, cum certo tempore oritur, non semper est noxia. Quidam vero dicunt, Canem fuisse, quæ Europæ cum dracone custos data est, quæ postea Minos utraque accepit. Eandem postea ob medicinæ causam Procridi in munere datam, quæ postea Cephalus utraque possedit, vir Procridis, qui eam ad Thebas duxit ad vulpem Thebanorum agros

infestantem; cui Cani fatum est, ne ab ullo posset interfici, itemque Vulpi. Jupiter vero Vulpem in lapidem convertit, et Canem astris intulit. Amphianus, tragœdiarum scriptor, refert, quod cum hominibus stellæ relinquerent locum, missus est legatus Canis ad Doloram, quam ut vidit, tempore tempestivo adamavit; qui cum flagraret amore, nec posset frui, magis asperius urebatur; calamitate accepta, et Deos adjutores invocare cæpit; tum aquilo misit filios suos adolescentes qui operam Cani traderent, et ipse flatu suo Canis ardorem sedavit, qui flatus Etesiæ dicitur; amoris autem memoria remansit.

Sunt qui aliter memorent. Icarius a Libero hospitio receptus est, qui ei in munere utrem plenum vino tribuit, jussitque, ut in reliquas terras propagaret. Icarius dehinc Athenæus, cum in terram Atticam ad posteros devenisset, eis genus hoc suavitatis ostendit; pastores autem cum immoderatius biberent, ebrii facti conciderunt. Qui arbitrantes Icarium malum medicamentum sibi dedisse, eum fustibus interfecerunt. Icarium autem occisum Canis, qui cum eo fuerat, Mæra nomine, ululans, Erigonæ ejus filiæ monstravit, ubi pater insepultus jaceret; quæ cum venisset, ejus corpus sepelivit, ipsaque se in monte Hymetto contulit, ibique laqueo sibi mortem conscivit. Tunc dicitur Liber a Jove petiisse, ut Erigonem et Icarium astris inferret. Jupiter autem, audita ejus petitione, Erigonem signum Virginis nominavit; Icarium autem patrem ejus, Arcturum. Qui cum exoritur, tempestates mari terræque efficit; cumque Athenas pestilentia opprimeret, ex oraculo responsum est, cessaturam pestilentiam, si per annos singulos de frugibus et vindemia Icario et Erigonæ primum delibaretur. Quod factum est ab Atheniensibus, qui diebus festis institutis aras constituerunt; ideo quia illam pendentem aspexerunt, quod est apud Græcos; ex quo factum est, ut soli oscillo jactarentur homines. Canis autem Icarii, qui ululans ante pedem pendentis Virginis mortuus est, Astrocyon nominatur, quod nos Canis stellam dicimus; qui ob eandem causam, quando exoritur, summam pestilentiam hominibus facit. Habet autem stellas, in capite unam, quæ Isis dicitur, claram

in lingua unam, quam Sirium vel Canem vocant, quæ magna est et splendida, in collo duas, in singulis humeris singulas obscuras, in pectore claras duas, in anteriore pede sinistro tres, in dextro unam claram, in extremo supra dorsum tres, in ventre duas, in sinistro femore unam, in posteriori pede sinistro unam, in summitate caudæ unam. Fiunt omnes XX. Situm autem est hoc signum inter hiemalem tropicum, et arcticum subterraneum, qui Australis vocatur.

Lepus sub pedibus Antecanis et Orionis constitutus est. Hic dicitur Orionis canem fugere venantis. Nam ut venatorem eum finxerunt aliqua de causa, ita Leporem ei ad pedes fugientem finxerunt. Quidam negant tam nobilem tamque magnum venatorem, de quo ante in Scorpione signo diximus, et postea in ipsius figura dicemus, oportere Leporem venari, Callimachusque accusat eum, quod cum Dianæ scriberet laudes, eam leporino sanguine gaudere, et eos venari dixerit. Nonnulli a Mercurio inter astra collocatum dicunt propter nimiam velocitatem, sive quod inter quadrupedes plus pariat, et quosdam fœtus pariat, quosdam vero in ventre habeat, sicut Aristoteles philosophus ait, qui de animalium ratione disseruit. Antiquitus autem dicebatur in insula Lero nullum Leporem fuisse, sed ex eorum civitate adolescens quidam studio generis ab exteris terris Leporem fœminam produxit, et ad ejus partum diligentissime quæ opus essent administravit; itaque cum peperisset, et complures ejus civitatis ad studium intendisset, et partim precio, partim beneficio mercati esset, omnes Lepores alere cœperunt; quibus cum nihil daretur ad manducandum, impetu facto omnia comederunt, quo facto insulam calamitas afflixit. Itaque postea Leporis figuram astris contulerunt, ut homines meminissent, nihil his exoptandum in vita, si insolenter utantur lætitia, qua dolorem capere posterius cogantur. Habet autem stellas, in singulis auribus singulas, in pectore duas, in dorso nitidam unam, in posterioribus pedibus singulas. Sunt autem omnes VII.

Post Canis igitur magni caudam, secundum stellarum ordinem Navis constituta est, quam quidam beneficio

Minervæ inter astra collocatam dicunt, quæque prima ab ea fabricata est, et mare quod antea invium fuerat hominibus, pervium nautis ingenio fecit, quam notatam in cœlo figuravit, sed a gubernaculis usque ad malum. Nonnulli dicunt, Danaum Beli filium ex compluribus conjugibus quinquaginta filias habuisse, fratrem autem ejus Ægyptum totidem filios. Danaum autem et filias ejus interficere voluit, ut regnum paternum solus obtineret, easque filiis suis uxores a fratre poposcit. Danaus autem, cognita malitia, Minervam invocavit adjutricem; tunc primum dicitur Minerva navim fecisse, quæ Argos appellata est, cum qua Danaus ex Aphrica Argos profugit. Ægyptus filios suos ad persequendum fratrem misit. Qui postquam Argos venerunt, patruum impugnare cœperunt. Danaus autem, ut vidit se eis obsistere non posse, dedit eis filias suas, quæ patris jussu viros suos una nocte interfecerunt, sola Hypermnestra Linum servavit: ob quod fanum illis factum est. Cæteræ vero dicuntur apud Inferos in dolium pertusum aquam ingerere. Habet autem Navis stellas, in puppe quatuor, in catastroma quatuor, in malo summo tres, in singulis temonibus quinque, sub carina quinque. Sunt omnes XXVI.

Porro sub Ariete et Piscibus super fluvium Cetus in cæli regione collocatus est. Dicitur autem a Neptuno missus ad Cepheum propter invidiam Nereidis, a qua contra Cassiepeiam et Andromedam exardescebat propter nimiam pulchritudinem. Huic Ceto Andromeda proposita erat, quem Perseus interfecit, et ab Jove astris illatus est, ut memoria actus maneret. Habet autem stellas, in caudæ extremo claras duas, a cauda usque ad gibbum ejus sex, sub ventre sex. Sunt omnes XIV.

Fluvius, ut superius diximus, subter Cetum collocatus est: cæli regione cernitur, ad quam sinister Orionis pes extenditur. Ab Arato et Pherecyde Eridanus Padus esse putatur; et ideo inter astra collocatus, quod a meridianis partibus dirigere cernitur. Hesiodus autem dicit eum inter astra collocatum, propter Phaethonta, Solis et Clymenes filium, qui dicitur currum patris as-

cendisse. Cumque a terra altius levaretur, præ timore in Eridanum fluvium, qui et Padus dicitur, cecidit, ab Jove fulmine percussus; et omnia ardere cœperunt; causaque extinguendi universos amnes immissos esse, omneque mortalium genus interiisse, præter Pyrrham et Deucalionem. Sorores quoque Phaethontis flentes in arbores populos versæ sunt, lachrimæque earum in Electrum durare dicuntur, Heliadesque appellatæ, ipsæ autem nomina habuisse, Merope, Helie, Ægle, Ægiale, Petre, Phœbe, Chærie, Dioxippe. Cycnus quoque, rex Liguriæ, Phaethontis propinquus, dum fleret, in Cycnum conversus est, id quoque monens flebile canit. A quibusdam vero Nilus, qui et Gion existimatur, et ideo inter sidera collocatus, quod a meridianis partibus cursum dirigat. Est autem sidus multarum stellarum luce adornatum, et subjacet ei stella, quæ vocatur Canopus, sive Ptolemæon splendens, tangitque temonem Navis: apparet autem humillima, eo quod circa terram esse videtur, et nullum sidus inferius apparet, ob quod terrestris vocatur. Habet autem stellas, in primo flexu quatuor, in secundo tres, in tertio tres, usque ad novissimum septem, quas dicunt in ore Nili fluvii esse. Sunt omnes XVII.

Piscis magnus, cujus nepotes dicuntur Pisces, qui circulo zodiaco constituti sunt, dicitur in astra collocatus, eo quod decidens in Boeth stagno, Phacetis, filia Veneris, in Piscem sit transfigurata, quam Syri deam nominaverunt. Quidam autem dicunt, quod de stagno filiam Veneris salvaverit. Unde usque hodie Syri Pisces argenteos in templo sacraverunt. Est autem signum in parte australi, quod Piscibus orientibus oritur, quem Piscem dicunt Aquarii urnæ habere effusionem. Habet autem stellas XII, e quibus una fertur esse sub pedibus Aquarii, et tres in brachiis ejus. Ipsæ autem clariores esse cæteris noscuntur. Inter hæc sunt astra sive signa, quæ Planetæ appellantur.

Sacrarium quod et Pharus dicitur, est signum navigantibus semper contrarium, quod sequitur Scorpionis caudam. Quod quidam locatum inter astra dicunt, quod in eo dii primum mutuo conjurationem fecerunt, cum

Jupiter contra Saturnum fecit, quod memoriæ non solum astris illatum, sed etiam hominibus hoc haberet institutum, quia in agonibus et ludis quinquennalibus coronæ habentur, et fœderis testes adhibentur, itemque vates, per quos futura respondentur, in Symposiis domus consecrantur, et jure Jupiter igneum sibi velamen, ne ejus fulminum potentia deprehenderetur, adhibuit. Habet stellas quatuor, duas in superficie, in qua prunæ fuisse dicuntur, duas in vase ejus.

Centaurus dicitur Saturni et Philyræ filius; nam Saturnus cum Jovem filium quæreret in Thracia, cum Philyra Oceani filia in equum versus dicitur concubuisse, et ex ea Chironem Centaurum natum artis medicinæ inventorem, ipsamque in arborem φίλυραν, hoc est, tiliam versam esse, et habitâsse Chironem in Pelio monte inter homines æquissimum, a quo Æsculapius medicina, Achilles cithara, in astrologia Hercules, literis instructi sunt; cujus hospitio cum Hercules uteretur, sicut Antisthenes dicit, e pharetra sagitta lapsa dicitur pedem ejus vulnerâsse, acceptoque vulnere illum animam exhalâsse, et ab Jove astris illatum. Est autem signum ad aspectum Sacrarii. Unde et ad idem Sacrarium sacrificare videtur. Habet stellas, in capite obscuras tres, in singulis humeris singulas claras, in dextro cubito unam, in eadem manu unam, in medio pectore unam, in spina duas, in ventre splendidas duas, in dextro lumbo claram unam, in cauda tres, in singulis genibus retrorsus duas, in utroque armo unam, in utrisque pedibus anterioribus singulas. Fiunt omnes XXXIII. Quidam arbitrantur tenere in sinistra manu arma et Leporem; in dextra vero bestiolam, quæ ϑηρίον appellatur, et βύρσαν, id est utrem vini plenum, in quo libabat diis in Sacrario. Habet autem stellas bestiola, in capite unam, in spina claram unam, in cauda duas, in summo pede posteriore claram unam, in thyrso tres. Sunt omnes XXXIII.

Hydra, super cujus caudam Corvum sedere dicunt, et in medio Urnam asserunt, est signum in parte australi, caput deflexum habens ad Cancrum, cujus sinuosi corporis medietas est connexa sub Leone, caudam vero extendit ad Centaurum, supra quam sedet Corvus: qui

Corvus ideo inter astra collocatus dicitur, eo quod fuerit in tutela Apollinis, a quo missus ad fontem, ut diis ad libandum aquam deferret, cum vidisset arbores grossos ficus habentes, volans consedit in eis, donec maturæ fierent, et aquam deferre distulit; post paucos autem dies peracto sacrificio, cum ille ficos comedisset, et se diis peccâsse sensisset, denuo ad fontem, ut aquam hauriret, rediit, et ab Hydra exterritus vas vacuum reportavit, dicens excessisse aquam, quæ fuerat in fonte. Cognoscens Apollo, sibi corvum peccâsse, prohibuit eum eo tempore aquam bibere, ut Aristoteles dicit in eo libro, qui de Bestiis scribitur. Et Isidorus in naturalibus, vel in physicis, memoriæ tradidit, quod ipse peccati pœnas daret, qui et postea astris illatus est. Crater autem in medio angue positus est; caudam autem anguis Corvus appetit rostro, neque potest juxta accedere, ut bibat. Habet anguis stellas in capite claras tres, in prima flexura sex, et una ex eis obscura ad ultimum; in secunda flexura tres, in tertia quatuor, in quarta duas, in quinta usque ad caudam octo claras. Fiunt omnes XXVI. Paululum sub prima flexura Crater sive Urna situs est, inclinatus ad genua Virginis. Habet stellas in labris abscuras duas, per singula latera tres, in fundo duas. Sunt omnes X. Corvus autem, qui est ad ultimam ejus caudam, spectans ad occasum, habet stellas, in capite claram unam, in ala duas, in cauda tres, in pedibus singulas ab unguibus. Sunt omnes sex. Omnes simul fiunt XLIII.

V. SCHOLIA SIVE COMMENTARIA IN PROGNOSTICA ARATEA.

Solem per seipsum constat moveri, non cum mundo verti, sed in zodiaci circuli obliquitate cursum peragrare, paulo superius diximus; qui cum per trecentos sexaginta quinque dies, et quadrantem zodiacum lustret, et singula tricenis diebus denisque horis ac semisse, id est dimidia hora, transcurrat incremento dimidiarum horarum

quarto anno unum diem complet, quem bissextum nuncupant, qui dies conficitur ex quadrantibus. Nam cum duodecies semis sex horas integras faciant, id est quadrantem, hic quadrans quater ductus vigintiquatuor horas perficit, idem unum diem cum sua nocte complet, et in quarto bissextum, ut præfati sumus, efficit. Sol interea dum igneus sit, præ nimio motu conversionis suæ amplius incalescit. Cujus ignem dicunt philosophi aqua nutriri, et e contrario elemento virtutem luminis et caloris accipere, unde videmus eum sæpius madidum atque rorantem. Tunc autem eclipsin patitur, quod Latine defectio dicitur, quoties Luna XXX. ad eandem lineam, qua Sol vehitur, pervenit, eique se objiciens eum obscurat, unde deficere nobis videtur, cum ei orbis Lunæ opponitur. Signa enim tempestatis vel serenitatis hoc modo astrologi mundi cognoscenda esse dixerunt. Virgilius namque ait, si Sol in ortu suo maculosus sit, atque sub nube latens; aut si dimidia pars ejus apparuerit, imbres futuros. Item Varro ait, Si exoriens concavus videtur, ita ut e medio fulgeat, et radios faciat, partim ad aquilonem, partim ad austrum, tempestatem humidam et ventosam futuram innuit; item, si Sol, inquit, rubeat in occasu, sincerus dies erit; si palleat, tempestatem significat. Nigidius quoque ait, Si pallidus Sol in nigras nubes occidat, aquilonem ventum significat. Hunc etiam Græci Apollinem appellaverunt, a quo se spiritum accipere arbitrantur, ἀπόλλων enim Græce, Latine *perdens* dicitur, quod fervore suo omnem succum virentium decoquendo perdat herbarum. Hunc etiam divinationis deum esse voluerunt, sive quod Sol omnia obscura manifestat in luce, sive quod in suo processu, et occasu ejus orbita multimodos significationum monstret effectus. Sol dicitur, aut ex eo quod solus sit, aut quod solito per dies surgat et occidat. Hunc etiam sine barba pingunt, quia occidendo et nascendo semper est junior, sive quod nunquam in sua virtute deficiat, ut Luna, quæ crescit aut minuitur. Huic quoque illam ob causam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, id est verni, æstatis, autumni, et hiemis: aut quod quadripartito

limite diei metitur spacium. Unde et ipsis equis condigna nomina posuerunt, id est Erythræus, Æthon, Lampros, et Philogæus. Erythræus Græce ruber dicitur, quod a matutino lumine rubicundus exurgat. Æthon lucidus dicitur, quod tertia hora instante lucidior fulgeat. Lampros vero lucens vel ardens dicitur, quod fit dum ad umbilicum diei contra arcticum conscenderit circulum. Philogæus Græce terram amans dicitur, quod hora nona proclivior vergens occasui pronus incumbat.

Luna terris vicinior est, quam Sol, sive quam cætera errantia sidera. Unde et breviore orbe celerius peragit cursum suum. Nam iter, quod Sol trecentis et sexagintaquinque diebus et sex horis peragit, Luna vigintiseptem diebus et octo horis percurrit; singula vero signa Sol tricenis diebus et denis horis ac semisse. Luna autem binis diebus, et semis hora, besse unius, perlabitur. Unde fit, ut quantum spatii in zodiaco Luna percurrit, tantum Sol tredecim diebus expleat. Hanc quidam philosophorum dicunt proprium lumen non habere, globique ejus unam partem esse lucifluam, aliam vero obscuram et paulatim se vertendo diversas formas efficere. Alii contra aiunt, Lunam globum suum habere, sed ignem a Sole concipere, et quantum percutitur ardescere, et quantum a Sole discedit augeri. Cum vero contra steterit, feritur ex adverso et velut speculum, non vim, sed imaginem reddit, unde et defectum patitur, si inter ipsam et Solem umbra terræ interveniat. Hac enim crescente universa gignentia pubescunt, tenuescente tenuantur: humor etiam et spiritus omnis augescit, tumescit oceanus. Quod diverso cæli et vagantium stellarum temperatur, atque deteritur et infra fluit, id excipit Luna et Soli tradit. Quo et animalia vigescunt, et humùs quodammodo animatur genitali calore, et ut ita dixerim, viva plurimum valent in originibus, quam in ortu sunt; languent in occasu. Ortum facit in stella, quam Sol præterit, deinde statione matutina cum a quinto loco Solis steterit, in eodem manet signo, donec ab eodem Sole moveatur, quæ contraria est Soli. Mane occidit, oritur simul nocte, et vocatur Chronicos. Deinde rur-

sus altero latere, a quinto signo deprehensa postmeridiana, stationem facit, donec ingresso Sole idem signum sub radiis ejus delitescens in totum occidat. Aspiciunt inter se stellæ ex tertio signo, quod dicitur Trigonum, et habent maxime confusionem; item a quarto signo, quod Tetragonon et Centrum vocatur, et in alterutrum maxime præstant effectum. Item ex contrario, quod est septimum signum et Diametron vocatur, quæ maxime adversum cætera dissident. Vel leviter aspiciunt, ut sextum, quod dicitur Hexagonon. Signa tropica peregrinis nationibus præsunt, et omnino motibus et consiliis subinde variantur, atque permutantur. Biformia generatione rerum omnium repetitionem significant, et interim dilationem. Solida vehementer et instanter efficiunt, et ad exitum vel prospera vel adversa perducunt, sicut aspiciuntur a stellis, vel faventibus, vel repugnantibus. Jam vero quia de ejus cursu vel ordine sub brevitate diximus, restat, ut quid de ea Gentiles senserint, edicamus. Lunam gentiles Dianam, germanam Solis, quem Apollinem nuncupabant, fuisse dixerunt, et sicut a Sole spiritum, ita se a Luna corpus accipere arbitrabantur. Dicebant enim eam viarum præsidem, et virginem, eo quod in via nihil pariat. Idcirco igitur ambo sagittas habere dicuntur, quod ipsa duo sidera de cælo radios usque ad terram emittant; ideo faces, quia Luna illuminat, Sol et illuminat et exurit; ideo bigam Luna dicitur habere, sive propter velocitatem, sive pro eo quod nocte et die apparet; ideo unum Equum album et alium nigrum dicitur habere, eo quod hieme et æstate plus luceat, quam vere et autumno. Diana autem Luna dicta est, quasi diana, eo quod die ac nocte apparet ipsa, et Luna eo quod luceat, et Trivia eo quod tribus fungatur figuris, de qua Vergilius ait, *Tria virginis ora Dianæ;* nam eadem Luna, eadem Diana, eadem Proserpina vocatur, id est cælestis, terrestris, et infernalis. De qua quidam, *Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu; Cum succinta jacet calamis, Latonia virgo est.* Lunam voluerunt etiam apud inferos Proserpinam, seu quod nocte luceat, sive quod humilior currat et terris præsit; unde bigam boum habere dicitur, illo vide-

licet pacto, quod detrimenta et augmenta non solum terra, sed et lapides vel cerebra animantium, et quod magis incredibile sit, etiam lætamina sentiunt, quæ in Lunæ incrementis ejecta vermiculos parturiant. Ipsam Dianam ortam nemoribus volunt, simili modo, quod arborum ac fruticum succo augmenta inducat. Denique crementis Lunæ abscissa ligna furfuraceis tinearum terebraminibus fistulascunt. Nemoribus quoque adesse dicitur, quod omnis venatio plus nocte quam die fiat. Endymionem vero pastorem amâsse dicitur, duplo scilicet modo: seu quod primus hominum Endymion cursum Lunæ invenerit, unde et triginta annos dormîsse dicitur; quia nihil aliud in vita sua, nisi huic repertioni studuit, sicut Mnaseas in primo libro de Europa scribens tradidit: sive quod Endymionem amâsse fertur, quia nocturni roris humor, qui est siderum, quique ipsius Lunæ animandis herbarum succis insudetur, et pastoralibus prosit successibus. Præterea signa tempestatis vel et serenitatis in ea videri posse antiqui dixerunt. Nigidius ait, si Luna in summo circulo maculas nigras habuerit in primis partibus mensis, imbres futuros significat. Si in medio, tunc cum plena sint in eo cornicula, serenitatem. Cæterum si rubet quasi aurum, ventos ostendit. Fit enim ventus ex aëris densitate, qua obducti Sol et Luna rubescunt; item si cornua ejus tetra fuerint nebula, tempestas futura est. Aratus autem dicit, Si aquilonium cornu Lunæ est porrectius, aquilonium imminere. Item si cornu australe sit erectius, notum imminere. Quarta autem Luna index futurarum certissima habetur aurarum. Unde et Vergilius, *Si in ortu quarto: namque is certissimus auctor.*

A Bruma in Favonium Cæsari nobilia sidera, significant. III. cal. Januarias matutino Canis occidens, quo die Atticæ et finitimis regionibus Aquila vespere occidere traditur. Pridie nonas Januarias Cæsari Delphinus matutino exoritur, et postero exoritur Fidicula, quando Sagitta vesperi occidit. Item quinto idus Januarias ejusdem Delphini vespertinus occasus et continui dies hiemis Italiæ, cum Sol in Aquarium sentitur transire, quod fere XVIII. cal. Febr. evenit. VIII. Febr. Regia stella

appellata Tuberoni, in pectore Leonis occidit matutino, et pridie non. Febr. Fidicula vesperi occidit.

A Favonio in æquinoctium Cæsari significant IV. cal. Mart. quatriduum varie, et VIII. cal. Mart. hirundinis visus, et postero die arcturi exortus vespertinus. Item nonas Mart. Cæsar Cancri exortu id fieri observavit. VIII. Idus Mart. aquilonis Piscis exortus, et postero die Orionis exortus, et in Attica Milvus apparere observatur. Idibus Martiis Cæsar ferales sibi notavit Scorpionis occasus. III. cal. Aprilis Italiæ Milvus ostenditur. XII. cal. Apriles Equus occidit matutino.

Æquinoctium vernum VIII. cal. Aprilis peragi videtur. Ab eo ad Vergiliarum exortum matutinum Cæsari significant. III. non. April. in Attica Vergiliæ vespere occultantur. Item post pridie nonas Apriles in Bœotia et Chaldæis Orion et gladius ejus incipiunt abscondi. Cæsari VI. Idus Aprilis significat imbres Libræ occasus. XIV. cal. Maias suculæ occidunt vespere, sidus vehemens, et terra marique turbidum. XVI. cal. Maias, in Attica occidunt vesperi, Cæsari. XV. cal. Mai. quatriduum significant. XII. cal. Mai. Assyriis suculæ occidunt vesperi, quod vulgo appellatur sidus parilicium, quoniam XI. cal. Maias urbis Romæ natalis habetur, quo fere serenitas redditur; claritatem observationis membrorum augmento, Hyadas appellantibus Græcis, quod nostri a similitudine cognominis vocabulum eis stellis propter succos impositum arbitrantur: imperiti appellavere Succidas. Cæsari VIII. cal. Maias notantur dies. VII. cal. Maias Ægypto Hœdi exoriuntur. VI. cal. Maias Bœotiæ et Atticæ Canis vespere occultatur, et Fidicula mane oritur. V. cal. Maias, Assyriis Orion totus absconditur. Quarto autem cal. Maias Assyriis Canis.

VI. non. Maias Cæsari Suculæ matutino exoriuntur, et VIII. Idus Maias Capella pluvialis. Ægypto autem eodem die Canis vesperi occultatur. Sic fere in VI. Idus Maias, qui est Vergiliarum exortus, decurrunt sidera.

A Vergiliarum exortu significant Cæsari post pridie Idus Maias Arcturi occasum matutinum. III. idus Maias

Fidiculæ exortus. XII. cal. Junias Capella vesperi occidit et in Attica Canis. XI. cal. Junias Cæsari Orionis gladius occidere incipit. III. no. Junias Assyriis Aquila oritur vesperi. VII. idus Junias Arcturus matutino occidit Italiæ. IV. idus Junias Delphinus oritur in Ægypto. XI. cal. Julias ejusdem Orionis gladius Cæsari occidere incipit. VIII. cal. Julias, longissimus dies totius anni, et nox brevissima Solstitium conficit.

A Solstitio ad Fidiculæ occasum, VI. calend. Julias Cæsari Orion exoritur: Zona autem ejus Assyriis IV. no. Julias, Ægypto vero eadem die Procyon æstuosus matutino oritur, quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi Canicula, quam volumus intelligere minorem Canem, ut in astris pingitur ad æstum maxime pertinens, sicut paulo post docebimus. IV. non. Julias Chaldæis corona occidit matutino. Atticæ Orion totus eadem die exoritur. Pridie idus Julias, Ægypto Orion desinit exoriri. XV. cal. Augustas, Assyriis Chiron exoritur. Deinde post triduum fere ubique confusum inter omnes sidus, indicans quod Canis ortu vocatus, Sole partem primam Leonis ingresso cum sit Solstitium, quod sidus accendit Solem et magnam æstus obtinent causam. XVI. cal. August. Ægypto Aquila occidit matutino, Etesiarumque Prodromi flatus incipiunt, quod Cæsar X cal. Aug. sentire Italiam existimavit: Aquila Atticæ matutino occidit. VIII. idus Aug. Arcturus medius occidit.

III. idus Aug. Fidicula occasu suo autumnum inchoat, aut annotat; sed vera ratio id fieri invenit pridie idus Aug. Equus oritur vesperi, et Cæsari. Ægypto Delphinus occidit. XI. cal. Septembres Assyriis stella, quæ Antevindemiator appellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens, cujus argumento erunt agni colore mutati, et Assyriis quinto cal. Septemb. Sagitta occidit, Etesiæque desinunt. Andevindemiator Ægypto nonis Septembribus oritur. Atticæ Arcturus matutino, et Sagitta occidit mane. V. idus Septemb. Cæsari Capella oritur vesperi: Arcturus vero pridie idus Septemb. imbres vehementissimos significat, terra marique. Ratio ejus hæc traditur, si Delphino occidente

imbres fuerint, non defuturi sunt per Arcturum. Ejus signi ortum servat hirundinum habitus. Namque deprehensæ intereunt. XVI. cal. Octob. Ægypto Spica quam tenet Virgo, oritur matutino, Etesiæque desinnut. XI. cal. Octobres commissura Piscium occidit, ipsumque Equi sidus VIII. cal. Octob. III. cal Octob. Hœdi oriuntur. Cal. Octobribus Capella matutino exoritur. VI. nonas Octob. Atticæ Corona exoritur mane. V. nonas Octob. Heniochus occidit matutino. IV. non. Octob. Cæsari Corona exoriri incipit, et pridie non. occidunt Hœdi vesperi. VIII. idus Octob. Cæsari fulgens in Corona stella exoritur et tertio idus Vergiliæ vesperi exoriuntur. XVIII. cal. Novembr. succulæ vesperi oriuntur. Pridie cal. Novembr. Cæsari Arcturus occidit, et Succulæ exoriuntur cum Sole, quarto nonas Novemb. Arcturus occidit vesperi, et idus Novembr. Atticæ Vergiliæ occasu suo hiemem inchoant. Quinto idus Orionis gladius occidere incipit. Deinde III. idus Vergiliæ occidunt, occasum matutinum Vergiliarum Hestodes. natura hujus quoque nominis Hestodis astrologiam tradidit fieri.

In æquinoctio autumni confitetur quod Thales XXV. die ab æquinoctio. Anaximander, XXXI. Euctemon XLVIII. nos autem, sequentes observationem Cæsaris, XLV. die ab æquinoctio dicimus fieri.

Ante omnia autem duo esse nomina cælestis injuriæ meminisse debemus. Unum quod Tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque similia intelliguntur, quæ cum plenilunio acciderint, vi majore impelluntur. Hæc ab horridis sideribus exeunt (ut sæpius diximus) veluti Arcturo, Orione, Hœdis. Alia sunt illa, quæ silente cælo, serenis noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cum facta sunt publica: et magnæ sunt differentiæ a prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis caliginem impellentibus: omnibus vero sterilitatem. De his nunc dicemus, quæ ante nos a nullo sunt prodita. Prius causas reddemus eorum, quæ sunt præter lunarem, et quæ paucis cæli locis constant. Namque Vergiliæ primatum tenent ad fructus, quarum exortu æstas incipit, occasu hiems semestri spacio intra se, et

messes vindemiasque, et omnium maturitatem amplexantur. Est præterea in cælo, qui vocatur Lacteus circulus, etiam visu facilis: hujus defluvio velut ex ubere aliquo sata cuncta lactescunt, duorum siderum observatione: Aquilæ in septentrionali parte, et in austrina Caniculæ, cujus mentionem suo loco fecimus. Ipse circulus fertur per Sagittarium et Geminos, solis centrum infra æquinoctialem circulum secans, commissuras eorum obtinente, hinc Aquila, illinc Canicula. Ideo effectus utriusque ad omnes frugiferas pertinet terras, quoniam in his tantum locis solis terræque centra congruunt. Igitur horum siderum diebus, si purus atque mitis aër genitalem illum lacteumque succum transmiserit in terras, læta adolescunt sata; si luna, qua dictum est ratione, roscidum frigus asperserit, admixta amaritudo, ut in lacte puerperium necat. Modus in terris hujus injuriæ, quam fecit in quacumque convexitate comitatus utriusque causæ, et ideo non pariter in toto orbe sentitur, ut nec dies. Aquilam diximus in Italia exoriri XIII. cal. Januarias: nec patitur ratio naturæ quicquam in satis ante eum diem spei esse certæ. Si vero interlunium incidat, omnes hibernos fructus lædi necesse est. Rudis fuit priscorum vita, atque sine literis, non minus tamen ingeniosam fuisse in illis observationem apparebit, quam nunc esse rationem. Tria namque tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, diesque festos: Rubigalia, Floralia, Vinalia. Rubigalia Numa constituit anno regni sui XI. quæ nunc aguntur, ad VII. cal. Mai., quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinat, Sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio: sed vera causa est, quod post dies XIX. ab Æquinoctio verno, per id quadriduum varia gentium observatione in quarto cal. Maii Canis occidit, sidus et per se vehemens, et cui præoccidere Caniculam necesse sit. Idem itaque Floralia quarto cal. ejusdem instituerunt, urbis anno DXVI. ex oraculis Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent. Hunc diem Varro determinat, Sole Tauri partem quartamdecimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges et omnia quæ florebunt lædi necesse erit. Vinalia priora

quæ ante hos dies sunt, IX. cal. Mart. degustandis vinis instituta, nihil ad fructus attinent, nec quæ adhuc diximus, ad vites oleasque, quoniam earum conceptus exortu Vergiliarum incipit, ad sextum Idus Maii, ut docuimus. Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sordere velint; exhorrent enim frigidum sidus Arcturi postridie occidens, et multominus plenilunium incidere. Quarto nonas Junias iterum Aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus oleis vitibusque, si plenilunium incidat in eum, equidem et solstitium octavo cal. Junias in simili casu dixerim et Canis ortum post dies a solstitio XXIII. sed interlunio accidente, quoniam vapore constat culpa, acinique præcoquuntur in callum. Rursus plenilunium nocet ad quartum nonas Julias, cum Ægypto Canicula exoritur, vel certe XVI. cal. Aug. cum Italiæ item quarto cal. Aug. cum Aquila occidit usque in X. cal. ejusdem. Extra has causas sunt Vinalia altera quæ aguntur XIII. cal. Septemb. et Varro, a Fidicula incipiente occidere mane determinat: quod vult initium autumni esse et hunc diem festum tempestatibus leniendis esse institutum. Nunc Fidiculam occidere sexto Idus Aug. observatur. Intra hæc constat cælestis sterilitas; neque negaverim posse eam permutari arbitrio legentium locorum æstimantium naturas, sed a nobis rationem esse demonstratam satis est; reliqua observatione cujusque constabunt. Alterutrum quidem fore in causa, hoc est plenilunium, aut interlunium, non erit dubium, et in hoc mirabilem admirari benignitatem Naturæ succurritiam; primum hanc injuriam omnibus annis accidere non posse, propter statos siderum cursus, nec nisi paucis noctibus anni: idque quando sit futurum facile nosci, ac ne per omnes menses timeretur, earum quoque lege divisum æstate interlunia, præter quam biduo secura esse hieme plenilunia, nec nisi æstivis brevissimisque noctibus metui, non diebus item valere. Præterea tam facile intelligi, ut formica minimum animal interlunio quiescat, plenilunio et etiam noctibus operetur. Avem Param oriente Sirio ipso die non apparere, donec occidat, e diverso Virionem prodire ipso Solstitii die. Neutrum vero Lunæ statum noxium esse, ne noctibus quidem nisi serenis,

et omni aura quiescente; quoniam neque in nube, neque in flatu cadunt rores; sic quoque non sine remedio. Sarmenta aut palearum acervos, et evulsas herbas, fruticesque per vineas camposque cum timebis, incendito, fumus medebitur; hic e paleis et contra nebulas auxiliatur, ubi nebulæ nocent. Quidam tres cancros vivos cremari jubent in arbustis, ut carbunculi non noceant. Alii siluri carnem leviter uri a vento, ut per totam vineam fumus dispergatur. Varro auctor est, quod si Fidiculæ occasu, quod est initium autumni, una pica consecretur inter vites, minus nocere tempestates. Archibius ad Antiochum Syriæ regem scripsit, si fictili novo obserata obruatur rubeta rana in media segete, non esse noxias tempestates.

(Vertices extremos, circa quos cæli sphæra volvitur, Polos nuncupavere, e quibus unus est septentrionalis, qui boreus appellatur, qui nunquam occidit. Alter australis, qui terræ objectus a nobis nunquam videtur. Et austronotus dicitur, quam quidam dicunt esse Tethyn Oceani uxorem, nutricem Junonis, quæ fingitur in Oceano prohiberi occidere. Hæc habet stellas, in capite septem non claras, in utraque aure duas, in armo unam, in pectore claram unam, in pede priori unam, in femore posteriori duas, in pede extremo posteriori duas, in cauda tres. Sunt omnes XX.)

V. NOTÆ AD PHÆNOMENA ARATEA.

EX EDITIONIBUS SCHWARTZIANA ORELLIANAQUE.

1. Malim hoc pacto distingui: *Ab Jove principium magno deduxit Aratus : Carminis at nobis, Genitor, tu maximus auctor.* Ut sit *autor carminis* is, cujus jussu et auspiciis carmen conscribitur, ut *autorem belli et concordiæ* dicimus. Grot. Ego vero nihil mutandum censeam, neque autorem pro *jubente* accipi putem. An enim Jupiter, cui Germanicus Augustum opponit, Aratum carmen scribere jussit? Videtur potius fiducia quædam auxilii, sive instinctus cujusdam significari, adjuncta Cæsaris Octaviani laude. Imitatur videlicet Germanicus Aratum, qui et Jovis laudes celebrat et instinctum exoptat. Solebant autem ab hominibus etiam instinctum quendam sperare Romani. Ovidius Fast. I, 25 ad Germanicum: *Si licet et fas est, vates rege vatis habenas, Auspiciis felix totus ut annus eat.* Manilius, lib. l. v. 7, 10. *Nunc mihi tu Cæsar patriæ princepsque paterque Das animum viresque facis ad tanta canendum.*—SCH.

2. *Genitor*) Augustum sine dubio innuit, ut liquet ex eo quod sequitur, *Pax tua tuque adsis nato, numenque secundes.* Quem et infra alloquitur v. 554. *Hic, Auguste, tuum Genitali sidere numen, &c.* Erat Germanicus Drusi Claudii, qui Augusti privignus erat, filius. Is postea a Tiberio patruo adoptatus, Augusto Tiberium adoptante, factus est Augusti nepos. Testantur hoc Suetonius in vita Calig. c. i. et Tacitus Annal. lib. l. c. 7, et diserte Tribonianus in Institut. de adoptionibus. Itaque improprie se natum nominat, Augustum genitorem: cum esset hic avus, ille nepos per adoptionem. Ad se respexit isto epiphonemate Germanicus v. 185. *Prodest majestas sæpe parentis.* Gr.—SCH.——Sic cum Grotio, immo cum Cdd. ABE. a nobis ipsis inspectis distinximus: quæ ratio poëta utique longe dignior videri debet. Vulgo sic: *Ab Jove principium magno deduxit Aratus Carminis: at nobis* cet.—OR.

4. *Doctique laboris*) ut discernatur a militari, cui assuescebat idem Germanicus.—SCH.

5. Versus hosce imitatur Avienus, *Cur Hyperionios Nepa circumflecteret ignes Autumni reditu: cur sub gelido Capricorno Bruma pruinosi juga tristia solveret anni: Cur spatium lucis madidæ cum tempore noctis Libra celerque Aries dimenso pondere Olympi Æquarent.* Vides utroque loco Astronomiam ex solstitiis et æquinoctiis describi. Et alibi quoque ostendemus, Avienum Arato intacta ex Germanico desumsisse. Grot. *Possent a. c. s.*) id est, quid ad vitam beatiorem valeret vis siderum, quæ annum et tempestates variant, in subjecto tropicis terrarum orbe. Talia sidera potissimum sunt, quæ tropicis continentur circulis. Plinius XVIII, 4. *Dicemus et sidera, siderumque ipsorum terrestria signa dabimus indubitata, &c.*—SCH.——*Possent*] Sic B. (superscripto tamen *i*) EGsb.—*possint* APg.—*possunt* F.—OR.

6. *Ardente* A.—OR.

8. *Quave*] AB. (hic a sec. m.) s.—*queve* B. a pr. m. EP. (—*quæve* gb.)—OR.

9. *Parta*] BEGPgsb.—*tanta* A. et sic superscr. in B.—OR.

10. Imo vero naves mari, et terris cultorem: Nota figura. *Arva*] *Arma* habet Manuscriptus: *arva* vulgati. Puto legendum et distinguendum: *Si non parta quies, te præside, puppibus æquor, Culterique daret terras? procul arva silerent.* Conjunge præcedentia. Sensus est: Quid possent (Manuscriptus enim *possent*, non *possint* habet) solstitiorum et æquinoctiorum cognitiones, nisi pax te autore data concederet nautis mare, et terram colonis tuto usurpandam? Sane arva squalerent. Hoc enim est *silerent* poëtis. Conjungit nautas et colonos, quorum utrorumque usibus inservit Astronomia. Hinc Aratus stellas alias facit Neptuni, alias Jovis, quod nos explicavimus. Et aptissime ad rem conjungit, quia ante Augustum non tantum terra militibus vastabatur, sed et mare piratis obsidebatur. Grot. Veterem distinctionem nolim mutari. Nam ex delectibus Romanorum per se satis intelligitur, cultores terræ defuisse belli temporibus: neque procul tantum, sed interioribus etiam Romani Imperii regionibus. Ovidius Fastor. lib. i. extr. *Bella diu tenuere viros: erat aptior ensis Vomere: cedebat taurus arator equo. Sarcula cessabant, versique in pila ligones: Factaque de rastri pondere cassis erat. Procul*] id est, si milites ne in extremis quidem finibus imperii Romani quiscerent, sed bellis impliciti solicitarent et solicitarentur.—SCH.——*Arma*] ABEGgs. —*arva* FPb.—OR.

11. *Nunc vacat*] ita MS. Pessime editi libri: *Nunc vocat audaces in cælum tollere vultus.* Imitatur Avienus, v. 73. *Jam placet in superum visus sustollere cælum.* Sequens versus ita conceptus in vulgatis: *Sideraque et varios cæli cognoscere motus. Varios motus* appellat cælorum et siderum: de quibus ipse alibi: *Omnibus his gemini motus, quorum alter ab ipsis Nascitur et proprios ostendit sidera visus. Tunc mundum subeunt lento pede: concitus alter Invitos rapit, et cæli circumrotat orbem.* Gr. *Audaces*] Quia sidera dii habebantur, audacia quædam erat, ea curiosius intueri. Vid. Macrob. Somn. Scip. lib. i. c. 14. Martiani Capellæ lib. ii. de nupt. Philol. pag. 38. Ovid. Fast. lib. iii. 112. *Agnoscere motus*) quippe jam a veteribus Philosophis descriptos.—SCH.—— *Vocat* P. (contra Cdd. meos.) *audacis* AE. (Ibid) *ad cælum*] BEGgs. *in c.* AFPb.—OR.

12. *Mundi varios*] ABEGgs. *varios cæli* b.—om. *mundi* P. (Ibid.) *cognoscere*] AFPb. *agnoscere* BEGgs.—OR.

13. Hæc ita in vulgatis:—*quid doctus vitet arator.* Nos manuscripti lectionem sequimur. Grot.—SCH.——*Scitus vitet*], ABEGgsb. *vitet doctus* FP.—OR.

14. Plinius xviii. c. 24. quum de semente locutus esset, pergit: *Et confitendum est, cælo maxime constare ea: quippe Virgilio jubente prædisci ventos ante omnia ac sidera motus, neque aliter quam navigantibus servari.* Virgilius Georg. i. v. 204. *Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis Hædorumque dies servandi, ac lucidus Anguis; Quam quibus in patriam ventosa per æquora vectis Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.*—SCH.

15. Ita vulgati. MS. *latis.* Lego *Latiis.* nihil verius. *Cogor* quod in editis legitur, nullius est pretii. Grot. Quomodo particula *Hæc* locum hîc invenire queat, docet Tursellinus noster cap. 77, n. 17, p. 419. *Lætis* est *faventibus*, nam et mox numen est favor Musarum. Nisi forte *nomen* ibi legi malis, quod non puto.—SCH.——*Latiis*] A. firmans g. conj. b.

latis BEG. *lætis* Pgs. (Ibid.) *conor*] BEGgsb. *cogor* AFP. (Item in B. superscr.)—OR.

16. *Pax tua*] Bene: quia supra dixit, *parta quies, te præside.* Et alia est ratio, quia Augustus paci templum dedicavit, quod monuit Scaliger. Ovidius in fine Fastorum primi: *Ipsum nos carmen pacis deduxit ad aras.* Grot. *Pax* hoc loco ea intelligi videtur, quæ in formula solenni diis tribuebatur a precantibus.—SCH.——*Assis* Pgs. (contra meos Cdd.)—OR.

17. *Cætera*] ita Tullius v. 19. *Cætera labuntur tacito cælestia motu:* Et melius Cicero. Est enim axis, de quo postea sermo, inter cœlestia, non inter sidera. Grot. *Mundo*] id est, cœlo. Ita sæpe Plinius. vide librum ejus ii. c. 64, et alibi. Macrob. Somn. Scip. i. 20, et ii. 12.—SCH.

18. *Traxit* A.—OR.

19. *Axis at*) Male in primis editionibus: *Axis stat motus.* Grot. Ego malim legere: *Axis sed motûs semper vestigia servat.* Axis enim, ex opinione Autoris, immotus dici non posse videtur. Quomodo enim mox orbem agere diceretur, si immotus esset? Motus enim gignit motum: immotum nihil movet. Idcirco Manilius etiam lib. i. 442. *His inter solisque vias Arctosque latentes, Axem quæ mundi stridentem pondere torquent, Orbe peregrino cælum depingitur astris, Quæ notia antiqui dixerunt sidera vates.* Capella de nupt. Philol. lib. ii. pag. 45. Videbat Philologia *ipsam quæ ambitum coërcet ultimum, sphæram, miris raptibus incitatam, polosque et axem ex cæli summitate vibratum profundam transmeare terram, atque ab ipso totam cæli molem machinamque torqueri.* add. Idem lib. vi. p. 214. Causas autem, cur cœlum totum perpetuo versetur et circumagatur, Macrobius alias, atque Autor noster, comminiscitur in Somn. Scip. lib. i. c. 17. Habet tamen etiam Grotii conjectura plurimum elegantiæ. Moto enim cœlo immotus axis præclare opponitur. Faventque ei versus XXI et XXII Arati: si præsertim *vestigia* referantur ad *sidera,* quæ paulo ante memoravit Germanicus. Sed, ut videtur, dissensus inter utrumque nostrûm est nullus, saltem perexiguus.—SCH. ——*Axis at immotus*] BEGgsb. *Ax sisatis motus* A. *Axis: stat motus* FP. *Axis sed motûs semper vestigia servat* s. suspicio.—OR.

20. *Libratasque*] Manilius, lib. i. v. 279. *Libratamque gerit diverso cardine mundum.* Grot.—SCH.

21. *Orbem agit*] Ita distinguo: *orbem agit* dicit, quia legit apud Aratum aliter, quam nos: περὶ δ' οὐρανὸν αὐτὸν ἀγινεῖ. Grot.—SCH.

22. *Pars*] Male MS, *quo mersa.* nam sequitur *Pars celsa sub horrifero Aquilone. Partem poli* dixit pro altero polo. Ut et Avienus: *Oceano pars Sublime erigitur, subit altera mersa sub undas Pars Erebum.* Neque aliter Cicero in Deltoto v. 242. dixeret *tertia pars lateris* pro tertio latere. Et, si philosophice loquimur, species aliquatenus pars est generis, et τὸ ἄτομον speciei. Polus arcticus et antarcticus sub polo comprehenduntur, ut primum, secundum, tertium latus sub latere. Grot. Sed si pars referatur ad *axem,* interpretatio Grotii vacillat. Quæ ipsa si vera foret, ex grammatica potius dijudicanda esset, quam Philosophia. Si veterum hîc aliquid valet autoritas, legi jubeam Capellam lib. IV. de nupt. Philol. pag. 98 et 101, qui quid *genus* et *totum* differant aut conveniant, satis dilucide docet. *Mersa sub undas*] id est, non cernitur propterea, quod devexa est terra. Non cernitur autem nec ab iis, qui cis æquatorem versantur, nec ab iis, qui paucis gradibus ultra æquatorem processerunt: seu, ut magis ad veterem simplicitatem verba conformem, non cernitur ab iis, qui in illa terrarum orbis parte, quæ Græcis nota

esset, habitant. Aratus: *ὁ μὲν οὐκ ἐπίοπτος*, &c. Vid. Proclum de Sphær. cap. i. Plinium ii. cap. 70, Macrobium Somn. Scip. i. c. 10. add. Laërt. vii. segm. 155. Becmanni histor. orb. terr. Geogr. cap. i. § 17, pag. 14, 15.—SCH.——*Grai*] ABEP. *Graii* gsb. (Ibid.) *polon*] AFP. *polum* BEgsb. (*quem dixere polon veteres* F. Codex Barthii.) (Ibid.) *pars mersa*] APgsb. *quo mersa* B. (superscr. *pars*) EG.—OR.

23. *Pars celsa*] *Neque, ut dixere aliqui, mundus hoc polo excelsiore se attollit, unde cernuntur hæc sidera: verum hæc eadem quibusque proximis subliniora creduntur, eademque demersa longinquis: utque nunc sublimis in dejectu positis videtur hic vertex, sic illam terræ devexitatem transgressis illa se attollunt, residentibus quæ hic excelsa fuerant.* Plinius ii. c. 70. adde Harduinum. Vide item Cleomed. de circul. consid. Meteor. lib. i. pag. 108, 109. Proclum de Sphær. c. i. Capellam de nupt. Philol. lib. viii. pag. 275, et de Geometr. pag. 193.—SCH.——*Orrifero* A.—OR.

24. *Axem nam cretæ d.* B.—OR.

25. *Sive Arcti*] *Arctæ* MS. Græco more. Sic infra v. 63. *Oceani tumidis ignotæ fluctibus arctæ.* Hos duos versus elegantissime imitatur Avienus. *Contemplare sacras ut mundus subjicit arctos, Sic astrum dici Cnidius dedit: Ausone easdem Voce feras, ursasque et plaustra vocare solemus. Fabula namque ursas, species dat plaustra videri.* GROT.—SCH. ——*Arctæ*] ABEGgs. *Arcti* Pb. *arctous* F. *romanæ cognomis* (sic) P.—OR.

26. *Plaustrum*] Ita editi. MS. *Plaustra, quæque facies stellarum proxima vero.* Lege: *Plaustrave, quæ f. st. pr. vero.* Confer cum Festo Avieno. GROT.—SCH.——*Plaustrave, quæ*] sb. de g. conj. *Plaustraque, quæ* AB. *Plaustra queq'*E. *Plaustra quæque* G. *Plaustra vel f.* F. *Plaustrum vel f.* Pg. (Ibid.) *stellarum est* b. contra Cdd. (Ibid.) *vero*] BEGgsb. *vera* AFP. *veræ* Barth.—OR.

27. Distingue: *Tres temone, rotisque micant sublime quaternæ.* GROT. —SCH.—— *Polisque* superscr. *rotis* B.—OR.

28. *Simellus* A. Fortasse: *si meliust.*—OR.

29. Male MS. *ulterius;* ut et infra *declines* pro *declives*, cui simile *serpentis decline caput:* et *axis* pro *orbis* non male. GROT.—SCH.——*Capud* A. (Ibid.) *alterius*] APgsb. *ulterius* EG. Item B., sed correctum.—OR.

30. *Relucet* B. (Ibid.) *axis*] BEG. prob. g. *orbis* APgsb.—OR.

31. Ita vulgati. MS. *veteris sic gratia famæ.* Lego, *veteri si gratia famæ.* *Εἰ ἐτεὸν δή* Aratus. GROT.—SCH.——*Declives*] sb. *declivis* FP. *declinis* A. *declines* BEG. (Ibid.) *veteri si*] de g. conj. sb. *veteris si* AFPg. *veteris sic* BE. (Ibid.) *famæ* ABEGsb. *formæ* FPg.—OR.

32. *Cresia*] ABEGg. *Cressia* Fb. *Ctesia* s. err. typogr. *habuit* Cd. Barthii.—OR.

33. MS. *Donabit.* notus error. GROT.—SCH.——*Donavit*] AEPgsb. *donabit* G. *donabat* B. superscr. *vit.*—OR.

34. *Quid* superscr. *o* B. *fidei* P. *primo* s.—OR.

35. Hic versus male deest Manuscripto. GROT.—SCH.——*Foverunt*] A (B) b. Schrader *Obss.* p. 56. *fuderunt* (F.) Pgs. *tutarunt* Wakefield ad Lucret. 2, 634. om. hunc vers. G. E. Item B., sed in marg. restitutus est a sec. m., quæ item *foverunt.*—OR.

36. *Cymbala*] figuram veterum cymbalorum vide apud Sponium in miscell. Erudit. Antiquit. sect. 1, artic. vi. pag. 21, et Recherch. Curieus. d'antiquité dissert. viii. p. 146.—SCH.——*Mendici* superscr. *a* B.—OR.

37. *Auris* A. *auras* P.—OR.

38. Nullus sensus. MS. *Dictæi texere datis* Lege mecum, *Dictæi texere Atydis famuli Corybantes*, et rem habebis. Nemo nescit, Corybantes

Atidis et Deûm matris esse ministros. Grot. De Attide videatur Arnobius contra gentes v. pag. 186, et vii. pag. 238. Fulgentius Mythol. lib. iii. c. 5. Macrobius Saturn. i. c. 21. Pignorius in Magnæ Deûm matris Idææ et Attidis initiis. Inscriptio vii apud Gruterum p. 1123, et iii. pag. 27, et ii. pag. 28. Ovidius Metamorph. x. v. 104. Pausanias lib. vii. c. 17. Suidas in *Attide*. Scholiastes ad Nicandri Alexipharm. v. 8, pag. 64 copiose. Capella lib. ii. philol. nupt. pag. 43. *Corybantes*] Hi iidem putantur a quibusdam, ac Curetes, Cretæ indigenæ, qui tympanis et similibus instrumentis Saturnum deterruerunt, ne filium Jovem ex Rhea natum devoraret. Vide copiose disputantem Strabonem lib. x. pag. 718-726. Nonnum Dionys. xviii. v. 25, p. 386. Stephanum in *Scylletio*. Statium Theb. iv. 782. Ovidium Fast. iv. v. 189-214.—SCH.——Sic scripsi cum Schradero l. l. cfr. Commodianum Afrum V. 7. (Jupiter) *Ex* antro *processit juvenis furtimque nutritus*. Prius placebat: *Dictæi texere deæ* cum Wakefieldio l. l. proxime sane ad lect. Cd. A.: *dictæ ætexere dei famuli corybantes:* poterat etiam tentari *Dictææ texere deæ*, sed omnino post *attonitæ-parentis* inferri non debet vel *deæ* simpliciter, vel pejus etiam *Dictææ deæ;* quocirca ingeniosam Schraderi conjecturam veram esse duco. *Dictei texere datis* (cum lin.) *famuli chorybantes* EG. Item B., sed v. *datis* superscr. *dei* (et: *choribantes*.) *dicta exercent dominæ f.* c. F. *Dictæi exercent dominæ f. C.* gb. *Dicta exercere domine f. C.* P. *Dictææ tegerent dominæ f. C.* Barthius. *Dictæi texere Atydis f. C.* g. conj. s. —OR.

39. *Hic* P. contra Cdd.—OR.

40. Idem affirmat Manilius lib. i. v. 297. Nec Flaccus in Argonaut. v. 45 nimis dissentit.—SCH.—— *Grais*] ABEP. *Graiis* gsb. (Ibid.) *cursum*] BEGgsb. *cursus* AP. *cursu* F.—OR.

41. Adi Strabonem lib. i. p. 6, 7. Manil. lib. i. 298. Ovidium Fast. iii. 107.—SCH.

44. Male vulgati *qua*. Primam ferme omnium stellarum Helicen oriri, Aratus ejusque interpretes satis testantur. Grot.—SCH.——*quam*] ABEGsb. *qua* FP. (Ibidem.) *Cresia*] APEP. *Cressia* b. *Ctesia* s.—OR.

45. *Certior*] id est, ad cursum dirigendum et certius prosequendum aptior.—SCH.

46. Id est, exiguo convertitur spatio ad axem.—SCH.

47. Id est, naves Phœnicias. Sidon urbs clarissima et antiquissima Phœnices, prope Tyrum. Stephanus de Urbib. Strabo lib. i. p. 68, 69, et lib. xvi. p. 1097, seq. Curtius iv. 4, 15. Vide Marsh. Can. Ch. p. 304.—SCH.

48. Sic Claudianus de laudib. Stilic. II extr. *Non inter geminos anguis glaciale triones Sibilet, immodico nec frigore sæviat ursa.* add. Nonnus Dionys. xxv. 400, et libr. i. p. 22. Capella de Astron. pag. 282, multi alii. Res notissima. *abrupti fluminis instar*) Expressit Arateum illud οἵη ποταμοῖο ἀποῤῥώξ. Non potuisset magis ad verbum. Nam et locos ἀποῤῥῶγας abruptos vocamus. Ego puto ποταμοῦ ἀποῤῥῶγα esse aquæ derivationem, cui optime Serpentis flexus comparantur. Hesychius, ἀπόρυξ σχίσμα. Lege ἀποῤῥώξ. Avienus, *Ceu circumflexo sinuantur flumina lapsu.* Non satis apte Cicero, v. 46, *rapido cum gurgite flumen.* Grot. Est hoc loco ἀποῤῥὼξ pars fluminis, ut in illo Homeri Odyss. K. Ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι Κωκυτός θ᾽, ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀποῤῥώξ. Hinc ad alia transfertur ab eodem Odyss. I. Ἀλλὰ τόδ᾽ ἀμβροσίης καὶ νέκταρός ἐστιν ἀποῤῥώξ. *Sed hoc vinum est ex ambrosia et nectare deorum haustum.*

Cicero vero perspicax mihi videtur fuisse, qui, quoniam a ῥ ἥγνυμι derivatur hoc vocabulum, ad voraginem aliquam respexisse videtur, qua flumen intercipitur et absorbetur. Quales voragines multæ commemorantura Geographis. Capella de Geometria, pag. 202. *Tanais fluminis gurgitem* ponit pro Tanai valde profundum alveum habente, et pag. 205 *ripas gurgitis* pro ripis, quibus altitudo Padi utrinque cingitur. Possis igitur hinc Ciceronem explicare. Draconem autem cum flumine eleganter comparat Germanicus, propterea quod fabula Draconis vel ex flumine vel æstuario incurvo nata videtur. Plinius V cap. 1. *Et ab ea XXXII M. P. colonia a Claudio Cæsare facta Lixos, vel fabulosissime antiquis narrata. Ibi regia Antæi, certamenque cum Hercule: et Hesperidum horit. Affunditur autem huic æstuarium e mari flexuoso meatu, in quo draconis custodiæ instar fuisse nunc interpretantur.* add. Idem XIX cap. 4. Capell. VI de nupt. Philol. p. 215.—SCH.——*Ab inter* A. (Ibid.) *luminis* P.—OR.

49. *Torquet*] *Versat,* non male MS. Tu elige. Grot. Virgilius Æn. V, 408. in re alia: *Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.* Et in simili, Æn. XI, 753. *Saucius et serpens sinuosa volumina versat. Volumina* crebro de Serpentibus. Claudian. de IV. Honorii Consul. *Cæruleus tali prostratus Apolline Python, Implicuit fractis moritura volumina silvis.* Statius Thebaid. I v. 562. *Postquam cærulei sinuosa volumina monstri, Terrigenam Pythona, Deus septem orbibus atris Amplexum Delphos—perculit.* add. Virgil. V Æneid. v. 84, Sedulius Carm. IV, 145, 149.—SCH.——*Immanis* A. (Ibid.) *versat*] BEGsb. *torquet* AFPg. et in B. superscr. Sunt istæ in hujuscemodi poëtis Scholasticorum varietates, in quibus ipsa poëtæ manus vix distingui potest. Auctoritas utrinque par est.—OR.

50. *Superatque illas*] *Supra.* Credo *supera* scriptum, ut solet scribere Cicero. *Mirabile monstrum* dixit, ut Aratus μέγα θαῦμα. Grot. Et Virgilius Æneid. III, v. 26. *Horrendum et dictu video mirabile monstrum.* Id. lib. IV Georg. v. 554. *Hic vero subitum, ac dictu mirabile monstrum aspiciunt: liquefacta boum per viscera toto Stridere apes utero.* add. Id. Æn. VIII, 81.—SCH.——*Superatque illas*] Pgsb. *superat illas* F. *supraque illas* ABEG.—OR.

51. Hæc ita in MS. leguntur: nos distinximus. Pessime in vulgatis, *Cauda Helicen superat, tendit simul ad Cynosuram.* Male Manuscriptus altero versu *quam* pro *qua,* qui error non rarus. Grot.—SCH.——*Helicen supra tendit, redit ad*] BEGsb. *Hel. superat tendit at* (sic) A. *Hel. superat tendit simul ad* FP. In B. verbo *redit* superscr. " vel *penes.*" —OR.

52. *Squamigero*] ABEgs. *squammigero* Pb. *squamifero* F. (Ibid.) *quam* G.—OR.

53. *Compræhenditur* P.—OR.

54. *Serpentis Cynosuræ*] Lege cum Manuscripto. distingue mecum, *flexu comprenditur alto Serpentis Cynosura: ille explicat amplius orbes.* Aratus: σπείρῃ δ' ἐν κυνόσουρα κάρη ἔχει. Grot. *Orbis* vocabulum crebrum in serpentibus. Virgil. II Georg. v. 253. *Nec rapit immensos orbes per humum neque tanto Squammeus in spiram tractu se colligit anguis.* add. Ovid. Metam. lib. iii. v. 41.—SCH.——*Serpentis. Cynosuræ ille* Pg. contra meos Cdd.—OR.

55. *Arcton*] ABEPgs. *Arctum b.*—OR.

58. Tribus his versibus vulgatam secuti sumus, nisi quod in secundo ob versum *lucetque* pro *lucet* cum Manuscripto posuimus, qui pro *dexterius*

quæ refert *dexterique.* Habes variationem. Ego legendum puto; *Tempus dexterius qua signat stella Draconis, Quaque sedet mentum, luxere novissima caudæ. Extremum qua Helices sidus micat, hac radiatur Serpentis declive caput, qua proxima signa, &c.* Aratus; Λοξὸν δ'ἔϛι κάρη, νένοντι δὲ πάμπαν ἔοικεν Ἄκρην εἰς ἑλίκης οὐρήν. μάλα δ'ἔϛι κατ' ἰθὺ Καὶ ϛόμα, καὶ κροτάφοιο τὰ δεξιὰ νειάτῳ οὐρῇ. Κείνη που κεφαλὴ τῇ νήχεται, ἧχί περ ἄκραι Μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντόλαι ἀλλήλῃσι. Quarto versu male vulgata *quæ* habet: male MS. *utque*, quod ob repetitionem præcedentium literarum accidit. Ego *qua* restitui, ἧχί περ Arato. Est enim altera capitis designatio ex arctico circulo. Sed non videtur Arati mentem recte cepisse: nisi dicamus Ursas pro arctico circulo describi, et inde proxima signa occasus ortusque dici, quemadmodum multi apud Homerum, qui solas arctos immunes ait Oceani, circulum intelligunt: nam quæcunque in arctico sunt circulo, nunquam occidunt. Est enim μέγιϛον τῶν ἀειφανῶν, ut ad Aratum docuimus. Interea non possum abstinere, quin Isiodori locum de hoc circulo, ab hoc loco non alienum, mendo purgem. Est is locus titulo de mundo capite sexto, temere in mathematicis capite 43 repetitus. *Quorum primus Circulus ideo arcticus appellatur, quod inter eum arcturi signa inclusa prospiciuntur.* Legendum est *arctorum signa.* Geminus locus ille Martiani: *qui septentrionalis circulus perhibetur, ex eo, quod cum cæteris quæ promentur, etiam gemina sidera septentrionis includat.* Grot. Ego propter Arati versus discessi a distinctione Grotii, et conjecturis. Similis constructio videatur v. 148, 149.—SCH.——*Dexterius quæ*] APg. *dexteriusq'* E. *dexterique'* B. superscr. *us. dexterique* G. *dexterius qua* de g. conj. sb. Sententia hæc: Præter ceteras splendidæ sunt stellæ tres; ea, quæ sedet mento; ea, quæ signat tempus dexterius Draconis, et cauda novissima, ubi micat extremum Helices sidus.—OR.

59. *Quæque*] ABE(G.)FPg. *quaque* de g. conj. sb. (Ibid.) *mento*] ABE G.)FPgb. *mentum* de g. conj. s. (Ibid.) *lucet novissima* Pb. contra metrum et Cdd. meos.—OR.

60. *Extremum qua*] de g. conj. b. *extremumque* ABE(GF.)Pgs. (Ibid.) *Helicis* A. *Helice* F. (Ibid.) *hac radiatur*] de g. conj. s. *ac rad.* ABE-(G.) FPgb.—OR.

61. *Declive* (F)Pgsb. *decline* ABEG. (Ibid.) *qua*] de g. conj. sb. *quæ* AE(G.)FPg. *sic pr.* B. superscr. *quæ.*—OR.

62. *Uno tanguntur ab ore*] Dubito, an non *orbe* legendum. Nam quid hoc est, serpentis os ibi est, ibi ursæ ab ore tanguntur. Grot. Pro *uno* malim *udo.* Sententia est: Quæ proxima plaustris draconique sidera, vel ab ortu vel ab occasu, mari, ut veterum ferebat opinio, merguntur. Præclare igitur explicat Arati μίσγονται.—SCH.—— *Udo* s. conj. Placet. *tenguntur* P. *orbe*] de g. conj. sb. *ore* Cdd. noti et Pg.—OR.

63. Eadem tradit Nonnus Dionys. XXV. v. 393. Strabo, lib. I. p. 6, 7. Ovid. Metam. II. 508 seqq., alii. Res nota.—SCH.——*Timidis* F. (Ibid.) *Arctoe*] ABE(G.)gs. (*Arcte* F.) *Arcti* Pb.—OR.

64. L. *inocciduis,* ἀδύτοις. Grot. Pro *servantes* ponendum fuit *servant ex. servant* autem est *observant, intuentur.* Nisi versum aliquem omissum esse dictites, nihil aliud legi hic potest. Discernunt autem sæpe poëtæ personas et res a stellis, quibus personæ et res signantur. Statius Thebaid. III. 684, *jam nocte suprema, Ante novos ortus, ubi sola, superstite plaustro, Arctos ad oceanum fugientibus invidet astris.* Idem, Thebaid. VII. 8.——*oceano vetitum qua Parrhasis ignem Nubibus hibernis, et nostro pascitur imbri.* adde huc Capellam de nupt. Philol. libr. II. pag. 44.—

SCH.——*Inocciduis*] ABE (prob. g.) sb. *in occiduis* FPg. (Ibid.) *servant ex ign. s.* conj.—OR.

65. Versus hi quinque de Nixo loquentes male desiderantur in Manuscripto, in quo etiam ordine perturbato Draconem sequitur arctophylax, arctophylacem corona, coronam ophiuchus, ophiuchum virgo. GROT.—SCH.——65-69. Hos quinque versus omittunt BEG. Habent AFP.—*Effigies inde*] gsb. *efficiens unde* AFP.—OR.

66. *Non illi nomen*] Proprium videlicet et antiquitus clarum; etsi postea conjectata sit a doctis viris persona, cui et figura cœlestis conveniret, et nomen inderetur. Vid. Avienum, et quæ ad v. 74 dicemus. *Non magni causa laboris*] id est, cur et quid laboret, ignoratur. Saltem hæc vis inest hisce verbis, si Arati mentem spectavit et exprimere voluit Autor noster. Itaque Manilius, lib. I. 314. *Nixa venit species genibus, sibi conscia causæ.*—SCH. ——*Numen* AFP.—OR.

67. *Nixus*] Agsb. *nixu* F. *nisus* P.—OR.

68. Hæc verba docent, Germanico hanc effigiem non visam esse Herculem cum Dracone pugnantem. Cujus sententiæ alii fuerunt. Vid. Hygin. Poët. Astron. Fortassis putavit esse Herculem ex pugna Ligurum fessum. Qua de re Capella VI. de nupt. Phil. p. 206.—SCH.——*Passis* A. *pansis* (F.)Pgsb.—OR.

69. *Læva* scripsit Germanicus. Sed quia Critici prioris seculi Aratum viderunt pedem dextrum exprimere, quem sequitur Avienus, locum hunc mutaverunt. Sed debuerant saltem Hyginum consulere, qui disertis verbis ait, lævo pede caput draconis opprimi: debuerant ipsum situm consulere, qui satis indicat, Nixum dextro pede, sinistro capiti Draconis instare. Ipse Scholiastes fatetur, *lævum* poni debuisse, sed ait, ut Aratum excuset, *τὸ δεξιτεροῦ* ad *δράκοντος* referendum, ut sit *δεξιτεροῦ δράκοντος* pro *βορειοτέρε*. Sed non persuadet. Notæ nobis nugæ Scholiastarum, qui nunquam fateri volunt, autorem suum errâsse, hoc est, hominem esse. Itaque sententias ejus mordicus retinent, neque unquam patiuntur, veritatem autoritati præferri. Sed ipse Germanicus nonne satis cavit hæc de dextro intelligi, cum præjunxit *Dextro namque genu nixus.* Constat enim, alterum esse pedem quo nititur, quam quo verticem serpentis premit. Itaque restituenda hic Germanici lectio vetus et vera, etiamsi contra Arati mentem, a qua discedere Germanico non tam stricta religio, ut et infra docebimus. Cum hac de re cum parente meo Jano Grotio fabularer; putavit vetus esse in Arato mendum et versum unum et alterum deesse. Itaque hosce versus mihi imaginatus sum, non tam quod revera eos putem deesse, quam ne Aratum omnino a nobis indefensum relinqueremus. Ergo ita restituendum propono:—*Μέσσῳ δ' ἐφύπερθε καρήνῳ* Δεξιτεροῦ *ποδὸς ἄκρον ἔχει μεγάλοιο βοώτε* Βεκέντροιο *πέλας. μέσσῳ δ' ἐφύπερθε καρήνῳ Λαιοτεροῦ ποδὸς ἄκρον ἔχει σκολιοῖο δράκοντος*, Et videri possit ex vocum similitudine natus error: et verum est, pedem dextrum, quo nititur, attingere caput arctophylacis, et baculum sive *καλάυροπα*. Sed hæc nostra somnia. GROT. *Læva* ego item ex Capella lego lib. VIII. de nupt. Philol. pag. 283.—SCH.——*Fugit* g. err. typogr. (Ibid.) *læva*] g. conj. s. *sæva* AFPg. *scæva* " Scriverius e Codice (?)" b. Sed nunquam totum per poëma hoc voc. usus est Germanicus. Suspectum est *scæva* h. l. etiam propter brevem syllabam præcedentem.—OR.

70. Hic versus nunc primum accedit e solo Cod. A.—OR.

(71-89.) Hos versus (omisso v. 83.) exhibent Cdd. BEG. post nostrum v. 95. Habent hoc loco AFP.—OR.

71. *Clara Ariadneo sacrata est igne corona*] Vulgati, *Clara Ariadnææ proprius stant signa coronæ.* Manilius, V. 250, *tollentur ab undis Clara*

Ariadneæ quondam monumenta coronæ. GROT. *Ariadneæ*] Ariadne fuit Minois et Pasiphaes filia, quæ Theseum vitæ periculo liberatum secutura, in Bacchi manus incidit, eique pro uxore fuit. Hyginus fab. 224. Palæphatus Incred. hist. c. 2. extr. Ovid. Metam. VIII. 172. Pausan. X. c. 29, adde Catullum in epithalamio Thetidis, et alios. Hujus coronam Bacchus in cœlo reposuit. Eratosth. cat. 5. Hinc Claudian. III. de laud. Stilic. *Seu tibi Dictææ placuerunt astra coronæ, Seu magis æstivo sedes vicina leoni.* add. Manil. V. 21. Ovidius Fast. III. 459-516, et V. 345.—SCH.—— *Clara Ariadnæo sacrata est igne*] BEGg. *Clara Ariadneos sacrata stigne* A. *Clara Ariadneo proprius q.* (?) *stat igne* G. *Clara Ariadneæ* (spatium vacuum) *stat igne* P. *Clara Ariadneæ prope qua stant signa coronæ* s. *Claro Ariadnes qua sacrata est igne* c.b. quasi e G.—OR.

72. Ejus res vide in Dionysiacis Nonni, quibus adde, quod emere et vendere instituit, et diadema, regium insigne, et triumphum invenit. Plinius, VII. c. 56. Adi Mythologos. *thalami*] Ovid. Trist. V. eleg. 3. v. 41 ad Bacchum: *Sic micet æternum, vicinaque sidera vincat Conjugis in cœlo clara corona tuæ.* Claudian. de Nuptiis Honorii et Mar. *Si Bacchus amator Dotali potuit cœlum signare corona: Cur nullis virgo redimitur pulchrior astris?* add. Nonn. Dionys. XXXIII. 270, et XLVII. 449, et XLVIII. extr. Lactantius Instit. divin. I. c. 10, s. 8, 9.—SCH.

73. Vulgati, *Terga nitent stellis a quo se vertice tollit.* Versum sequentem ita exprimit Basileensis, *Succiduis genibus lapsum et miserabile.* Vides, deficere vocem ultimam: ejus loco posteriores editiones *monstrum* habent. Egregios vero homines, qui quod deest in auctoribus, suopte ingenio supplent, et pro genuinis venditant. Et quænam ratio est, cur Engonasi *monstrum* vocetur? Vera itaque Manuscripti lectio, quam nos secuti sumus. Quod si mihi credas, imo ipsi Arato, hos versus ita restitues, commistis lectionibus, *Clara Ariadneæ qua stant sacra signa coronæ, (Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem) Terga nitent stellis. At qua se vertice tollit Succiduis genibus lapsum et miserabile sidus, Hac Ophiuchus erit.* Conjungenda hæc cum superioribus, ubi de Nixo locutus est. Invenies illa Aratea, Νώτῳ μὲν ςέφανος πελάει, κεφαλῇγε μὲν ἄκρῃ Σκέπτεο πὰρ κεφαλὴν ὀφιούχεον. Omnino desideratur illa parenthesis: Et notandum est, Germanicum dicere *illi*, tanquam si non Ariadneam coronam sed Ariadnæ dixisset, κατ' ἰσοδυναμίαν. Germanum est illud Ovidii *lib. I. de Pont. eleg. I. v. 27. Denique Cæsareo, quod non desiderat ipse, Non caret e nostris ullus honore liber.* GROT. Consimilis quodammodo est locus Cæsaris lib. I. Bell. Gall. c. 40, s. 5. recte et simpliciter interpretatus: *Factum etiam nuper* (periculum ejus hostis) *in Italia servili tumultu, quos tamen aliquis usus ac disciplina, quam a nobis accepissent, sublevaret.* Nam ita ponit *quos*, quasi dixisset *servorum tumultu.* Varro II. c. 6. *Ego de asinis potissimum dicam, quod sum Reatinus, ubi optimi et maximi fiunt:* quasi dixisset, *quod sum a Reate, ubi, &c.*—SCH. ——*Nitet* P. (Ibid.) *at qua se vertice*] de g. conj. sb. *aquas evertice* A. *ad quas se v.* BEGg. *a quo se* P.—OR.

74. Suspicari licet, effigiem hanc fuisse hominem ab Æsculapio vicino curatum. Veteres alii Theseum, alii Herculem esse dictitant.—SCH.—— *Succidus* A. (Ibid.) *lassum*] BEb. *lapsum* APgs. (Ibid.) *miserabile sidus*] BEGgsb. om. *sidus* AP. (Morel. suppleverat: *monstrum.*)—OR.

75. *Caput ante nitendo*] MS. *notabilis* refert, sed versus non patitur. Lege, *Longe caput ante notabis. Notabis* Aratus ἐπιφράσσαιο. GROT. —SCH.——*Hac*] BEGsb. *Hic* APg. (*capud* A. (Ibid.) *notabis*] E. firmans g. conj. sb. *notabilis* BG. *nitendo* APg. (De F. non constat inde a v. 71. usque ad v. 86.)—OR.

76. *Dum* A. *secuntur* A.—OR.

77. *Illis languet honos*] Ita MS. Vulgati, *Illis languet honos humeris, manus integer ardor.* Distingue hoc modo, et lege, quomodo nunc expressum est. *Illis* nempe *membris.* GROT.—SCH.—— *Honor* P. *humeris manus* P.—OR.

78. Ita MS. nisi quod pro *mensem* habeat *mense.* Vulgati, transpositis vocibus, *Luna etiam mensem cum pleno dividit orbe.* Novem versibus sequentibus veram lectionem retulimus. audi falsas. versus quartus in Manuscripto deest. In quinto Manuscriptus habet *per lævum:* in sexto *ad lævam distant ea.* In nono Manuscriptus *crinata* pro *crinita* habet. Vulgati *lucet* pro *fulget.* GROT.—SCH.—— *Pleno mensem quum dividit*] E. firmans g. lectionem. gsb. *pleno mense quum div.* BG. *mensem quum pleno d.* AP. Minime autem probanda conj. Rutgersii in Lectt. Venusinis p. 279. Burm.: *Luna ut jam pleno mensem quum dividit orbe* i. e. " pari splendore ac Luna διχόμηνος." etsi Avienus v. 228:—*hic tantos humeris vibrantibus ignes Evomit,* ut *pleno quum Luna nitescit in orbe Menstruaque ingenti* jam *tempora dividit ortu.* Scil. Avienus secutus est Scholiastæ ad Arat. v. 79. ἰσωποί, Germanicus vero trium recentt. Edd. εἰσωποί. (Ibid.) *orbe*] AEgsb. *orbes* B. *orbem* P.—OR.

81. *Scorpius, &c.*] mihi sermo Autoris magis cohærere videretur, si scriptum fuisset: *Scorpion ima pedum tangunt.* Arato quidem talis versio convenientior.—SCH.——*Scorpios*] AE. *Scorpius* BPgsb.—OR.

82. *Vestigia dextera pendent*] id est, pes dexter est abductus, nec tangit scorpium.—SCH.

83. *Est impar manibus pondus*] verum hoc; sed non intellexit Arateum, ἀτὰρ χέρες οὐ μάλα ἶσαι. GROT. Iniqua accusatio. Nam Arateum hoc expressit versu 78.—SCH.——*Impar est*] A. *Est impar* Pgsb. *jam* A. *parva* A. om. hunc vers. BEG.—OR.

84. *Tenet* P. (Ibid.) *lævam*] APgsb. *lævum* BEG.—OR.

85. *Serta*] id est, Corona. Sic item Capella de Nupt. Philol. lib. II. ineunte: *Hoc quoque Nysiacis quod sparsum floribus ardet, Multiplici ambitum redimitur lumine sertum.*—SCH.——*Ab læva*] A. *a læva* Pgsb. *ad lævam* BEG. (*distant ea certa* E.)—OR.

86. *Tamen* F. (e quo Cd. nulla varietas notatur a versu 70 usque ad hunc.)—OR.

87. *Ætheria*] ABEgs. *ætherea* FPb. (Ibid.) *fulget*] BEGgsb. *lucet* AFP. (*crinata* G.)—OR.

88. *Ad quam se dorso pervadet lubricus anguis, Insignes cœlum perfundunt lumine chelæ*] Ita hos duos concipiunt vulgati. Manuscriptus ita, *Ad qua se dorso sinuabit lubricus anguis, Insigni cœlum per eundem lumine chelæ.* Lege, ut expressum nunc est, Aratus: Νειόθι δὲ σπείρης μεγάλας ἐπιμαίεο χηλάς. *Insigni* autem hic nova significatione sumitur pro ἀσήμῳ. Nam chelæ, teste Arato, sunt φαέων ἐπιδευέες. GROT.—SCH.——*At qua*] AB. de g. conj. sb. *Ad qua* EG. *Ad quam* FPg. (Ibid.) *sinuabit*] ABEG. (prob. g.) sb. *pervadit* F. *pervadet* Pg.—OR.

89. *Chelæ*] Verbum Græcum retinuerunt pene omnes Poëtæ. Manilius, IV. 203, *Librantes noctem Chelæ cum tempore lucis Mensuræ et tribuent usus et pondera rerum.* Add. Virgil. Georg. I. 33: Ausonius in Eclogar. de ratione dierum anni vertent. v. 6, pag. 192: Silius, lib. XIV. 76. Postea in libram commutatæ sunt Chelæ. Vid. Manethon, Apotelesm. II. 136: Virgil. Georg. I. 208. Ergo antiquis temporibus pro duplici signo fuit Scorpius. Ovid. Metam. II. 195: *Est locus in geminos ubi brachia concavat arcus Scorpios, et cauda flexisque utrinque lacertis*

Porrigit in spatium signorum membra duorum. Adde Capellam de nuptiis Philolog. lib. VIII. pag. 282. Vid. tamen Grotii notas ad imag. Germanici, p. 34.—SCH.——*Insigni*] BEG. (prob. g.) sb. *Insignis* A. *Insignes* FPg. (Ibid.) *perfundent*] As. *perfundunt* Pgb. (*pereunde* cum lin. supra *de* BE. *per eundem* G.) (*lumina* B.)—OR.

90. *Ipsam*] Ita MS. Vulgati *inde* habent. Manuscriptus pro *baculo* male habet *jaculo*. *Baculus*, ut alibi notavimus, est ὁ καλάυροψ. GR. *Senior*] Capella de nupt. philol. II. init: *Ardua tunc senior succendit plaustra Bootes.*—SCH.—— *Ipsam*] BEGgsb. *Inde* AFP. (Ibid.) *baculoque*] APgsb. *jaculoque* BEG. (*baculo seniorque* P.) (Ibid.) *minantur* A. *minatus* b.—OR.

91. *Se velle Arctophylax brachiorum munere cæcus Icarus ereptam pensavit munere ripam*] Ita vulgati. Manuscriptus, *Sive ille arctophylax, seu Bacchio munere cæsus Icarus ereptam pensabit sidere vitam.* Legendum omnino, uti nunc expressum est. Ait, cæsum ob Bacchi munera Icarum, ita enim appellant Tibullus, Lib. IV. Carm. I. v. 9: ——*Cunctis Baccho jucundior hospes Icarus, ut puro testantur sidera cælo.* Et Propertius, Lib. II. eleg. XXIV. 29: *Icare Cecropiis merito jugulate colonis.* Græci plerumque Icarium nominant: ut et Eratosthenes, cujus versum citat Hyginus. Cæterum optime Germanicum explicat Orpheus, cujus fragmentum antiquissimum et luculentissimum in medium adducam. Ἀϛραίη κούρη δὲ πέλει πρὸς ἅπαντα φερίστη Σπέρματα, καὶ δὲ φυτοῖσιν ἐναίσιμος ἔν τε βόθροισι Βάλλειν ἕρνεα πάντα· τά τε δρυὸς ἄκρα λέγονται, Ὄινας δ'ἐξαλέασθαι. ἐπεὶ ϛυγέει περὶ ἄλλα Ἰκαρίȣ κούρη ληνοὺς καὶ ἀδευκέας οἴνας, Μνωομένη, ὅσα λυγρὰ Διωνύσσοιο ἔκητι Ἀκταῖοι μήσαντο μέθῃ δεδμημένοι ἀινῇ. Ἰκάριον καί μιν ϛυφελαῖς κορύνῃσι δαΐξαν Σφαλλόμενοι δώροισι χοροιμανέυιο Ἰάκχȣ. Hoc est, *Omnibus Astræa est longe placidissima Virgo Seminiis, plantis quoque non incommoda, suadet Germina præruptis leviter circumdare fossis. Sed fugias vites. nam durum ante omnia prelum Icarii soboles, et vites odit amaras; Nempe memor quantum sceleris (culpa ista Lyæi est) Ausa fuit vino domita Attica turba virorum, Viticomi decepta insano munere Bacchi.* In ultimo versu Λυάιου pro Βάκχȣ restitui; quod ex Glossemate natum erat, repugnante versu. Versus sunt elegantissimi, et non abs re allati. Nam præter quam quod fabulam eandem tangit, δώροισι Λυάιȣ illi idem est, quod Germanico *ob munera Bacchi.* GROT. Proprius fidem est, ut putemus scriptum fuisse Ἰάκχȣ. *Icarii* nomen et historiam omnem habet Ælianus de animal. VII. c. 28. Nonnus Dionys. XXVII. 283. Idem Dionys. XLVII. v. 34, 116, seqq. Hyginus in Poët. Astron. lib. II. cap. de Arctoph. Epigrammat. Græc. lib. II. cap. συμβοτ. ἀϛεϊσμ. p. 243. Lucianus Dialog. Junonis et Jovis, tom. I. p. 216. add. Maximus Tyrius Orat. XIII. p. 142. Apollodorus lib. III. Biblioth. Non confundendus hic Icarius Erigones pater cum Icario Penelopes parente; de quo videre licet Apollodorum lib. III. Biblioth. et Pausaniam lib. III. c. 12. *Arctophylax*] vide quæ ad v. 139. dicentur. Nam idem appellatur etiam Bootes. Adi Ovidium Fast. II. 185 seqq. et III. 405.—SCH.—— *Sive ille*] EG. (prob. g.) sb. *Seu ille* B. *Siuelle* A. *Se velle* FPg. (Ibid.) *Arctophylax seu Bacchi ob munera cæsus*] de g. conj. sb. *A seu bacchio munere cæsus* EG. *A bacchino munere eæsus* om. *seu* B. *A. eu* (sic) *brachio munere cecus* A. *A. brachiorum munera cecus* FPg. (Pg.: *cæcus.*)—OR.

92. *Icarius* A. *pensabit* BEG (Ibid.) *sidere vitam*] BEG. (prob. g. sb. *munera ripam* A. *munere ripam* Fg. *munere rippam* P.—OR.

93. *Capud A.*—OR.

95. *Arcturum, &c.*] Suidas: Ἀρκτοῦρος λέγεται καὶ αὐτὸς ὅλος ὁ βοώτης. ἰδίως δὲ καὶ ὁ ὑπὸ τὴν ζώνην αὐτοῦ ἀστήρ.—SCH.

96. *Virginis*] Versus hic deest in vulgatis, ut sequens in manuscripto; cum uterque sit necessarius. GROT.—SCH.——Om. hunc versum FP. Habent BEGgsb.—OR.

97. Om. hunc versum BEG. Habent AFPgsb. *spicula manum* A.—OR.

98. *Vocem*] Male vulgati, *vocant*. GROT.—SCH.——*Qua te* B. (Ibid.) *vocem*] ABEGgsb. *vocant* FP. *mortalia siti* B.—OR.

100. *Medio mihi cursu*] Male MS. *curru*. Ait se velle παρέκβασιν facere in fabulam Astrææ. GROT.—SCH.——*Cursu*] A(F)Pgsb. *curru* BEG. (*mediomine curru* A.)—OR.

101. *Quadripedes* BE. *lætis* b.—OR.

103. *Aurea pacati, &c.*] Similia tradit Nonnus Dionys. XLI. 214. *Regeres*] Male manuscriptus *regeret*. GROT.—SCH.——*Regeres*] gsb. *regeret* ABEGFP. *sæcula* BEgs. *sæculi* A.—OR.

104. *Inviolatum aliis* A. *virga* A.—OR.

105. *Seu genus Astræi*] Hoc ex Morelliana officina est. Nam antea legebatur, *sive illi Astra genus fuerit*; male, sed vero propius Manuscriptus habet, *Sive illa Astræi genus est*. Atqui præcessit, *Teque tuumque canam terris venerabile numen*, et sequitur: *Ortus fama tui*. Et quanquam infra faciat ἀποστροφὴν in tertiam personam; in una tamen eademque periodo hoc non est tolerabile. Forte legendum: *Sive illa Astræi genus es*. hoc est, *sive tu illa es Astræa, Astræi filia*. GROT.—SCH.——*Sive illa Astræi genus es*] Sic scripsi de g. coni. *Sive illa astrei genus est* BEG. (*Seu illa* B.) *Sive illa astra etgenus est* A. *Sive ille astra genus fuerit* F. *Sive illi astra genus fuerit* P. *Seu genus Astræi fueris* Morel. gsb.—OR.

106. *Seu vero*] Lege cum MS. *vera*. GROT. Quidam hanc Virginem Erigonen, Icarii filiam, fuisse putant. Vid. Nonnus Dionys. XLVII. 244. Minutius Felix in Octav. p. m. 23. edit. Lugd. A. 1652. ubi adde Commentar. Elmenhorst. Capella lib. II. de nupt. Philol. pag. 42. Quidam Cererem aut Isidem esse dicunt. Vid. Avienum.—SCH.——*Seu vera*] ABEG. (prob. g.) sb. *seu vero* g. *se vero* F. *severo* P. (Ibid.) *intercidit*] BEgsb. *intercipit* AFP.—OR.

107. *Ferebat* P. *tela etaferebas* A.—OR.

108. *Subire*] Male MS. *subiret*. GROT.—SCH.—— *Sublimem in populis* Barthii susp. *designata* AP. (non BE.) *subiret* G. (non BE.)—OR.

109. *Sine crimine, diva, penatis*] Male Vulgati: *Et puros mores sine crimine, diva*. GROT.—SCH.——*Puros sine crimine, diva, penates*] BGE. (hic *penatis*:) gsb. *puros sine crimine diva* ultimo voc. omisso A. *puros mores sine crimine diva* FP. (P.: *Secta*.)—OR.

110. *Vulgus in omnes*] Vulgati, *in omnem Formabas vitæ sinceris artibus usum*. Lege cum Manuscripto, si placet. Sed pro *sinceros* substitue *sinceris*, ut in vulgatis. GROT. *Rude vulgus*] Nam nemo tum dominus nec servus erat. Lucianus Saturnal. tom. II. p. 611.—SCH.——*Omnes*] BEGgsb. *omnem* AFP.—OR.

111. *Nondum*] Est hic versus apud Lactantium loco mox citando.—SCH.——*Sinceris*] A(F)Ps. *sinceros* BEGgb. (Ibid.) *usus*] BEGgsb. *usum* AFP.—OR.

112. *Vesano* A. *ensis* A.—OR.

113. *Discordia nota*] Male alia *nata*. *Nota* citat Lactantius de Justitia lib. V. c. v. s. 4. Aratus, Οὔπω λευγαλέου τότε νείκεος ἠπίσταντο. GROT.—SCH.——*Consanguinis* A. *nata* FP. (non ABEG.)—OR.

114. *Privataque tellus*] vel respicit pravam quorundam cupiditatem occupandi agri publici, ex comparatione aurei seculi notandam: vel scripsit fortassis, *et patria tellus* vel *proavitaque*. Nam quia Poëtæ fingunt vetustiora tempora immunia a malis posteriorum temporum, conjectura hæc probabilis est. *Privata* quidem *tellus* communitati omnium rerum, quæ tum floruisse fingitur, repugnat. Vide Grotii jus belli lib. II. c. 2, § 2.—SCH.——*Proavitaque* s. susp. Veram puto.—OR.

115. *Neque pertutos* A.—OR.

116. *Spes procul amotas—petebant*] Distingue et emenda, uti nunc expressum est. Ita demum constat sententia. Grot. Navigationem aureo sæculo fuisse ignotam, innuit etiam Boëthius Consolat. II. metr. 5, et multi alii. Ratio autem, cur damnarent inventam navigationem gentiles, erat multiplex. Una, quod luxuriam magis, quam commoda hominum auxisset. Altera, quod homines perderet in sepultos. Plinius XIX. præfat. Tertia, quod pravis facultatem prædandi dedisset, et devastandi regiones maritimas. Quarta, quod coloniis expositis vexaret veteres colonos.—SCH.——*navi* A. (Ibid.) *petebat*] de g. conj. sb. *petebant* ABEPg. (puto etiam GF.)—OR.

118. *Sponte*] Id est, non arata, nec seminibus operose gravidata. Vid. Lucianus in Saturnal. tom. II. p. 611, et Claudianus III. de rapt. Proserpin. v. 20, seqq. Hesiod. Erg. I. 117. *Terminus agri*] Ita Avienus: *Nullus telluri limes datus, indice nullo Culta secabantur, neque jam discretio campum Metiri in dominos monstraverat.* Et Cicero, cujus versus nulli hactenus annotati, qui sunt apud Lactantium, Instit. Div. V. c. 5, s. 5, *Ne signare quidem, aut partiri limine campum Fas erat, in medium quærebant.* Cum itaque omnes Latini agnoscant, sequitur versum unum apud Aratum desiderari, aut potius διάκρισιν apud Aratum interpretatos esse non disceptationem, sed discretionem ut nominat Avienus, et, ut cum jurisconsultis loquar, communi dividundo judicium. Grot. Qui meminerit, versus, quos Ciceroni Grotius tribuit, esse Virgilii lib. I. Georg. 126, 127, facile judicabit, quod verum est.—SCH.——*terminis* A.—OR.

119. *Dominis*] Male MS. *dominus*. Grot. *Signo tutissima rura*] Ad hanc rem respicit Claudianus lib. in Rufin. v. 377. Similia Germanico scripsit Ovid, lib. I. Metam. v. 89, seqq.—SCH.—— *Præstabant* b. *dominus* G. Vereor, ne hic lateat ulcus. Nequaquam enim recte dixeris: "terminus præstabat dominis *tutissima* rura," pro *tuta*: et v. *signo* ita supervacaneum est. Erantne igitur duo vv. hac sententia: "nec terminus præstabat dominis securam agri possessionem, sed erant sine ullo *signo tutissima rura?*" Cfr. Avieni v. 300. Nisi vero potius pro *tutissima* leg. est *justissima*, ut Virg. Georg. 2, 460, *justissima tellus*. Tum v. *præstare* per se positum significabit *gewährleisten*, *guarentire;* nec v. *signo* tam otiosum erit quam in nostra lectione. *Justissimus* autem et *tutissimus* confusum est etiam v. 421. Et hanc equidem conj. præfero.—OR.

120. *Crevit argenti* A.—OR.

121. *Rarius—urbes*] Nam et injuriis sese ipsi afficiebant, et deis cultum negabant. Hesiod. Oper. I. 126-138.—SCH.——*Invisit*] Egsb. *invasit* ABFP. *urbis* A.

122. *Seraque*] ἐπιδείελος Arato, sed vesperam, vesperascente cœlo. SCH.——*Ab ea descendens* A.—OR.

123. *Tristisque genas abscondita ripa*] MS. *tristesque*. Versus hic corruptus. Legendum puto, *Tristique genas abscondita vitta.* Supra

habuimus: *pensavit munere ripam* positum pro *pensavit munere vitam.* Ut ibi *ripam* pro *vitam* positum, ita hic *ripa* pro *vitta*, inter quæ literæ tantum repetitæ est differentia. Gr.—SCH.——*Tristique*] g. conj. b. *tristi'que* AFP. *tristesque* BEG. s. (Ibid.) *vitta*] de g. conj. sb. *ripa* ABEGFPg —OR.

124. *Nulliusque larem*] Male hic deest copula enclitica in Manuscripto, ut et versu sequenti. Habet enim *nullius larem*, et *cœtus notavit.* Grot. Et quia latinitas hoc in loco particulam *que* solitariam non fert, necessitate adductus *et* interposui: cum præsertim autoris eam consuetudo postularet. Vide v. 149. Adde meum Tursellinum in particula *que*. Potest etiam legi *nullosque.*—SCH.——*Nulliusque larem, nullos*] A (F.) P. gb. (*ratem* F.) *Nulliusque larem et nullos* vel, quod præstat: *nullosque* s. *Nullius larem nullos*, (*nullus* superscr. *o* E.) EG. *Nullus* (sic) *tunc larem nullos* B. *addit* P.—OR.

125. *Cœtusque notavit*] (F) Pgs. *cœtus notavit* G. *notavitque cœtus* A. *cœtusque notabit* E. *cœtusque notabat* B. *cœtusque vocavit* b.—OR.

126. *Increpat: O p.*] ABEgsb. *Increpito p.* FP. (*partum* P.) (Ibid.) *suboles*] Ags. *soboles* BEPb.—OR.

127. *Degeneres semper*] Male Vulgati, *Degeneres quæ habuit s. q. h. m.* Facit huc præter Aratum, illud Horatianum libr. III. Carm. od. VI. v. 46. *Ætas parentum pejor avis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem.*—SCH. —— *Degeneres semper semperque habitura*] BEGgsb. *Degeneres semperque hab.* A. *Degeneres habuit semperque hab.* PF. (Ibid.) *minores*] ABEFPb. *nepotes* gs. Videtur conj. potius quam lectio Cd. G.—OR.

128. *Quid me*] Ita MS. Vulgati, *Quid me nunc abitu supero ad mala vota vocatis?* Manuscripti lectio proba: sed *precatis* Latinum non est. Dubito, an non *procatis* legendum. Festus: *Procat dicebant pro poscit.* Grot. Festi obsoletum *procatis* abesse jubet elegantia Germanici nostri. *Precaris*, quod nobis placuit, mire congruit cum superiore oratione. —SCH.——*Quid me, cujus abit usus, per vota*] BEGgsb. *Quid me cujus habitus super vocata* A. *Quid me nunc habitus superet* (*super et* P.) *mala vota* FP. (Ibid.) *vocatis*] AFP. *precatis* BEGgb. Leg. saltem esset cum s. *precaris* scil. *suboles.*

130. *Tradam*] male vulgati, *tradat.* Grot.—SCH.—— *Tradam*] ABEG F.)gs. *tradat* P. *student* b.—OR.

131. *Abit*] male deest hæc vox manuscripto. Grot.—SCH.—— *Montis* A. *monitus* P. (Ibid.) *abit*] AE(F.)Pgsb. om. *abit* G. Hinc male suppletum in B.: *petit.*—OR.

132. *Paventis* ABE.—OR.

134. *Demersa*] male MS. *dimensa.* Contrarium errorem in Avieno notavi. Post hunc versum sequebatur in vulgatis alius talis, *Quisque priora tenet vestigia, quisque secunda.* qui versus ex eo, qui infra sequitur, perperam repetitus, ideoque, uti in Manuscripto deest, ita et a nobis deletus. Grot.—SCH.——*Demersa*] A (F.)Pgsb. *dimensa* BEG. Post hunc v. inseritur in AFP. v. 143. *Quisque* (*Quisquis* A.) *priora tenet vestigia quisque* (*quinque* A.) *secunda.* Abest a BEGgsb.—OR.

135. *Ferrique, &c.*] Vid. Hesiod. Oper. I. 139, seqq. qui negat tum ferrum fuisse, ait æreis armis pugnatum esse.—SCH.

136. *Aratro*] Vetustissimi homines nefas existimârunt occidere bovem aratorem, ut cui victus et vitæ maxima pars deberetur. Varro I. de re rust. c. 5, *Bos socius hominum in rustico opere, et Cereris minister. Ab hoc antiqui manum ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occi-*

disset, &c. Vide quæ ad hunc Varronis locum congessimus ex veteribus scriptoribus. Vide et Barthium Adversar. I. cap. 15, p. 36, et Brœckhusium ad Tibull. II Eleg. I. v. 7, pag. 208. Hic illud unum admonebo, boves olim fere et tauros ad agrum colendum fuisse adhibitos. Ovidius Fast. I. sub fin. *Bella diu tenuere viros : erat aptior ensis Vomere, cedebat taurus arator equo.* Et mox : *Sub juga bos veniat, sub terras semen aratas : Pax Cererem nutrit ; pacis alumna Ceres.* Add. Idem Fast. II. 295, et IV. 403. Plinius XVIII. 18, *Syria quoque tenui sulco arat, cum multifariam in Italia octoni boves ad singulos vomeres anhelent.* Vid. etiam Ovid. Fast. I. 384; Antholog. Græc. lib. VII. pag. 623. Catullus Epithalam. Thetidis, v. 40. Tibullus, lib. I. Eleg. I. v. 10. Nonnus Dionys. XLI. v. 27. Sed hæc itidem alibi copiosius declarabuntur. SCH.——*Adsuetus* BE.—OR.

137. *Deseruit propere*] Male Manuscriptus *proprie*. Citat hunc versum Lactantius de Justit. V. c. 5, s. 9. Grot. Similia docet Ovidius, lib. I. Metam. v. 140, et Fastor. I. v. 249. Eratosth. cat. 9. Claudianus lib. I. in Rufin. v. 354. SCH.——*Propere* gsb. *proprie* ABEGP. —OR.

138. *Et cœli*] Si mihi persuadere possim, Germanicum voce paululum antiquiore usum, non dubitârim hic legere : *Em cœli sortita locum.* Festus, *Em pro eum, ab eo quod est is.* Sensus tale quid postulat, et forte hoc ipsum. Grot. Propius vero videatur, si scripsisse conjiciamus Germanicum : *Cœli sortitura locum*, vel *in stellis sortita locum.*—SCH. ——Necessario scribendum h. l. erat *Et cæli est* (corruptum propter scripturam *cælist.*) Vulgo omittitur *est:* quo vitio scite animadverso, Grotius haud feliciter suspicatus est: *Em cæli sortita*—et Schwartius *Cæli sortitura locum*, vel : *In stellis sortita locum.*—OR.

139. *Tardus in occasum*] *in occasu*, MS. Homerus nominat *ὀψὲ δύοντα Βοώτην*. Et Musæus, cujus locus etiamnum in mendo. Ait enim : *Καί μιν ἐποπτεύων, οὐκ ὄψομαι δύντα Βοώτην, Ὀυ ϑρασὺν Ὠρίωνα, καὶ ἄβροχον ὁλκὸν ἀμάξης, Πατρίδος ἀντιπόροιο ποτὶ γλυκυν ὅρμον ἱκοίμην.* Legendum, *οὐκ ὀψὲ δύοντα Βοώτην*, ut sit sensus : *Nempe illum aspiciens, non tardum mergere ponto Arcturum, Hyriadenve, aut sicci sidera Plostri, Oppositæ ut possim stationem attingere terræ.* Catullus in Coma Berenices v. 65. *Virginis et sævi contingens namque Leonis Lumina, Callisto juncta Lycaoniæ, Vertor in occasum tardum dux ante Booten, Qui vix sero alto mergitur Oceano.* Grot. Pertinet huc Anacreontis Carmen in Amor. pag. m. 115. *Bootes*] Quis fuerit, breviter ostendit Nonnus XIII Dionys. v. 295, p. 368. Οἵ τ' ἔχον Ἀρκαδίην πόλιν Ἀρκάδος, ὅν ποτε μήτηρ Καλλιςὼ Διῒ τίκτε, πατὴρ δὲ μιν εἰς πόλον ἄςρων Στηρίξας ἐκάλεσσε χαλαζήεντα Βοώτην. *Quique tenebat Arcadiam urbem Arcadis, quem olim mater Callisto Jovi peperit, a patre in cælo sub nomine Bootæ grandinem profundentis collocatum.* add. Eratosth. Catasterism. 8. Ovid. Metam. II. v. 466, seqq. Pausanias VIII. c. 3, p. 603, 604. Schurzfleischii Notitia Biblioth. Vinariens. pag. 145. Mihi propter Astronomiæ studium videtur in cœlum relatus. Nam viam solis invenit, Nonno teste in Dionys. XLI. v. 376. pag. 1074. seqq. Reliqua ejus inventa Pausanias docet lib. VIII. c. 4. princip. Bootes dicitur ob vicinos septemtriones, quos agit. Capella de nupt. Philol. VIII. p. 272. *Illic bis septem solitus servare triones, Pastor Hyperborea resplendet luce Bootes.*—SCH. ——*Tardum* F. (Ibid.) *occasum*] (F.) Pgs. *occasu* ABEGb.—OR.

140. *Præstanti*) male MS. *præstantis*. Grot.—SCH.——*At placidæ præstanti*] A(F.)P. (hæc *placide*) ; *ac placidæ præstanti* gbs. *at placidæ præs-*

tantis G. *a placidæ præstantis* E. *at placide præstantis* B. *lumina* B.—OR.

141. *Helicen ignis*) Male vulgati inserta copula, *Helicenque.* Grot.—SCH.——*Helicenque* FP. (hæc om. v. *ignis.*) (Non ABEG.)—OR.

142. *Quique*) Quinque hi versus in Manuscripti αὐτογράφῳ desunt: Sed in ea descriptione, quæ litera recentiori facta est, deest versus secundus. Legiturque perperam in primo versu bis *quidque* pro *quique:* et tertio versu *quæ* male pro *qui;* quinto *ignoti* bene pro *ignotæ* aut *ignotis*, ut alii. Grot.—SCH.——*Quidque ... quidque* E. Apographum Grotii. *Quodque .. quodque* B. *Quique micat caudaque armum præfulget* P. Ut nos, A. (F.) In Ms. αὐτογράφῳ Grotii omissi erant quinque vv. 143—147.—OR.

143. *Quique priora*) Non intellexit Aratum. Nam ille tres tantum stellas refert, hic quinque. Ait Aratus, Οἷος ἐοὶ πρὸ ποδῶν φέρεται καλός τε μέγας τε Εἷς μὲν ὑπ' ὠμαίων, εἷς δ' ἰξυόθεν κατιόντων, Ἄλλος δ' οὐραίοις ὑπὸ γούνασιν. Quos versus optime interpretatur Avienus, eleganter a nobis emendatus: *unus ab ora, Qua sunt prima feræ vestigia, preminet ignis: Altera, quæ pedibus regio est clunalibus, ardet Stella itidem: genibusque dehinc se tertia promit.* Grot. Nolim accusari Germanicum. Videtur enim ita legisse, Οἷος χ' ὁι προ ποδῶν φέρεται, καλός τε μέγας τε εἷς μὲν ὑπ' ὠμαίων, &c. Quæ distinctio præstat illi Grotianæ. Consentit igitur Autor cum Arato. Nam Aratus etiam, præter unam stellam in ala dextra positam, memorat alteram et tertiam ad pedes: nam singulari numero tantum propter versum utitur, alioqui scripsisset potius πρὸ ποδός. Quartam sub humeris: quintam circa lumbos: sextam sub genu. De Avieno erit alibi dicendi locus.—SCH.——Om. hunc v. BE. Habent A(F.)P. gsb.—OR.

144. *Et qui*] A(F.)Pgsb. *et qua* BE. Apographum Grotii.—OR.

145. *Namque*) Præcessit verbum *ignis.* Itaque hi versus ita legendi: *Namque alii, quibus expletum, cervixque caputque, vatibus ignoti priscis sine honore feruntur.* Grot. Quia nomen *stellæ* v. 140 respicere potuit Autor; nihil mutavi. Malim etiam legere, *expleta est.*—SCH.—- *aliæ*] ABE(F.)GPgs. Recte Schwartz supplevit " stellæ." *Alii* de g. conj. b. (Ibid.) *expletur* B. *expletum* AE(FG.) Pgsb. *capudque* A.—OR.

146. *Sine honore feruntur*) id est, non celebrantur. *Honos* autem pro *nomine* ponitur, quia nomine appellari honestum erat et nobilitatis insigne. Respicit igitur simul ad honorem ejus stellæ, quæ in spica Virginis protrygeteris appellatione ab antiquis est honestata.—SCH.——*Ignotæ*] B(G.)gs *ignoti* Eb. *ignotis* AP.—OR.

147-148. Bis hos duo versus habet A. ante Scholia et post ea. Utrobique: *Quam media.*—OR.

148. *At capiti suberunt*] Hæc Geminorum et cancri descriptio nimis arcta visa est librariis et pictoribus: itaque quod ridiculum est, quædam ex Festo Avieno deprompta hic inseruerunt hoc pacto: *At capiti suberunt Gemini, prolemque tonantis egregium, et proprio post reddita numina cœlo: Nam Lacedæmoniis cum Mars caluisset Aphidnis, Protinus alternæ germanos tempora vitæ Jupiter attollit, cœlique in celsa receptans, Alternæ flagrare facis jubet ignibus ambos: Qua media est Helice subjectum respice cancrum. Qua posterior pes, et duro concava dorso Tegmina curvantur, geminus micat ardor in auras: Forma solet: dispar chelarum flamma coruscat. Namque tribus stellis adoletur dextera cancro. Læva duas pigro succendit fomite flammas.* Vide et ride. Prætor alios errores, versus multi, qui in Avieno sunt, desiderantur mutila sententia. Sed de his ad Avienum. Grot. *Capiti*) subintellige, helices. Hoc idem in extremo versu hoc

eodem subaudi. *Gemini*) Castor et Pollux, ut plerique putant; ut alii, Apollo et Hercules. Vide præter fabularum scriptores Varronem lib. II. de Agric. cap. 1.—SCH.——*At capiti suberunt* EGgsb. *Ad capitis suberunt* B. *Accipitis suberunt* A. priore loco. *Accipiti suberunt* A. posteriore loco. *Ancipitis suberit* FP. *pars* pro *pes* F. Locum haud interpolatum servârunt AFP. Contra BEG. totum locum inde a v. 146. usque ad v. 150. sic exhibent: (do lectionem E.) *Vatibus ignoti priscis sine honore feruntur. At capiti suberunt Gemini prolemque Tonantis Egregiam et proprio post reddita numina cælo: Nam Lacedæmoniis quum Mars caluisset Aphidnis, Castora Cecropii tulit inclementia belli At frater lucemque et fata superstitit ævi Protinus alternæ germanos tempora vitæ Juppiter attollit cælique in celsa receptans Æternæ flagrare facis jubet ignibus ambos. Qua media Helice subjectum respice Cancrum Qua posterior pes et duro concava dorso Tegmina curvantur geminas micat ardor in auras Forma sedet dispar chelarum flamma coruscat Namque tribus stellis adoletur dextera Cancro. Læva duas pigro succendit fomite flammas. Ora horrentisque jubas et fulvum cerne Leonem.* Cum hac varietate: (vers. 1.) *ignotæ* B(G.) (2) *Ad capitis* B. Vv. *prolemque Tonantis* petita sunt ex Avieni *Phæn.* v. 370. (3.) Avieni v. 371. (4) Avieni v. 372. (5) Avieni v. 373. *Incrementia* B. omittit hunc v. G., ut videtur. (6) Avieni v. 374. ubi: *superstitis.* om. hunc v. G. (7) Avieni v. 376. In Avieno est: *tempore.* (8. 9.) Avieni v. 377. 378. (10) Germanici v. 147. *Media est Helice* G. *Media Helicen* B. (11) *Qua posterior pes* (EG.) ex Germanici v. 148. *Qua pede posterior* B. Vv. *duro concava dorso* ex Avieni v. 383. (12) Avieni v. 384. (13) Avieni v. 388. *Forma solet* Avien. G. *Forma solis* B. (14. 15.) Avieni vv. 389. 390. *succedit* B. (16) Germanici v. 149. *Ora frementis abhinc tu respice forte viator Horrentisque* (sic) *jubas et fulvum cerne Leonem. Hunc ubi* cet. B.—OR.

149. *Horrentesque jubas*) male MS. *ora, horrentesque;* quod ex similitudine literarum et soni natum. GROT.—SCH.

150. *Contingerit* A.—OR.

151. *Jam tum*) *tunc* Vulgati. GROT.—SCH.——*Jam tunc* PF. (Non ABEG.) *ætas* A.—OR.

152. *Tunc lymphæ*) MS. *hinc Nymphæ*, quod non contemnendum. GROT.—SCH.——*Tunc*] A(F)Pgs. *Hinc* BEGb. contra Buhlii ipsius judicium. (Ibid.) *lymphæ*] (F)Pgsb. *nymphæ* ABEG. *hinc est tr.* b.—OR.

153. *Et densas lætus*) male MS. *latus* et *condat.* GROT.—SCH.——*Latas* G. *Segentes* A. (Ibid.) *condit*] (F). Pgsb. *Condet* ABE. *Condat* G. *Aratro* A.—OR.

154. *Ne mihi tunc*) MS. *tum.* Vulgati male pro *vada cærula* habent *vaga cærula.* GROT. Sed quum Virgilius etiam, quem Autor noster sæpe sequi videtur, Æneid. lib. III. v. 207. scribat: *haud mora, nautæ Adnixi torquent spumas, et cærula verrunt:* ferri vulgata lectio itidem possit.—SCH.——*Nemini tunc* A. (Ibid.) *tunc*] APgs. *tum* BEGb. *remistu isset* A. (Ibid.) *vada*] BEGgsb. *vaga* AP.—OR.

155. *Dem potius ventis excluso vela rudente, Excipiantque sinu Zephyris spirantibus auras*): MS. *Seu potius ventis excusso vela rudente, Excipiantque sinus Zephyris spirantibus auras.* Sed legendum mistis lectionibus, ut expressum est. Ita Virgilius Æneid. lib. III. v. 267, *excussosque jubet laxare rundentes.* Per *rudentem* intelligunt eam, qua antenna ad malum constringitur. *Anquina* Cinnæ: *Atque Anquina regit stabilem*

fortissima cursum. Grot. Virgilius lib. III. Æneid. v. 682. *Præcipites metus acer agit quocunque rudentes Excutere, et ventis intendere vela secundis.*—SCH.——*Dem potius*] APgs. *Dent potius* b. *Neu potius* BEG. (Ibid.) *excusso*] BEG. (prob. g) sb. *excluso* APg. (Ibid.) *rudente*] EGPgbs. *rudenti* B. *ridente* A.—OR.

156. *Excipiamque*] APgs. *Excipiantque* BEGb. (Ibid.) *sinu*] APgs. *sinus* BEGb. *auris* A. A v. 151. usque ad v. 156, nulla varietas notatur e Cd. F.—OR.

157. *Sive Attide terra*) Quantam hic abscedit vulgata illa et depravata lectio: *sive inclyta forma?* Et bene *Attide terra natus*, quia ibi et Panathenæa instituisse, et templum arcemque ædificasse dicitur. Grot. Argentum invenisse idem fertur. Plinius VII. 56. Vixit circa Mosis tempora—SCH.——Omittit vv. 157—240. Cd. B. (157) *sive Atthide terra*] EGgsb. *sive* cum defectus signo A.; tum expleta lacuna a manu Sec. XV.: *inclyta forma—sive inclyta forma* FP.—OR.

158. *Qui primus*) Non probo vulgatam, *qui curru.* Virgilius Georg. lib. III. v. 113. *Primus Erichthonius currus et quatuor ausus Jungere equos.* Grot. Manilius lib. I. v. 364. *Quem primum curru volitantem Jupiter alto Quadrijugis conspexit equis, cæloque sacravit.* Add. Ælianus Var. hist. III. c. 38. Plinius VII. c. 56. Hyginus Poët. Astron. lib. II. Scholiastes Germanici.—SCH.——*Erythonius* A. *Eryctonius* E. (Ibid.) *qui primus sub juga*] EGgsb. *Qui tribus sub juga* A. *Qui currus sub juga* FP.—OR.

159. *Quadripedes* A. *Mysteas* A.—OR.

160. *Myrtilus*) fuit Œnomai regis auriga, et quia Pelopis cum Œnomao quadrigis certaturi pollicitationibus adductus currum regis sui corruperat, a Pelope victore in mare Myrtoum præcipitatus periit. Verebatur enim Pelops, ne scelesta victoria per Myrtilum proderetur, et ignominiam ipsi afferret. Hyginus fab. 84. Scholiastes Germanici in Aurig. Pausanias VIII. c. 14, ubi simul docetur, mare Myrtoum non a Myrtilo, sed a Myrto puella quadam dictum esse. Pindarus Olymp. Od. I. Sophocles in Elect.—SCH.——*Myrtilos*] AFP. *Myrtilus* Egsb. *sidere aeddit* A.—OR.

161. *Sic nulli currus*) ita MS. Vulgati, *Sic nulli cursus, sic ruptis mœstus habenis.* Alludit ad nomen Ηνιόχȣ hoc est habeniferi, quem et Arabes eadem significatione מאשו אלעבאן appellant, ut monuit etiam Scaliger. Grot.—SCH.——*Currus*] A. E. (hic superscr. *s.*) Ggsb. *Cursus* FP. (Ibid. *ruptis*] EFPb. *Ruttis* A. *Raptis* gs.—OR.

162. *Hippodamiam*) Œnomai filiam, cujus proci cum patre ea lege quadrigis certabant, ut victi vita privarentur, sed astutia victor Pelops quum evasisset, regnum Œnomai una cum filia occupavit. De Pelope multa Pausanias passim. Strabo VII. p. 494, et VIII. p. 545, et 552. Pindarus Olymp. od. IX.—SCH.——*Perfidia*] AEgsb. *perfidiam* FP. *rattam* A. *hippodiam* A. *ippodomiam* E. *hyppodomia* P.—OR.

163. *Ipse ingens*) Ita MS. nisi quod pro *abit* habeat *adit.* Vulgati habent, *transversus abit lævam.* Forte, *Ipse ingens transversus adit lævam Geminorum.* Si *traversus* malis, non pugnabo. *Transversum* sive *traversum* dixit, quod Aratus κεκλιμένον. Illud quoque *ingens* non temere positum. Nam et Aratus habet μέγας. Grot. *Abit læva Geminorum*) id est, ad lævam Geminorum positus volvitur. *Adit* figuræ cœlesti minus convenit.—SCH.——*Traversus* gs. (Ibid.) *abit læva*] AE(F)gs. Buhle in

Annott. *adit læva* G. *abit lævam* P. *adit lævam* de g. susp. b. in contextu. —OR.

165. *Numia* A. *putatus* P.—OR.

166. *Nutrix esse Jovis*) adde Hyginum Poët. Astron. lib. II. in Henioch. et ipsum Aratum. item Ovidium Fastor. V. 111—128. Manilius, v. 129. *Olenie servans prægressos tollitur hædos, Officio magni mater Jovis. Illa Tonanti Fundamenta dedit, pectusque implevit hiantis Lacte suo.*—OR.

167. *Capræ*) Lactantius Instit. I. c. 21. s. 38. *Capella est Amaltheæ Nymphæ, quæ uberibus suis aluit infantem Jovem.* Sed idem pro *una putator* citat *illa putatur.*—OR.

168. *Gratum testatur*) Male vulgati, *te gestat.* Manuscripto consentit Lactantius diligens, ut videtur, et videri voluit, Germanici lector; quem vide *libr. I de falsa Relig. c.* 31. *s.* 38. Grot.—SCH.——*Gratum testatur*] Lactant. *Inst.* 1, 21. AEGgs. *gratum te gestat* FP. *Sidere testatur quæ claro gratum al.* b.—OR.

169. *Hanc auriga humero tam gerit, ac manus hædos*) Ita vulgati. Manuscriptus *Hanc auriga humero portans, in manibus hædos*, contra versum, nisi dicas *humeris* et *immanibus* legendum, quod non puto. Itaque mistis lectionibus conjicio, *Hanc auriga humero portans gerit, at manus hædos.* Grot. Humerus lævus hic intelligitur. Aratus. Et quia caput et dextrum pedem ab humero avertit capra, *tortam* merito præoptavimus.—SCH. ——*Humero totam gerit; at manus*] FP. firmantes g. susp., qui sic dedit, sed; *ac* pro *at.* (*tortam* mutavit in hac lect. *s.*) *umero totam gerit ad manus* A. *humero portans in manibus* EG. *humero portans at manibus* b. in Annott. tamen probans nostram lect.—OR.

170. *Ubi illos*) Ita Manuscriptus optime. Vulgati *in undis*, nulla similitudine aut veritate. Altero versu pessime Manuscriptus, *ad semel hædis.* Nos mistis lectionibus locum hunc pristino nitori restituimus. Grot. Pro *celsus* malui *celsos.* Nam ita Latinitas postulat.—SCH.——*Sidus ubi illos*] EGgsb. *sidus sub illos* A. *sidus in undis* FP.—OR.

171. *Celsos*] A. firmans s. conj. *Celsus* EFGPgb. (*Orbis ad* (sic) *oceano celsos* A. *Orbis oceano celsus* E.) (Ibid.) *haud semel hædi*] gsb. *aut s. hædi* AP. *ad semel hædis* EG.—OR.

172. *Paventis* Ag.—OR.

173. *Ter sævos* A.—OR.

174. *Aurigæ pedibus*] Nonnus Dionys. Ip. 30. Ἀντέλλων δὲ παρὰ σφυρὸν ἡνιοχῆος Νυμφιος ἀϛερόεις ἀμαρύσσετο ταῦρος ὀλύμπȣ. *Taurus* hic putatur Jupiter esse, qui Europam per mare vexit in Cretam. Ovid. Fast. v. 605. Eratosth. Catast. 14. Alii putant esse Io sive Isidem in bovem conversam, et ex bove deam factam. Ovid. Fast. v. 619. collat. Ovid. Metamorph. 1. 588, 610, 611, 747, add. Gruter. Inscript. pag. 138. et 82, 83. Capella Philol. nupt. libr. II. pag. 39. Spanhemius observat. in Callim. p. 373. Clemens Al. Strom. lib. I. pag. 322. Suidas in lo. et mythologi.—SCH.——*Atjacet* A. *TEDURUS* A.—OR.

175. *Ore minaci*) *igne minaci* Vulgati. In Arateis notis diximus, Germanicum πεπτηῶτα minacem interpretari, ut et alii in aliis autoribus, quod verissimum.—SCH.——*Gerent* A. (Ibid.) *ore minaci*] AEGgsb. *ignem.* FP.—OR.

176. *Quemlibet ignarum cæli tua forma docebit*) Audi vulgatam lectionem, et mirare: *Quem liber ignarum cæli formando docebat.* Sed quia non Taurum alloquitur, sed de Tauro loquitur, paululum a Manuscripto recedentes legendum ducimus: *Quamlibet ignarum cæli, sua forma docebit, et caput, et patulæ nares, et cornua Tauri.* Sensus est clarissimus, forma

Tauri, et nares, et caput, etiam astrorum ignarum docere possunt, quia non opus habet aliis astris, a quibus designetur. Scholiastes Arati: οἱ γὰρ ἀςέρες ἀυτοῦ βούκρανον ἀληθῶς διαγράφυσι, καὶ διὰ τοῦτό εἰσι γνώριμοι, οὐδενὸς τῶν γειτνιώντων πρὸς κατανόησιν δεόμενοι, ὡς ὁ κριὸς ἀμυδρὸς ὢν ὑπ' ἄλλων ἑυρίσκεται. Hoc est, *Stellæ enim illius diserte caput bubulum exprimunt, ideoque sunt cognitu faciles, neque vicinas alias ad indagationem requirentes, quamadmodum aries obscurior per alia sidera reperitur. Aratus ipse:* Τὰ δὲ μάλα ἐοικότα σήματα κεῖται. Τόιη ἡ κεφαλὴ διακέκριται, οὐδέ τις ἄλλῳ Σήματι τεκμήραιτο κάρη βοὸς, οἷά μιν ἀυτοὶ Ἀςέρες ἀμφοτέρωθεν ἑλισσόμενοι τυπόωσι. Eleganter Avienus; *Proprio Taurum deprenderis ore.* Neque obstat, quod Grammatici dicant *suum* non nisi cum reciprocatione poni, cum similiter et Virgilius dixerit, *Namque suam antiqua patria cinis altus habebat.* Et similes locos in Manilio suo observavit Scaliger, Vir, vere dicam, non πολυίςωρ, sed πανίςωρ. Grot. Vide Sanctii Minervam de particula *suus.* Et sæpe *suus* ponitur pro *proprius.* Reliqua immutata relinquenda putavimus.—SCH.——*Quamlibet* de g. conj. s. *Quemlibet* EG(F?)gb. *Quem liber* AP. *ignorum* A. (Ibid.) *cæli sua forma*] A. firmans g. conj. sb. *c. tua forma* EGg. *c formando* FP. (Ibid.) *docebit*] EGgsb. *docebat* AP.—OR.

177. *Capud* A. (Ibid.) *patulæ*] sic dedi de g. conj. *patulas* AF(GF)gsb. *apulas* P. *navis* A.—OR.

178. *Hyades*) Latine *suculæ.* Tiro apud Gellium XIII. c. 9. *Suculæ cum oriuntur et cum occidunt, tempestates, pluvias largosque imbres cient.* Claudianus de bell. Gildon. pag. 33. *Imbribus humescant hædi, nimbosaque Taurum ducat Hyas.* Ovid. Fastor. v. 165. *Ora micant Tauri septem radiantia flammis, Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat. Pars Bacchum nutrisse putant: pars credidit esse Thetyos has neptes Oceanique senis, &c. Quæ cornus*) Manuscripti lectio ista, nisi quod *hæc* pro *hac* ex vulgatis substitui. Vulgati pessime habent, *Fronte micant Hyades, quæ cornua flamma sinistri Summa tenet. Sub hæc eadem vestigia dextra Aurigæ, mediaque ligant compagine divos.* Nullo sensu aut metro. Tu lege et distingue, ut supra expressum est. Sensus est: una eademque stella tenet apicem cornu sinistri, et pedem dextrum Aurigæ. Aratus: ——λαιοῦ δὲ κεράατος ἄκρον Καὶ πόδα δεξιτερὸν παρακείμενον ἡνιόχοιο Εἷς ἀςὴρ ἐπέχει. Avienus ita refert: *Una pedem Aurigæ dextrum cornuque sinistrum stella tenet pecoris. Cornus* substitui, jubente Manuscripto. Martianus Capella lib. III. de nupt. Philol. pag. 73. *Quamvis ergo dissimilia sint* Senatus *et* exercitus, *tamen sic* genus *et* cornus *in genitivo dicendum est, quemadmodum* Senatus *et* exercitus. In ultimo versu pro *divos binos* substitui, commodiore sensu. Possit tamen *divos* retineri, si Jovem et Erichthonium intelligamus. Grot. *Cornus*) Priscianus lib. VI. p. 169. *In u latina sunt generis neutri, et aptota in singulari numero, non etiam in plurali, ut hoc cornu, tonitru, genu, gelu, quæ tamen antiquissimi inveniuntur in* uni *quoque proferentes, in eodem genere, et in* us *genere proferentes masculino, et quartæ declinationis, ut Lucanus in VII: Cornus tibi cura sinistri. Idem in eodem: Seu tonitrus ac tela Jovis præsaga notavit.*—SCH.——*Hyadis* E. (Ibid.) *cornus*] EGgsb. *cornua* AFP.—OR.

179. *Subit hæc eadem*] Agsb. *subit hac eadem* EG. *sub hæc eadem* P.—OR.

180. *Ligat*] de g. conj. s. *ligant* AE(G)FPgb. (*binos* pro *divos* (Cdd.) g. conj. Sed aliquoties sidera *deos, divos* vocat poëta.)—OR.

181. *Summo cum piscibus ore*) Falsum hoc, et Arato intactum. Lege

cum manuscripto, *Myrtilus exoritur summo cum fluctibus ore, &c.* Expressit illud Arateum ὁμηλυσίῃ περ ἀνελθών. Male tamen versu altero MS. *tutus* pro *totus* habet. GROT.—SCH.——*Myrtilos*] AFP. *Myrtilus* bis Egsb. (Ibid.) *fluctibus*] EG. (prob. g.) sb. *piscibus* AFPg.—OR.

182. *Tutus* EG. *cum taure* (sic) A. Sed vv. 182, 183, a secunda manu, etsi perantiqua, in A. suppleti sunt.—OR.

183. *Super terras*) Vides, etsi hic nullus motus ad locum significetur, tamen *super* quarto casui adjungi. Fallunt ergo Grammatici plerique. Similem constructionem vide in Livii XXII. 4. XXXVI. 10. I. 26. Ovidii Amor. I. eleg. 6. Plinii II. c. 18. XVII. 17. XIX. 3. Celsi de Art. Med. VII. 19. VIII. 9. IV. c. 4. de tussi. Statii Theb. VIII. v. 619. —SCH.——Fortasse: *quam fulget.*—OR.

184. *Cepheus*) Æthiopum rex, vel Chaldæorum. Nam incerta res est. Vide Berckelium ad Stephani *Iopen* et *Chaldæos*, Eratosthenem, reliquos mythographos. Sed nescio, annon ex hac veterum dissensione (qualis videtur) itidem probari quodam modo queat, Æthiopiam vetustissimorum Scriptorum fuisse etiam in Arabia et circa, non solum in Africa superiore. Vide præter Bochartum, quem Cellarius etiam in notit. orb. ant. lib. IV. c. 8. p. 232. sequitur, Marshamum Canon. Chron. pag. 335. seqq.—SCH. ——*PHÆWS* (sic) A. *cephæus* E.—OR.

185. *Quia*) male MS. *qua*. Aratus, ἐπεὶ διὸς ἐγγύθεν ἦσαν. Male quoque *breve* pro *brevem*. GROT. Ratio cur in cœlo fuerit repositus, Ciceroni videtur astronomiæ studium. Vide eum lib. V. Tusc. Qu. c. 3. —SCH.——*Qua* EG. *autor* P.—OR.

186. *Diducto passu* malo vulgati, *passim*. GROT. *Quantum l. a. p. d. Cepheus e. t. c. c. Tantumque a. l. d. m. u. i. R. Cepheos vestigia*) Hæc verba Germanici illam habent sententiam: *Extrema ursæ minoris cauda inter Cephei pedes ita stat media, ut si quæ lineæ ab extrema cauda ad utrumque Cephei pedem ductæ sint, illæ inter se forent æquales. At minore spatio plantæ pedum Cephei inter se distant, quam quantum ambæ illæ lineæ conficiant.* Sed Arati sermo hoc sibi vult: *extremam ursæ caudam intra Cephei pedes in tantum protendi spatium, quantum illud spatium sit, quod inter utrosque Cephei pedes intercedat.* Rem ipsam non tam Schickardi astroscopium, quam Habrecti declarat; neque tamen ne hoc quidem satis. Grotii conjectura de verbo *disterminat* pro *distat minor* videtur improbanda esse, quia spatii, quod inter utramque Cephei plantam pedum intercedit, mentionem abolet. —SCH.——*Prudesti* (sic) A.—OR.

187. *Tantumdem*) male MS. *Tantumque*. Sed locus hic totus a vitio scripturæ distinctionibusque corruptissimus. Puto me veram lectionem invenisse. Ea hæc est: *quantum latus a pede dextro, &c.* ut supra jam expressum est. Versus sunt præclarissimi. *Latus* Germanico est ϛάθμη *regula, linea.* Ita alibi (v. 523. seqq.) *In sex signiferum si quis diviserit orbem Æquales partes, succumbet regula binis Inferior signis, spatium tantumque tenebit Una, sui lateris quantum a tellure recedit.* Ita enim versus illos corruptissimos emendandos docebimus. Vides *latus* nihil aliud, quam lineam rectam. Ita apud Euclidem: τρίπλευρα μὲν τὰ ὑπὸ τριῶν· τετράπλευρα δὲ τὰ ὑπὸ τεσσάρων· πολύπλευρα δὲ, τὰ ὑπὸ πλειόνων ἢ τεσσάρων εὐθειῶν περιεχόμενα. Hoc est, *Trilateræ figuræ, quas tres, quadrilateræ, quas quatuor; multilateræ, quas plures quam quatuor rectæ lineæ ambiunt.* Deinde emendavi pro *Cepheus*, *Cepheos*; et pro *distat minor* reposui *disterminat*; pro *adflexum ac flexum*: quæ omnia non puto eos improbaturos qui ista Arati perpenderint: Ἴση δὲ ϛαθμὴ νεάτης. ἀποτείνεται οὐρῆς Εἰς πόδας ἀμφοτέρους, ὅσση ποδὸς εἰς πόδα τείνει.

Αὐτὰρ ἀπὸ ζώνης ὀλίγον κε μεταβλέψειας Πρώτην ἱέμενος καμπὴν μεγάλοιο δράκοντος. Τοῦ δ' ἄρα, &c. Notandum etiam uno loco Germanicum ad morem communis Græcorum linguæ *κηφέος* dixisse, altero ad morem Ionum *κηφῆος*. Grot.—SCH.——*Breve* E. *stans* E.—OR.

188. *Passu*] EGgsb. *passim* AFP.—OR.

189. *Cepheos*] A. (ut volebat g.) sb. *Cepheus* Pg. *cephæus* E. *cynosura* c. A.—OR.

190. *Tantundem*] (A.)Psb. *Tantumque* EGg. (Ibid.) *ab lævo* EGgsb. *a lævo* FP. (Ibid.) *distat; minor*] AEGFPgs. *disterminat* de g. conj. b. (*Tantum demabia evodistat minor* A.—OR.

191. *Regula, Cepheos vestigia baltheus ambit. Qua latus afflexum sinuosi respicit anguis, Cassiepea, &c.*) Distinctio mutanda fuit necessario, ut commoda efflloresceret sententia. Neque ex *afflexum* male *hac flexum* fecisse videmur, Arato favente. *Latus* autem potissimum dextrum intelligitur, et *flexus* serpentis *primus*, quod verbum male omisit Germanicus.—SCH.——*Cephæos* E. (Ibid.) *balteus*] AEgs. *baltheus* Pb.—OR.

192. *Clara etiam pernox)* MS. habet, *Clara etiam nox cum stellas luna refulsit.* Legendum forte: *Clara, etiam pernox cum stellas luna revulsit.* Hoc sine dubio voluit Germanicus, Cassiepeam etiam plenilunio lucere: nam subjungit adversativam, *Sed brevis.* Atqui pugnat Aratus: *Τοῦ δ' ἄρα δαιμονίη προκυλίνδεται οὐ μάλα πολλή, Νυκτὶ φαεινομένη παμμηνίδι Κασσιέπεια. Οὐ γάρ μιν πολλοὶ*, &c. Ad verbum Avienus, *Infortunatam spectabis Cassiepeam: Sed nec multa tamen, cum cœlum lumine toto Luna replet: &c.* Sed legerit in Ærato ita Germanicus: *Τοῦ δ' ἄρα δαιμονίη προκυλίνδεται ὃν μάλα πολλοὶ Νυκτὶ φαεινομένη παμμηνίδι, Κασσιέπεια. Οὐ δ' ἄρ μιν πολλοί*, &c. Hoc est, *Non procul infelix cæli rapido orbe rotatur Cassiepea, nitens plenæ quoque lumine lunæ, Sed brevis, &c.* Constat igitur hoc pacto Germanici sententia. Grot.—SCH.——*Ac flexum*] de g. conj. b. *adflexum* FEG. *afflexum* EPg. *hac flexum* s. ita ut hic v. separetur a sequente.—OR.

193. *Sed brevis*) Male manuscriptus, *Est*, transpositis literis. Male etiam eodem versu copulam omittit, quæ ad sententiam et versum necessaria. Grot.—SCH.——*Cassiepia*] EFP. *Casiepia* A. *Cassiepea* gs. *Cassiepeia* b.—OR.

194. *Qualis ferratos obicit c. d. S. et f. prædicti v. c.*) Lectio hæc manuscripti tolerari potest. Vulgati habent, *Quales ferratos subicit clavicula dentes Succutit et foribus præducit vincula claustri.* Unde Scaliger fecit, *Qualis ferratos ubicis clavicula dentes Succutit, et foribus redducit vincula claustri. Ubicis* pro *obicis* scriptum putans, et *reducit* prima producta Lucretiano more dici. Sed quia Avienus clavi comparat, et hoc ipsum in Arato unius literulæ mutatione (ut inibi diximus) potest obtineri, malim ita legi, ut nos posuimus ex Manuscripti fide, aut, si quid mutandum, hoc modo: *Qualis ferratos obici clavicula dentes Succutit et foribus præducit vincula claustri.* Nihil enim opus *ubici* scribere, cum Manuscriptus non *subicit*, sed *obicit* referat. Et alias quoque *subici* eadem forma, qua *obici*, dici posse videtur, quod verbum Ennio quoque usitatum. Mirandum autem non est, si secunda syllaba in *clavicula* producitur, quæ regulariter corripi debuerat, cum similia verba apud Poetas, ut *cuticula* et *canicula* simili modo efferri videamus. Grot. *Canicula* quidem apud Manilium lib. I. v. 385. Salmasius in Exercit. Plinian. pag. 651. b. pro *obici* ex scriptura vetustissimi codicis *obicit* et pro *præducit prædueti* legit. *Præductum claustrum foribus* esse seram obductam foribus

dicit. *Ferratos dentes* esse ὀχῆας Arati. *Claviculam* esse Laconicam clavem, de qua is copiose disputat. Idem pag. 653, b. C. ita scribit: Longe disertius ac planius esset, si legeretur *Quales ferratos subicit clavicula dentes*, &c. Scriptum *qualis* pro *quales*. Repetendum ex sequenti, ac subaudiendum *qualis ferrato claustro*. Quales dentes clavicula ferrato claustro subjicit et succutit. Et sane clavis, quæ claustrum januæ succutit et sursum pellit ut aperiatur, claustro utique subjicienda est. *Quales ferrato* repetendum ex sequentibus *claustro*. Loquutio poëtis familiaris. *Ferrati dentes* clavis haud recte dicantur, qui αὐτόχρημα ferrei sunt. Ut nec *auratus* pro aureo usurpatur, &c. Hæc Salmasius. *Dentes*) Dentes in clavibus dicebant. Tibull. lib. I. Eleg. II. v. 18. *Seu reserat fixo dente puella fores.* Hic ergo *fixo dente* est *inserta clavi*. Turnebus lib. XVI. c. 4. Adversar.—SCH.——*Pernox*] gsb. *pernix* AFP. *nox* E. (Ibid.) *cælo quum Luna*] AFPgsb. *cum stellas* EG. (Ibid.) *refulsit*] AEGF *refulget* Pgsb. (*pernox quum stellas Luna refulsit* g. susp.) —OR.

195. *Disposita est*) Ita bene MS. διάκειται. Male vulgati *dispositis*. Male sequenti versu MS. *si* pro *sic*. Grot.—SCH.——*Est brevis* Eg. (om. *et* E.)—OR.

196. *Subicit*] AFPb. *obicit* EGg. *obici* de g. conj. *s. dentis* E.—OR.

197. *Præducti*] Eb. sicque volebat Oudendorp. ad Appul. T. I. p. 651. *prædicti* Gg. *præducit* AFPs. (*claustra* superscr. *i.* E.)—OR.

198. *Disposita est stellis*] EGgsb. *dispositis stellis* AFP. *orrida* A.—OR.

199. *Sic tendit p. &c.*] Hæc postrema de figuratione Cassiepeæ palmas tendentis, quasi plangat Andromedam, extra comparationem clavis posita sunt, et nihil habent cum ea commune, &c. Salmas. Exercit. Plinian. pag. 653. b.—SCH.——*Ceu sit*] Pgsb. *ceu si* AEGF.—OR.

200. *Meritam*] ita MS. Vulgati *meritæ*. Utrumque tolerari potest: hoc, ut dicamus, *injusta piacula meritæ matris*: illud, ut dicamus; *immeritam piacula justa matris*. Sed prius venustius. Grot. *Non justa piacula*) Manil. V. 535. *Hanc quondam pœnæ dirorum culpa parentum Prodidit, &c.* Propert. IV eleg. 7, v. 63. *Andromedeque et Hypermnestre sine fraude maritæ Narrant historiæ pectora nota suæ. Hæc sua maternis queritur livere catenis Brachia, nec meritas frigida saxa manus, &c. Matris*] in Nereidas superbæ. Lucian. pro imag. p. 19. Manil. I. 353, seqq. Ovid. Metam. IV. 669, seqq.—SCH.——*Meritæ*] AFPs. i. e. quæ injuste pœnas luit ob matris culpam. *meritam* EGgb.—OR.

201. *Andromede*] male MS. *Andromedam*. Grot. *Andromede*] filia quondam Cephei regis Æthiopum et Cassiepeiæ. Hæc mater quum suam pulcritudinem prætulisset illi Junonis, aut, ut alii dicunt, Nereidum: earum hortatu Neptunus per cete Æthiopiam vastavit: cui beluæ Cepheus filiam objecit pro cibo. Vid. Tzetzes ad Lycophr. Alexand. v. 836. Apollodorus Biblioth. lib. III. Strabo lib. XVI. p. 1100. Hyginus, &c. Andromeda liberata a Perseo, peperit ex eo filium Erythram. Capell. de Geometr. pag. 219. *Cernere posse*] Ita MS. Vulgati *nondum*, ex quo commodo sensu *quanquam* possis facere. Sed manuscripti lectio vera, *posse licet* pro *licet* simpliciter. Ita Manilius *potuit generare* pro *generavit*. Et sæpe talem phrasin observavi apud Martianum Capellam nuperrime a me editum. Grot.—SCH.——*Andromede* APgsb. *Andromedam* EGF. (Ibid.) *cernere posse*] EGgsb. *CERNERE NOTU* cum lin. supra lit. *V*. G. *cernere nondum* FP.—OR.

202. *Emicat*] Male MS. *micat*. Grot.—SCH.——*Micat* G. (non E.)—OR.

N

203. *Candet nitor*] Ita hi versus bene concepti in manuscripto. Aliter in vulgatis: in quo quædam errata, quædam adiaphora, *Sic magnis humeris candens nitet ac media ambit Ignea substricta fulget qua Zonula palla.* GROT.—SCH.——*Candet nitor*] A. (nisi quod *candit*) EGgsb. *candor nitet* F. *candens nitet* P. (Ibid.) *hanc*] EGgsb. *ac* APF.—OR.

204. *Sustricta* A. (Ibid.) *lucet qua*] A. *lucet quæ* EGgs. *fulget qua* FP. *talla* A.—OR.

205. *Pœnæ facies remanet*] belle de hac re ipsa queritur Andromeda apud Nonnum Dionys. XXV. 123, et lamentatur Cepheus apud eundem XXV. 138. Respicit eodem Epigramma Græc. lib. IV. Antholog. cap. εἰς ἡρωίδ.—SCH.——*Sed pone* A. (Ibid.) *mana* (sic) pro *remanet* F. (Ibid.) *districtaque*] P. *destrictaque* A. *distractaque* EGgsb. *districtaque* (hanc lect. recte defendens) *pendet Brachia* (accusativ.) Wakefield ad Lucret. 5, 1064.—OR.

206. *Ceu duri*] *ceu magni* vulgati. Et hoc ἀδιάφορον. GROT. *Robore*] Male MS. *robora*. GROT. *Saxi*] Pariæ, quod contra Joppen Phœnicum in mari situm est. Plinius V. cap. 13. *Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. Insidet collem, præjacente saxo, in quo vinculorum Andromedæ vestigia ostendunt.* add. Plinius V. c. 30. Strabo XVI. pag.1100.—SCH. ——*Duri*] AEGgs. *magni* FPb. *robora* EG.—OR.

207. *Andromedæ capiti*] Versus hic deerat in vulgatis, et sequens hoc pacto erat depravatus, *Andromedæ vero radiat qua stella sub ipsa.* Nos ex manuscripto supplevimus et emendavimus. GR. *Sonipes supereminet ales*] Sic enim pingitur Pegasus, ut alis instructus sit. Claudian. de IV Honor. Consul. *Ipse tibi famulas præberet Pegasus alas, Portaretque libens, melioraque pondera passus Bellerophonteas indignaretur habenas.* Add. Non. Dion. XXXVIII. 400 seqq. Vaillantius in numis coloniar. part. II. p. 91. Strabo, lib. VIII. pag. 592. Fuit hic equus a Minerva domitus, et post Bellerophonti donatus. Pausan. lib. II. c. 4. Palæphatus in hist. incred. c. 29 Pegasum navem fuisse dicit.—SCH.—— Habent hunc vers. EGgsb. Abest ab AFP.—OR.

208. Sic E. (*radiatque*) Ggsb. *Andromedæ radiatque stella sub ipsa* mance A. *Andromedæ vero radiat qua stella s. i.* ex interpol. FP. Post hunc v. in E. sequitur v. 224. *Inde subest*, omissis h. l. v. 209-223, qui leguntur post v. 247. *Threïcias dextram.*—OR.

209. *Alvo fulget equi*] male Vulgati, *Alvo fulget equus: tres armo, sed l. æ.* Manuscripta lectio hic mihi verat. GR.—SCH. ——*Alvo*] EGgsb. *Albo* AFP. (Ibid.) *equi*] AEGgsb. *equus* FP. (Ibid.) *armos*] AEGgsb. *armo* F. *harmo* P. (Ibid.) *et*] EGgsb. *ed* A. *sed* FP.—OR.

210. *Destringunt* A. solus. *tristristissima* A.—OR.

211. *Ast cervix*] vulgati *Et*. Tu elige. GROT.—SCH.——*Et*] A(F)P. sb. *Est* E. *Ast* Gg. *obscure* A.—OR.

212. *Sed qua ferus ore lupatos*] male MS. *Spumanti mandit seque ferus ore lupata.* Sed legendum ἀναμφισβητήτως, *Spumanti mandit sed qua ferus ore lupato.* Affine illud Maronianum Æneid. IV. v. 135. *Stat sonipes et frena ferox spumantia mandit.* Ex quo hoc adumbratum. GR. *Ferus* pro equo apud Virgilium etiam lib. II. Æneid. v. 50. *Sic fatus, validis ingentem viribus hastam In latus, inque feri curvam compagibus alvum Contorsit.*—SCH.——*Mandit sed qua*] gsb. *mandet set quæ* A. *mandit sed quæ* FP. *mandit seque* EG. (Ibid.) *lupata*] (F?) s. *lupato* AEPb. *lupatos* g.—OR.

213. *Et capite et longe*] MS. *et capiti*, ἀρχαϊκῶς, *et longa* vere. Aratus οὐδ' αὐχὴν δολιχός περ ἐών. Et Homero scimus laudari ἐριαυχένας

ἵππυς, hoc est, longecervicos equos, ut et nos ad Pacuvianum morem novum verbum fingamus. Gr.—SCH.——*Capiti* EG. (Ibid.) *longa*] EG. (prob. g.) sb. *longe* APg.—OR.

214. *Stella nitens armis*] Ita bene vulgati: male MS. *Stella nitent armis.* Grot.—SCH.——*Harmis* P. *nitent armi* EG. (Ut nos, A(F)Pgsb.—OR.

216. *Primo præstat equum*] Vulgati. *Primo præstat equo.* Ego ex Manuscripti lectione hoc cuderem, *Primum præstat equum,* pro eo, quod est *principium equi,* sive *primas partes ostendit.* Possis etiam legere, *primum restat equi.* Pro *rupta,* quod est in manuscripto, vulgati *rapta* habent, quod tamen non improbandum. Grot.—SCH.——*Primum* g. susp. (Ibid.) *equum: medio rupta*] EGgsb. *equoammedior apta* (sic) A. *equo medio rapta* P. *equo medio rapit* F.—OR.

217. *Destituunt visus: rudis*] ita MS. Non male. *Rude* enim opus Græci vocant ἡμιτελές. Equus autem ἡμιτελής, ut et Aratus nominat. Vulgati habent, *m. r. o. membra Destituunt, visus radiis hinc surgit imago Gorgonis hinc proles, &c.* Possis legere, *medio rupta ordine membra Destituunt visus radios: hinc surgit imago. Gorgonis hic proles, &c.* Partes illæ sive stellæ quæ non sunt, sed ex fabula esse finguntur, dictæ sunt a veteribus cerni non posse ob oculorum defectum. Ita de septima Pleiade Germanicus v. 258, *sed carpitur una, Deficiente oculo distinguere corpora parva.* Simile hic in equi posterioribus. Sed utram lectionem retineas, oportet *hinc* vel *illinc* interpretari pro *ab his partibus* ut apud Plautum et alios *unde* pro *a quo.* Grot. Ratio, cur partes illæ figurarum cœlestium, quæ stellis nullis sunt insignitæ, neque revera usquam extant, oculos effugere dicantur et dici possint, repetenda ex annotatione ad v. 64.—SCH. ——*Rudis inde assurgit*] EGgsb. *radiis unde absurgit* A. *radiis hinc surgit* FP.—OR.

218. *Gorgonis hic proles*] et Neptuni. Totam hujus rei rationem exponit Tzetzes ad v. 17. Alexand. Lycophr. p. 3. Hyginus in Equo, Pindarus Olymp. od. 13. et alii. Sed Palæphatus de incred. hist. ingeniose demonstrat fabulæ hujus originem, cap. 32, p. 43. *Hic proles*] Ita manuscriptum. Male Vulgati *hinc.* Male MS. et ridicule *imperio* pro *in Pierio.* Grot.—SCH.——*Hic*] AEGgsb. *hinc* FP. *implerio* A. *imperio* G. (non E.) *helycone* E.—OR.

219. *Decurreret*] Melior hic vulgata lectio, quam illa manuscripti *discurreret.* Grot.—SCH.——*Decurreret*] (F)Pgsb. *decurret* A. *discurreret* EG.—OR.

220. *Ictibus hausit*] id est, ictu pedis dextri prioris e petra Heliconis fontem elicuit. Strabo VIII. pag. 582. Pausanias lib. II. c. 31. add. Eratosth. cat. 18.—SCH.——*Museos fontis* AE.—OR.

221. *Hippocrenen*] MS. *Hippocrenes.* Plaut. Prol. Amphitr. v. 19. *nomen Mercurii est mihi.* Horatius, *cognomen pinguis damus.* Gr.—SCH.—— *Dedit* pro *tenet* solus F. (Ibid.) *Hippucrenes*] E. *Hippocrenes* Gsb. *Hippocrenem* AFP. *Hippocrenen* g.—OR.

222. *Fontes nomen habet*] Ita Vulgati. MS, *Fontis nomen habet,* quod forte tolerari possit, si quidem fatemur, ita veteres recto casu extulisse, præsertim cum et Varro dicat a *ponte* nominativum *pontis* analogicum magis esse quam *pons.* Sed puto transpositis literis scriptum, *Fons it nomen habet* pro *id,* ut sæpe *set* pro *sed, at* pro *ad,* et contra in hoc manuscripto invenitur, quod et verum puto. Grot. Elegantiam Arati hic etiam minus assequitur Germanicus.—SCH.——*Fontis nomen habet*] EGb. *Fontes inq. men* (sic) *habent* A. *Fontes nomen habent* (F?)Pgs. *Fons id nomen habet* g. susp. Puto fuisse : *Fontis nomen habes* i. e. " scis

nunc, lector, unde deductum sit." Hoc quoque languet, sed poëtæ fortasse ipsius culpa. *pesagus* E.—OR.

223. *Veloces agitat pennas*] nam alatus pingebatur. Vid. Patin. in numism. Imperat. p. 18, 41. Vaillant. in num. Colon. part. I. pag. 292, et alibi. Lucian. in Somn. tom. I. p. 10. Vide quæ ad v. 206 dicta sunt.—SCH.——*Velocis* AE. *pinnas* E.—OR.

224. *Aries*] Putatur esse is, qui Phrixum et Hellen per mare vexit. Eratosth. Catast. 19. Fabulam explicat Palæphatus de Incredibil. Histor. cap. 31. Vel est aries, qui Bacchum cum exercitu in Africa siti afflictum ad aquam perduxit ac recreavit. Nigidius apud Scholiasten Germanici. Adde, sis, Rutgersii Var. Lect. lib. III. p. 278, et p. 297. *currens*] versus hos quinque depravatissime referunt vulgati, hoc pacto: *Inde subest aries qui longe maxima currens Orbis et ad finem spatiis non tardior horam Pervenit et quando graviore Lycaonis arctos Axem vel tutor, quem cauto gratior ille Distantes cornu properat contingere metas.* Quis hic sensus, et, ut esset, quis similis illis Arateis, Αὐτοῦ καὶ κριοῖο θοώταταί εισι κέλευθοι, Ὅς ῥα τε καὶ μήκιϛα διωκόμενος περὶ κύκλα, Οὐδὲν ἀφαυρότερον τροχάει κυνοσυρίδος ἄρκτυ. Hoc est, interprete Avieno, *Tunc celer ille Aries, longi qui limitis orbe Æthera percurrens, nunquam Cynosuridis ursæ Segnior ab lapsu convertitur.* Manuscripti lectio ferme proba, nisi quod versu secundo *ursæ* pro *ursa*, et versu tertio habeat *brevior Helicaonis*, quare nos in textu ibi vulgatam *graviore Lycaonis* posuimus. Sed facillime error ille tolleretur, si legamus *breviore Lycaonis arctos.* Versu ultimo pro *cornu* legendum *cursu.* Itaque hisce mutatis, cæteris lectionibus ex Manuscripto desumtis, distinctionibus ex nobis, ita hi versus sunt restituendi, ut nunc expressi sunt. Confer hæc cum vulgatis, et mirare librariorum impudentiam, qui tam procul ausi recedere a veræ scripturæ vestigiis, ut auctor nihil minus, quam quod dicit, dicere videatur, imo vero nihil.—Gr.—SCH.——*currens*] EGgsb. *torrens* FP. Omittit hunc v. A.—OR.

225. *Ursâ*] de g. conj. sb. *Ursæ* EGg. Cetera ut nos. *Orbe spatia ad finem non tardius uram* (sic) A. *Orbis: et ad finem spatiis non tardior horam* FP.—OR.

226. *Quanto breviore*] E. firmans g. conj. s. *quanto brevior helicaonis* G. *quando* (sic certe APb.) *graviore* AFPb. *quanto graviore* g.—OR.

227. *Axem actu torquet*] EGgsb. *Axem actutor quet* (sic) A. *Axem vel tutor quem* FP. (Ibid.) *pernicior*] AEGgsb. *gratior* FP.—OR.

228. *Distantes*] E (G.) gsb. *Distantis* AFP. (Ibid.) *cornu*] AEGFPgb. *cursu* de g. conj. s.—OR.

229. *Clara nec est illi*] Paulo deterius vulgati, *Clarave non illi est facies.*—Gr.—SCH.——*Clara nec est illi*] AEGgsb. *Clarave non illi est* FP.—OR.

230. *Officiat si luna*] Hæc recte in vulgatis, male in MS. *Efficiat, si luna sua virtute niteret.* Ait Aratus: Αὐτὸς μὲν νωθὴς, καὶ ἀνάϛερος οἷα σελήνη Σκέψασθαι. Exponit Scholiastes, ὥσπερ ἐν πληθούσῃ σελήνῃ φαινόμενος. Quem sequitur Avienus: *Nam quanti lumina astra Esse solent, aciem quibus aurea luna retundit. Marcida lanigeri tantam se forma sub auras Exerit, in tenui quanquam primordia Phœben Ore habeant, nullumque decus dea proferat ore.* Germanicus aliter intellexit. Putavit namque Aratum dicere, Arietem plenilunio tantum lucere non posse, cum Avienus idem in novilunio esse asserat. Itaque illud *οἷα*, non ut Avienus et Scholiastes, pro *quemadmodum*, sed pro *utpote* cepisse videtur.—Gr.—SCH.——*Officiat . . nitere*] AFPgsb. (*nitere* A.) *Efficiat . . niteret* EG.—OR.

231. *Sed quærendus*] male MS. *quærendum.*—Gr.—SCH.——*quærendum* EG. (Ibid.) *zonæ e regione*] Sic dedi de g. conj. *zona erigione* (sic) A. *zonæ regione* EG. *zonæ ratione* (F.) Pgsb.—OR.

232. *Andromedæ*] male deest hic versus in vulgatis.—Gr. *Zonæ ratione*] forte: *Zonæ e regione.*—SCH.——*erit* A. (Ibid.) *summi*] EGgsb. *medii* AF. Omittit hunc v. P.—OR.

233. *Ut chelæ candens*] MS. habet, *Ut chelæ candent ut baltheus Orionis.* Vulgati: *Ut chelæ candens, aut baltheus Orionis.* Itaque aut vulgata lectione retenta, distinctio mutanda: uti nos fecimus, aut legendum *ut chele candens,* nam etiam singulari numero χηλὴν dicimus. Secundo loco utrumne *aut,* an *ut* legas, parum refert.—Gr. Germanicus non bene expressit mentem Arati, qui quoniam extremas chelas memorat, magis declarat cogitata.—SCH.——Sic scripsi. *candens aut b.* AFPgsb. *candent ut b.* EG.—OR.

234. *motu*] Vulgati *signo,* quod non improbo. Locus autem hic difficilis est intellectu. Hoc enim dicere velle videtur: Non tantum ex Zona Andromedæ, aut Chelis, et Orione, sed et ex signo aliquanto propriore illum (arietem videlicet) posse cognosci. Quare putet forte aliquis Germanicum *propiored eum* d interjecta dixisse, uti Plautus et alii, *Mederga* et *Tederga* extulerunt. Sed hoc nimis obsoletum. Dicat alius *Crium,* quod græce arietem sonat, legendum. Sed ejus vocis prima producitur. Itaque necesse est, Platonico more, *deos* interpretari stellas, qua ratione potuit et supra aurigam et taurum *divos* dixisse. Aut *deum* interpretari arietem, quia erat Neptuni filius, ut in fabulis legimus, ut Erichthonius, quem divum nominare videtur Palladius.—Gr. Si ad Arati verba attenderimus, videtur scripsisse Germanicus: *Est etiam Andromedam propter cognoscere signum.* Sin MS. Grotii spectaverimus: videntur verba ita refingenda: *Est etiam propriore deam cognoscere meta, Deltoto.* Scilicet *Meta* ponitur interdum etiam pro loco, unde aliquis procurrit. Ovid. lib. III. Metam. v. 145: *Jamque dies medias rerum contraxerat umbras, Et sol ex æquo meta distabat utraque.* Fortassis igitur hic quoque principium cognoscendi *meta* appellatur, quia est quasi locus notus, ex quo ad ignotiorem cognoscendum fit progressio.—SCH. ——*signo*] AFPsb. *motu* EGg. *meta* s. susp.—OR.

235. *Deltoto*] Ita ponendum fuit, ne Cæsar noster cæcus fuisse videretur. *Deltoton* ratio repudiat. Abit igitur ab Arato paulum Interpres, quem ingenio hic vincere voluisse videtur. Strabo, lib. XV. p. 1026, pariterque Stephanus de Urb. *Delta* appellat insulam, unde huic astro nomen est. *Donum hoc spectabile Nili*] *Deltoton* Ægyptus est, ut explicat Anonymus Germanici, ut eum appellant, commentator, et Hyginus. Ægyptus autem Nili donum. Ita enim Manilius, lib. IV. v. 774: *Et Libyam Ægyptique latus, donataque rura.* Et ante eum Herodotus ποταμοῦ δῶρον. Unde liquet versu altero *generatum* cum manuscripto legendum. Nam *veneratum,* quod in vulgatis est, nullius est pretii. Sed an *notabit* cum Manuscripto, an vero *notarit* leges, parum refert.—Gr.—SCH.——*Deltoto* de g. conj. s. *domum* A.—OR.

236. *Generatum*] EGgsb. *zeneratum* A. *veneratum* FP. *veneratum Indis* Barthius. (Ibid.) *notabit*] AEGgs. *notavit* F. *notarit* Pb.—OR.

237. *Æquata duorum*] male MS. *deorum.*—Gr.—SCH.——*Tris* AP. *ductos* A. *deorum* EG.—OR.

238. *Igne*] A. "clarior suo igne est hic brevior ductus." *ignis* EGFPgsb.; quod etsi defendi potest, habet tamen nescio quam ambiguitatem.—OR.

239. *Hunc aries juxta m. D. habebit l. l. t. et C. m. Huic x. g. p.*] male MS. *Huic.* Legendi autem hi versus et distinguendi, ut jam primum a nobis expressi sunt. Aries juxta tertium ductum: Deltoton medium situm est inter arietem et Andromedam. Ultra eum pisces. Male itaque Morellius, Aldina lectione rejecta, bis *hinc* pro *hunc* substituit.—Gr.—SCH.——*Huic* EG. *Hinc* g.—OR.

240. *Lanigeri*] Similiter Phædrus, lib. I. fab. I. v. 6: *Laniger contra timens: Qui possum, quæso, facere quod querere, Lupe.* Adde Marq. Gudii notas ad Phædri I. fab. 11, p. m. 223, et Rigaltii ad eandem pag. 462.—SCH.——*cephæida* E. *Inter ea nigeri tergum etcephei damestam* A.—OR.

241. *Hinc*] Sic mutandum fuit *hunc. Gemini pisces*] Cur duo pisces hi cœlo illati sint, videlicet, quod Dionem seu Venerem cum nato in Euphratem prosilientem subierint, narrat Ovidius, Fastor. II. v. 457, seqq. cui pene consentit Hyginus Poet. Ast. II. Aliter Eratosthenes Catast. 21 et 38. Aliter Germanici Scholiastes. — SCH.——*Hinc* s. (Ibid.) *austros*] EBGgsb. *austrum* AFP.—OR.

242. *Boream petit*] Ovidius, Fast. III. 399: *Tertia nox emersa suos ubi moverit ignes: Conditus e geminis Piscibus alter erit. Nam duo sunt. Austris hic est, Aquilonibus ille Proximus, a vento nomen uterque tenet.* Piscem aquilonium et austrinum memorat Columella XI. c. 2, p. 429. *In austros*] Vulgati *in austrum.*—Gr.—SCH.——*Borcan*] E. *Boream* Cett. etiam B. (Ibid.) *alter et audit*] EGPgsb. *alter audit* A. *altera videt* F.—OR.

243. *Stridentis* ABEg. *aures* P. *niveas* gs. contra meos Cdd.—OR.

244. *Et vinc.* E. (non AB.)—OR.

245. *Cingula* B. *tenit* (sic) A.—OR.

246. *Nodum stella premit. Piscis.*] Ita nos distinximus. Antea perperam legebatur: *Nodum stella premit piscis qui respicit auras Threicias.* Nullo sensu.—Gr.—SCH.——*Nondum* A.—OR.

247. *Cernuntur.*] MS. *cernantur.* Lege *cernetur.* Male etiam MS. pro *ulnam* refert *illum.* Quod autem est *dextram ulnam,* cum *sinistram* poni debuisset, error magis est Germanici, quam Librarii.—Gr. Aratus, v. 246: Ἀνδρομέδης δέ τοι ὦμος ἀριϛερὸς ἰχθύος ἔϛω Σῆμα βορειοτέρε· μάλα γάρ νυ οἱ ἐγγύθεν ἐϛίν.—SCH.——*Threicia* A. *Threida* P. (Ibid.) *cernetur*] de g. conj. s. *cernantur* ABG. *cernnt'* (sic) E. *cernuntur* FPgb. (Ibid.) *ad ulnam*] FPgsb. *ad illam* B. *ad illum* EG.—OR.

248. *Subter utrumque pedem*] Hi tres versus ante desiderati, ex manuscripto sunt inserti. *Devotam virginem* dixit Andromedam, qua forma Virgilius Æneid. I. 716, extulit, *pesti devota futuræ.*—Gr. Plenius Propert. II. eleg. 21, v. 23: *Andromede monstris fuerat devota marinis.* Cæsar item, ut noster lib. III. B. G. c. 22, s. 1, simpliciter: *Adcantuannus cum sexcentis devotis, quos illi Soldurios appellant,* &c.—SCH.——Omittunt hoc tres verss. 248-250. AFP.—OR.

249. *Perseos*] Jovis et Danaes filius fuit, qui Medusæ caput rescidit. Eratosth. Catast. 22; Palæphat de Incred. c. 32; Nonnus Dionys. XXV. v. 35, pag. 642, seqq. et XVIII. v. 295, et XXXI. 11, seqq.; Ovidius Metam. IV. 609; Nicander Alexiph. v. 100, seqq. p. 71; Suidas in Περσεύς; Pindarus Pyth. od. X. et XII. Occidit beluam marinam, cui Andromeda objecta erat. Nonn. XVIII. Dionys. v. 298; Eratoshen. Catast. 17. Atlantem, a quo propter oraculi monitum admissus non erat, in montem convertit. Vide præter alios Servium ad Æneid. IV. 246. —SCH.

251. *Ubique micat*] male vulgati *et ille.*—Gr.—SCH.——*Tantus et ille m.* P. (non AF.) *occupat Jove* A.—OR.

252. *Dextera sublata*] Ita MS. nisi quod pro *Cassiepeam* habeat *Cassiepea.* Vulgatus ita: *Dextra sublata similis prope Cassiepeam.* Potest lectio a nobis posita tolerari; sed, si Aratum sequimur mutandæ paulum et transponendæ literæ, hoc pacto: *Dextra sublata solium prope Cassiepeæ.* Ait enim ille: Καὶ οἱ δεξιτερὴ μὲν ἐπὶ κλισμὸν τετάνυσται Πενθερίῃ δίφροιο. Transfert Avienus, *Dextera mœrentis solium prope Cassiepeæ Tenditur.*—Gr.—SCH.—— *Dextera sublatæ similis prope Cassiepiam*] B. (sed *Cassiepia*) EGgs. *Dextera* (sic) *sublata similis probe* (sic) *Casiepiam* A. *Dextra sublata similis prope* FP. (*casiopeam* P.) *Dextra sublata solium prope Cassiepiæ* de g. conj. b.—OR.

254. *Findere plantis*] Ita MS. recte. Male vulgati, *tangere palmis.* Alatæ plantæ Persei. Propert. II. Eleg. 23, v. 55: *Non, si Pegaseo verteris in aëra dorso, Non, tibi si Persei moverit ala pedem.*—Gr.—SCH.—— *findere*] BEGgsb. *tangere* AFP. (Ibid.) *plantis*] ABEGgsb. *palmis* FP.—OR.

255. *Poplite sub lævo Tauri*] Versus hosce tres ex manuscripto supplevimus. Distinguendum autem et legendum, *Poplite sub lævo, Tauri,* &c. ut a nobis expressum est. Non enim sub Tauri poplite sunt Pleiades, sed Persei: sed tauri signa sunt. Unde et apud Arabes a tauri nomine *Atauria* sive *Athoraie*, ut alii scribunt, vocantur. *Athor* enim אלתור Arabibus taurum sonat, cujus nomen in omnibus prope linguis consonum invenio.—Gr. Veteri distinctioni favet Servius ad. I. Georg. v. 138: *Pleiades signum est ante genua Tauri, quod ortu suo primæ navigationis tempus ostendit: unde Græci Pleiades dicunt, ἀπὸ τοῦ πλέειν,* &c. Sed errat haud dubie.—SCH.——Habent tres vv. 255-257. E. (sed v. 255, transpositum, cum signo tamen correctionis.) Ggsb. Item B. v. 256, 257, omisso v. 255. Omittunt hos tres vv. 255-257. AFP.—OR.

256. *Est locus: occupat omnis* g. contra Cdd. meos.—OR.

257. *Facile est c.* B.—OR.

258. *Communem*] Id est, ægre discernendam propter conjunctionem Pleiadum arctissimam. Manilius IV. 518: *Pleiadum parvo referens glomerabile sidus.*—SCH.

259. *Septem traduntur*] Tzetzes ad Lycophr. Alex. v. 149: Πληιόνης καὶ Ἄτλαντος ἑπτὰ θυγατέρες, ὧν μία καὶ ἡ Στερόπη. Nonnus Dionys. VIII. 77; Simonidis Carm. pag. 278. *Carpitur una*] de his Ovidius item lib. IV. Fast. v. 170: *Quod septem dici, sex tamen esse solent.*—SCH.——*Se* (sic) *carpitur* A. *sed capitur* E.—OR.

260. *Deficient* A. *distingere* A.—OR.

261. *Nomina sed cunctis*] Bene hæc, sed non ex mente Arati. Videtur enim illos versus in mente habuisse Ὀυ μὲν πως ἀπόλωλεν ἀπευθὴς ἐκ Διὸς ἀστὴρ Ἐξ οὗ καὶ γενεῆθεν ἀκούομεν. Grot.—SCH.——*Servabit* A.—OR.

262. *Celænoque Meropeque*] Secuti sumus manuscripti lectionem. Vulgati habent *Electra, Alcioneque, Celænoque, Taygeteque Et Sterope Meropeque simul formosaque Maia.* Quæ ex Avieno desumta, ubi tamen *famosaque* legitur et recte. Sequitur enim *prole Deo.* Manuscripti lectio vera, sed non perfecta. Itaque restitue *Electra, Alcyoneque, Celænoque Meropeque Ac Sterope, et Taygete, et Mæa parente Cælifero genitæ.* More græco encliticam produxit, et longam vocalem non elisit. Scriptura illa *Mæa*, quam ex manuscripto proposui, non aspernanda. Cum enim in omnibus ferme vocibus *αι* dipthongum in *æ* vertant latini, pauculæ tantum

sunt voces, in quibus utramque literam servaverunt, ut *Maia, Ajax,* quæ cur non ad exemplum reliquorum latina diphthongo scribi possint, nulla est ratio. *Genitæ* ex vulgatis scripsi, cum MS. perperam *genitas* referret, qui male etiam *si ultro* habet pro *si vere.* Similis omnino phrasis supra v. 165. *Si vere Juppiter infans Ubera Cretææ mulsit fidissima capræ.*—Gr.—SCH.——*Helectra alcioneque celoneque m.* P.—OR.

263. *Maia*] Antlantis Arcadici filia, Mercurii parens, et inter Pleiades splendidior, si Servio ad Æneid. lib. VIII. v. 138 credimus. *Parente cœlifero genivæ*] Matrem earundem Electram nominat Nonnus Dionys. lib. III. 331 seqq. Sed Ovid. Fast. V. 83. *Hinc sata Pleione cum cœlifero Atlante Jungitur ut fama est: Pleiadesque parit.* Lis fortasse ex Atlantum diversitate componenda.—SCH.——Sic de g. conj. s. (*Asterope* placuit Buttmanno ad Arati v. 263. Καὶ Στερόπη. Sed etiam Avienus: *Et Sterope.* item Ovidius Fast. 4, 172. *Nam Steropen Marti concubuisse ferunt. Asteropeque et Taygete et mala* (sic) *parente* A. *Asterope et taygete et mea parentem* EGg. *Asterope et taygete simul et mea parentem* B. *Asterope et Taygete simul famosaque Maia* b. interpol. ex Avieno. om. hunc versum FP.—OR.

264. *Atlas*] Iapeti filius ex Asia Oceani filia. Apollod. I. c. 2, § 3. Biblioth. Astrologiam invenit, Plinius VII. c. 56. Heraclit. de Incred. cap. 4. Primus navem fabricatus navigavit. Clemens Alexandrinus Strom. lib. I. p. 307. A. Conversus in montem, objecto Medusæ capite. Ovid. Met. IV. 650 seqq.—SCH.——*Genitæ; si vere*] (F)Psb. *genitaest vere* A. *genitas si vero* E. *genitas si verus* B. *genitas si ultro* G. *genitas, si vere* g. *alas* A. *adhlas* B. *athlans* E. *athlas* P.—OR.

265. *Ipso pondere gaudet*] Adde huc Phurnutum de natur. Deor. c. 26, et Ovid. Metam. lib. II. v. 296. Sed Hesiodus in Theogon. v. 517, Ἄτλας δ' οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης. add. Hygini fabul. 150 et Pindari Pyth. od. IV.—SCH.——*Regina* (sic) P. *superoque* P. *adque* B.—OR.

266. *Non multis*] ita MS. Male vulgati, *multo.* Gr. *Plias*] Etiam Rutilius Itinerar. v. 187 in singulari, *Occidua infido dum sævit gurgite Plias, Dumque procellosi temporis ira cadit: Respectare juvat vicinam sæpius urbem, &c.* Et Flaccus Argonaut. IV. 268, *Spumanti qualis in alto, Pliade capta ratis.*—SCH.——*Multis*] ABEGgs. *multo* FPb. (Ibid.) *Pleius* FPb. *Plias* ABEgs. Omittunt hunc v. BEG.—OR.

267. *Præcipuo sed honore*] Male deest hic versus in Manuscripto. Sequentes quoque duo perperam positi sunt post illos, qui infra sequuntur, *Plurimulum acceptæ et devictam effigiem.* Gr. *Præcipuo*] Nam Pleiades per totum annum observabantur, maxime a nautis. Loca multa sunt veterum ea de re. Quocirca Nonno Dionys. II. v. 15, p. 40. nauta, Sirenis cantu captus, dicitur ἄϛρον ἐάσσας πλειάδος ἑπταπόροιο. Inprimis autem observabantur earum ortus et occasus post æquinoctia. De quibus intelligendus est autor noster. Qui ex ipsa Pleiadum contemplatione facilius intelligitur, quam ex copiosissima et confusissima Salmasii disputatione, in exercitat. Plinian. pag. 523, 524. Quod autem Salmasius existimat, Germanicum nihil de ortu et occasu Vergiliarum memorâsse in reddendo loco Arateo, equidem non intelligo. Quid enim sibi volunt verba *et cum surgit?* Deceptus Vir perspicacissimus corrupto vocabulo *primum,* ut *surgere* referret ad hiemem. Quod facere non licebat, si quidem sententia elegans et Germanico digna efflorescere deberet. *Surgere* autem seu oriri, et *occidere* seu perire varias habet significationes, ut ex Astronomicis constat elementis. Vide ex veteribus

Plinium XVIII. cap. 25, Servium ad Georg. lib. I. v. 222, et e recentioribus Cellarium Elem. Astr. pag. 31, 38, 36.—SCH.——Sic FPgb. *ventus super imminet agri* BE. *ventus super immovet atri* A. *veniens superimminet æstas* g. susp. (qui parum perspicue annotat: MS. alieno, ut dixi, loco *æstas* refert.) *agricolæ maturans imminet æstas* Voss. ad Arat. p. 52. *Quum perit, agricolam vellens superimminet æstas* s. conj.—OR.

268. *Ventus superimminet auster*] MS. alieno, uti dixi, loco *æstas* refert, et sequentem versum ita concipit, *At cum surgit hiems ponto fugienda peritis.* Versus autem hos ita legendos puto, *Cum primum agricolam veniens superimminet æstas, Et cum surgit hiems ponto, fugienda peritis.* Alibi quoque *veniens* in *ventus* mutatum est. Confer cum istis Ciceronis: *Propterea quod et æstatis primordia clarat, Et post hiberni præpandens temporis ortus, Admonet, ut mandent mortales semina terris.* Quorum versus primus corruptus in vulgatis. GROT. *Ventus..auster*] Per *ventum austrum* superimminentem agricolis, æstatis initium designat. Antiqua autem locutio *ventus auster*, ut *ventus aquilo.* Propertius II eleg. 4, v. 4. *Et nobis aquilo, Cynthia, ventus erit.* Cato R. R. c. 40, *Vites inseri oportet luna silenti post meridiem sine vento austro.* Et alibi passim. Sic enim loquebantur, *nobis erat ventus auster: vento austro navigabamus.* Hæc SALM. Exercit. Plin. pag. 523, b. A, B, C. Mihi non videtur ferri posse constructio, *agricolam superimminet.* Malim ergo, *agricolam vellens superimminet*, vel *agricolæ veniens superimminet æstas.* Est autem Autor noster Virgilii imitator. Atqui Virgilius in Copa versu ult. *Mors autem vellens, vivite, ait, venio.* Ergo hæc lectio unice præoptanda. Ineptissimum quidem est *veniens superimminet.* Male item *auster* opponitur *hiemi.* Nec *primum* illud placet: malim *perit*, ut opponatur verbo *surgit.* Pro *ponto* satius est legi *ponti.* *Ponti periti* sunt nautæ, qui *agricolæ* opponuntur. Hanc lectionem quia necessitas postulabat, in contextum versuum intulimus: cum præsertim faveret Aratus: Αἱ *μὲν ὅμως ὀλίγαι καὶ ἀφεγγέες, ἀλλ' ὀνομασαὶ* Ἧρι *καὶ ἑσπέριαι,* Ζεὺς *δ' αἴτιος, εἱλίσσονται.* Ὅς *σφισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο* Σημαίνειν *ἐκέλευσεν, ἐπερχομένε τ' ἀρότοιο.*—SCH.

269. *Et quum*] A(F)Pgsb. *At quum* BG. *hiemps* A. (Ibid.) *ponto fugienda* Gb. (prob. g.) *ponto est fugienda* B. *portu fugienda* AFPg. prob. Vossio. *Et quum surgit, hiems ponti fugienda p.* s. conj. Omittit vv. 269-274. E. Omittunt vv. 270-272. AFP.—OR.

270. *Quin etiam L. M. d. Deorum Plurimulum accepta prohs cælon. a. labore Devictam effigiem p. erectaque dextra. T. l. p. tortis s. D. Summa genu subversa tenet, qua se Lyra versat*] Hi tres versus tam corrupti in manuscripto leguntur: in quarto pro *tortis* vulgati male *Parthi* habent. Nos conjecimus hos versus ita legendos: *Quin etiam Lyra Mercurio dilecta, deorum Proli accepta, pio cælo nitet ante labore Devictam effigiem, planta qua erecta sinistra Tempora læva premit torti subjecta Draconis.* De Lyra ab Mercurio inventa habes apud mythologos. Eadem Argonautis accepta. Si quidem Orpheus hanc lyram accepit, et ea celeusma cecinit in Argo navi. Argonautas vocat deorum prolem, quos deorum natos vocat Valerius Flaccus versu primo. Nam *nautis*, quod ibi legitur, supposititium. *Pio cælo* dixit, ut alibi, v. 623. *Argus ipsa pio cælo referetur imago.* Et similem significationem in Martiano Capella observavimus. Dicit hanc lyram ante Engonasi locatam, et quidem ante pedem sinistrum, quo (ut ante ostendimus) Draconis premit tempora. Versus post hunc sequens huc non pertinet. Et vin' conjecturam audire elegantem? Po-

nendum hoc carmen litera una mutata, eo in loco, ubi συνανατελλόμενα ταῖς χηλαῖς referuntur hoc modo: *Nixa genu species flexo redit ardua crure. Summa genu submersa tenet, qua se Lyra versat.* Aut si *volvit* cum vulgatis malis, non pugnabo. Sensus hic erit: Engonasi genu illud quod inclinatum est, adhuc submersum manet. Juvat conjecturam meam, quod eo loco Aratus meminit similiter lyræ: ait enim Αἰεὶ γνὺξ, αἰεὶ δὲ λύρῃ παραπεπτηῶτος. Gr.—SCH.

271. *Primum affecta sacris cunis*] Ita nos legendum putamus ex Arato, Avieno et Homeri Hymno in Mercur. v. 21 seqq. et v. 63. Adde de Lyra Mercurii invento Lact. Instit. div. I. c. 10, s. 7. Apollod. Biblioth. III. c. 10, § 2. Possis tamen etiam legere: *deorumque inprimis acceptatoris.* Sed supra quoque syllaba *rum* in *ve* mutanda fuit. Vide vers. 90. *nitet ante labore devictam*] Nonn. Dionys. I. p. 24. Γούνασι δ' εἰδώλοιο καὶ ἀγχιπόρῳ παρὰ κύκνῳ Φόρμιγξ ἀστερόεσσα Διὸς μαντεύσατο νίκην.—SCH.——Ut sensus saltem aliquis remaneret, servavi (cum b.) Grotii conj. parum probabilem. *Plurimulum accepte* (*accepta* (?) Gg.) *prohs* (sic) *cælo* BGg. *deoque Primum affecta sacris cunis, nitet* s. conj.—OR.

272. *Devinctam* Voss. *Arat.* p. 54. (Ibid.) *planta qua erecta sinistra*] Hæc est g. conj. parum probabilis. sb. (sed b.: *plantaque er.*) *planta erectaque dextra* Gg. *plantæ erecta quoque dextra* B.—OR.

273. *Vel Phœbi qui fuit olim*] MS. habet *vel Phœbi qui fuit olim Cygnus Niliedæ thalamis qui lapsus adulter Furta Jovis, &c.* Vulgati sic: *vel Phœbi quæ fuit olim Cygnus de thalamis candens qui lapsus adulter, Furta Jovis &c.* Quanquam ea lectio, quam nos concinnatam ex utraque in sextum retulimus, sit probabilis: tamen non dubito, quin hæc lectio, quam nunc insistens manuscripti vestigiis proponam, sit verior. *Contra spectat avem, vel Phœbi qui fuit olim Cygnus, vel Ledæ thalamis qui illapsus adulter Furta Jovis falsa volucer sub imagine texit.* Duas, quod et alibi sæpe facit, fabulas attingit, priorem de olore Phœbi, posteriorem de Ledes adultero, quæ satis nota. Priorem nullus interpretum hic tangit, Hyginum inquam, Anonymum et Avienum, qui alias multum fabulis indulget. Solus Theon agnovit: τοῦτον τὸν ὄρνιν, οἱ μὲν λέγουσιν ὄντα κύκνον καταστερισθῆναι εἰς τιμὴν τοῦ Ἀπόλλωνος, ἅτε μουσικὸν ὄντα. Hoc est, *Hanc autem sunt qui dicant olorem esse, et in Apollinis honorem, ut qui canorus sit, in astra relatum.* Gr. Ego malim dicere Phœbo sacrum fuisse cygnum, quod anguriis olim servierit. Servius ad Æneid. lib. I. v. 397. *In auguriis consideranda sunt non solum aves, sed etiam volatus, ut in præpetibus, et cantus, ut in oscinibus. quia nec omnes nec omnibus dant auguria. ut columbæ non nisi regibus dant, quia nunquam singulæ volant: sicut rex nunquam solus incedit. Unde in sexto:* Maternas agnovit aves. *per transitum ostendit regis augurium. Item cygni nullis dant, nisi nautis: sicuti lectum in* ὀρνιθογονίᾳ, *Cygnus in auguriis nautis gratissimus ales. Hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis. Quum cygnus neque in præpetibus, neque in oscinibus nominetur, cur ab illo sumitur augurium? solvitur, quod augurium ad aquilam Poeta retulit. Sed docet Virgilius, bonum omen ad naves factum de cygni volatu.*—SCH.——*Torti* BGsb. (*tortis* g.) *porti* A. *parti* F. *parthi* P.—OR.

274. Hunc versum h. l. habent ABGFPg. Grotius collocandum censuit post v. nostrum 611, ubi consulto a nobis repetitus est. (Ibid.) *subversa* BGFPg. *suborsa* A. *submersa* volebat g. (Ibid.) *versat*] BG. *volvit* AFP.—OR.

275. *Phœbus* F. (Ibid.) *qui*] BGgsb. *quæ* AFP.—OR.

276. *Ledæ*] Fuisse dicitur Thestii filia, Tyndarei uxor, mater Pollucis et Helenæ ex Jove, Castoris et Clytemnestræ ex Tyndareo. Hyginus fabul. 77, 78. Lactantius I. c. 21, s. 23. Instit. div. *Romulus post mortem Quirinus factus est, et Leda Nemesis; et Circe Marica.* Add. Euripid. Iphigen. in Aulid. v. 794 seqq. Hyginus Poët. Astron. lib. II. de olore distinguit Nemesin a Leda, itemque Pausanias lib. I. c. 33, p. m. 82. Vid. etiam Spanhemium ad Callimach. pag. 286. Ausonius Epigramm. LV. de Castore, Polluce et Helena: *Istos tergemino nasci quos cernis ab ovo, Patribus ambiguis et matribus assere natos, Hos genuit Nemesis: sed Leda puerpera fovit, &c.*—SCH.——*Cycnus* EPb. *Cygnus* s. *Cicnus* AB. (Ibid.) *vel Ledæ thalamis*] Sic A. (scil. *velle dæthalamis:*) omnibus vero literis recte dispositis: BE. firmantes g. conj. sb. *Cycnus de thalamis candens* FP. *Cycnus, vel candens thalamis* g. (Ibid.) *illapsus*] de g. conj. sb. *lapsus* ABEGFPg.—OR.

277. *Furta Jovis*] id est, amorem clandestinum erga Ledam. Vid. Manilius I. 336, seqq. Hyginus, Fulgentius, alii. De usu *furti* pro adulterio vide Servium ad Æneid. lib. X. v. 91. Omittit Autor tertiam fabulam, quæ de sidere eodem circumlata est. Fuerunt enim, qui Milvum id este statuerent; cujus memorabilia Ovidius Fast. III. 793 seqq. persequitur. Plinius item XVIII. 26 *decimo quinto Calendas Aprilis Italiæ Milvum ostendi* scribit. Sed rectius Milvus a Cygno secernitur.—SCH.

278. *Inter defectum*] Hi versus in vulgatis desunt, Manuscriptus eos supplet. *Defectum sidus* ut supra v. 65. *Haud procul effigies inde est defecta labore.* Grot.—SCH.——Omittunt hos tres vv. 278-280. AFP. Habent BEGgsb. *cignumque* B.—OR.

280. *In Cygnum*] Lege *in Cygno.* Et hæc omnia indistincta ita, uti nos fecimus, distingue. Idem dicit quod Cicero. *Altera pars huic obscura est et luminis expers, Altera nec parvis nec claris lucibus ardet.* Quanquam aliud sonent Arati verba. Gr.—SCH.——*Cycno* de g. conj. sb. *cycnum* BEGg.—OR.

281. *Haud* F. Morel. g. prob. b. in Annott. *mediis* P. *pinna* E. (Ibid.) *læta*] ABEGFP. i. e. splendida. Arati v. 276. Mosc. Buhle, Buttm. Bekk. τὰ δέ οἱ πτερὰ τετρήχυνται ἀστράσιν. *lata* gsb.—OR.

282. *Cephœos* E.—OR.

283. *Fugit*] eleganter et poetice. Pessime MS. *fulget.* Gr.—SCH. ——*At læva fugit*] AEFPgsb. *At fulget læva* B. (*fulget* etiam G.) *pegasum* P.—OR.

284. *Piscibus i. e. l. at c. e. D. m. l. quæ f. st. A. e. Nec procul hinc dextra defundit Aquarius undas. Atque imitata cadunt e. s. l.*] Hi duo versus in MS. inveniuntur, in vulgatis desiderati. In quibus duos errores correximus *ad* pro *at* et *qua* pro *quæ* restituentes. Duo eos sequentes, quos quia videbantur pertinere ad Aquarii descriptionem, textui inseruimus ex Manuscripto, huc non pertinent. Nam eosdem infra suo loco repetitos invenies post Piscis Notii asterismum. In eodem libro hic sequebantur quatuor alii versus, quorum primus incipit, *E quibus*, ultimus desinit *pernicia crura*, quos eodem loco reperies. Versum etiam illum *Scorpios erecta torquet qua spicula cauda* huc non pertinere et emendandum esse, infra docebimus. Gr. Nos rescidimus duos illos versus alienos. *Piscibus interlucet*] Hæc verba cur interposita sint, ex Germanico nostro nemo facile intelligat: Sed sunt ab Arato scienter et belle interjecta. Si figuram Equi et Cygni aspexisset prius Autor noster, hanc fortassis effugisset inertiam. Hæc interpono, ut quid versionis diligentia postulâsset, intelligatur, et ut judicaturis de Autore nostro facem præluceam.—SCH.

——Magnæ hic turbæ in Cdd. et Edd. Vide Præfat. Nos Schwartzium secuti sumus. Omittunt tres vv. 284-286. AFP. (Ibid.) *ad caput*] BE. firmantes emendat. g. sb. *at caput* Gg.—OR.

285. *Aquarius*] Huic tribuebatur forma juvenis. Ovid. Fast. I. 652, nam quibusdam esse videtur Ganymedes. Vide Servium ad Æneid. I. 32.—SCH.——*Qua fundit*] gsb. *qui f.* B. *quæ f.* EG. Post hunc v. 285. BEGg. habent nostros vv. 388, 389. *Nec procul Atque imitata*: quorum posteriorem *Atque imitata* h. l. servavit Buhle, deleto priore. Suo loco utrumque omisit. Contra Schwartzius h. l. utrumque omisit; suo loco eosdem retinuit. Cetera suis locis notabimus.—OR.

286. *Cum primum Ægoc.ro semper p. v.*] Legendum *Quo prior Ægoceros semper properare videtur Oceano mersus sopitas condere flammas.* Verum hoc. Aquarius posterior Capricorno occidit. Sed nihil ad mentem Arati, quem hic nulli interpretum videntur intellexisse, ut ad Ciceronem notabimus. Gr.—SCH.——Omittit vv. 286-314. E. Habent EG. (Ibid.) *Quum prior Ægoceros*] de g. conj. sb. *Cum primum Ægocero* BGg. (*ergo chero* B.)—OR.

288. *Tum brevis*] Vide quam hæc corrupta in vulgatis, *Hymbres, occasus, ortusque intercipit ora.* Gr. *brevis occasus ortusque intercipit hora*] Hæc ex veterum more sunt interpretanda. Apud Romanos enim horæ hiemis diurnæ fuerunt brevissimæ, nocturnæ longiores. Nam et nocti XII. assignabantur, et diei. Igitur necesse erat, diei breviores, noctis longiores esse. Rem ipsam Manilius, III. 537, exprimit *Parte ex adversa Brumam Capricornus inertem Per minimas cogit luces, et maxima noctis Tempora.* De horis veterum æstate longioribus, hieme brevioribus vid. Anton. Augustini Emendat. lib. IV. c. 13, p. 197 seqq. Barthii Adversar. lib. II. cap. 19, p. 90, 91. Irenæus advers. hæres. lib. II. c. 42. Et quum horas inter se æquales nominare volebant antiqui, *æquinoctiales* dicebant Latini; Græci ἰσημερινὰς, uti Cleomedes lib. I. pag. 137. Strabo lib. II. pag. 128. Adde huc Plinium II. c. 97 et XVIII. c. 25. ac Pentacontarchum Laurentii Ramirez. de Prado cap. 23, p. 140-146. Capellam de nupt. Philol. l. VIII. p. 286. et de Geometr. p. 194.—SCH. ——*Tum brevis occasus*] BGgsb. *TUMBRES OCCASUS* A. *Imbres occ.* F *Hymbres occ.* P. *ora* AP.—OR.

289. *cum Sol*] Duo hi versus desiderantur in vulgatis. Posterioris initium in MS. est *amneque* deficiente prima litera. Nos *Nam neque* restituimus. Possis etiam *Iam neque* reponere. Gr. *Capricorni*] id est, Panis, qui Titanas fugiens forma Capricorni saluti consuluit suæ. Notissimam Capricorni figuram ostendunt etiam numi. Vid. Vaillantii Num. Colon. part. II. p. 209. et Landi Numism. pag. 37.—SCH.

290. *Nam neque*] B. firmans g. conj. s. *Amneque* G. *Iam neque* b. ex altera g. susp. (Ibid.) *et vota*] BGgs. *nec v.* b. conj.—OR.

291. *Mox* P.—OR.

292. *Spectaveris*] *Spectaverit* vulgati. Lege *expectaveris. Clamatos* dixit Græco more. Et sine dubio legit apud Aratum non βοωμένῳ, sed βοωμένη, ut ad ἠὼς referatur. Gr.—SCH.——*Exspectaveris*] de g. susp. b. *spectaveris* Ggs. *spectaberis* B. *spectaverit* FP. *spectaverat* A. —OR.

293. *Rigor*] male Manuscripto *rigora. Rigor* κρύος, μάλκη. Gr. Adde huc Nonn. Dionys. XXXVIII. 276.—SCH.——*Rigor*] AFPgsb. *rigora* G. *frigora* B.—OR.

294. *Pigra*] hoc ex MSti lectione est, qui prima litera deficiente *igra* habet. Vulgati *tarda* habent, et pro *occupat alligat.* Gr.—SCH.——

Pigra Agsb. *igra* G. *Nigra* B. *Tarda* FP. (Ibid.) *alligat*] AFP. *occupat* BGgsb. Sed hoc natum ex præcedentis v. *incubat*. Miro casu eadem varietas apud Lucanum I. 246. *gelidus pavor alligat artus*, alii *occupat*. —OR.

295. *Sed rationem*] recte MS. Male vulgati *Et*. Gr.—SCH.—— *Sed rat.*] BGgs. *E rat.* A. *Et rat.* FP. *anni* F. (Ibid.) *solvunt*] B. *solvent* AFPgsb. (De G. haud constat.)—OR.

296. *Cernat*] male MS. *cernunt*. Distinguendum autem ita, ut nos fecimus, verbo *puppibus* ad comma præcedentis versus retracto. Gr.—SCH.——*Cernat* AFPgsb. *cernant* B. *cernunt* G.—OR.

297. *Innatat*] male vulgati *innatet*. Gr.—SCH.——*Innatat* ABGgsb. *innatet* FP.—OR.

298. *Interea*] depravatissime MS. *Interratem temptare undas juba, asperas et cum*, quem versum mutato ordine sequitur ille, *Inventasque alii*. Deinde *Assultat lateri*. Versus autem ille *Tunc alti* desideratur. Versu antepenultimo hujus asterismi male vulgati habent *e terra jactantur in altum*. Male in penultimo Manuscripti *punit et pellunt*. Bene *eos* pro *et hos*. Habes variationes. Ego hos versus ita puto distinguendos, legendos, transponendos: *Interea tentare undas juvat, &c.* uti nunc expressimus. Non videtur recte intellexisse illud Arati ἥμεθ' ἐπ' αἰγιαλοὺς τετραμμένοι. *Deprensam carinam* dixit, ut Horatius *libr. II. Carm. Od.* 16, *v.* 1. *Otium divos rogat in patenti Prensus Ægeo*. Et Catullus *ad Thallum pag.* 61. *Et insolenter æstues, velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento*. Et ipse infra v. 404. *Quod si deprensæ turbabit lintea puppis*. Gr. Cur Aratum non intellexisse dicatur Germanicus, non satis perspicio. Devitavit quidem multa duriuscule ab Arato dicta. Magis tamen aliqua ad verbum exprimere potuit.—SCH.—— *In terra*] A. *Anterrate* cum lin. super syll. *te*. B. *Inter ratem temptare undas juba asperas et cum* G. *Interea tentare* cet. FPgsb. Sed *Interea* prorsus otiosum videtur. Longe præstat lectio Cd. A.: "dum in terra sunt homines cet." In Cd. G. post hunc v. est v. 301. tum 299. omisso v. 300.: qui excidit etiam e Cd. B. rectiorem ceteroqui ordinem servante. —OR.

299. *Adsultat* B. *Adsaltat* superscr. *u*. a rec. m. A.—OR.

300. *Tunc alii*] de g. conj. s. *Tunc alti* AFPgb.—OR.

303. *A terra*] BGgsb. *e terra* AP. (Ibid.) *in alto*] BGgs. *in altum* AP. (E Cd. F. nihil contra nostram lect. notatur.)—OR.

304. *Munit eos*] gs. *Munit et hos* FPb. *Munithros* (sic) A. *Punit eos* BG. (Ibid.) *pellit*] AFPgsb. *pellunt* BG.—OR.

305. *Nam tantum*] Recte ita MS. Male vulgati *Et tantum*.—Gr.—SCH.——*Nam*] ABGgsb. *Nec* FP. *læto* BP.—OR.

306. *Belligerum Titan*] Pro *magnum* vulgati habent *etiam*. Pro *ducentemque ferunt*, MS. *lucentemque ferum*. Lego *Belligeri Titan, &c.* uti nunc primum expressum est. *Ferus* ὁ φὴρ, quod centaurum Homero significat.—Gr.—SCH.——*Belligeri*] de g. conj. sb. *Belligerum* ABGFPg. (Ibid.) *Titan magnum quum contigit*] BGgsb. *Titan etiam quum contigit* FP. *Titan etiam contigit* A.—OR.

307. *Ducentemque*] Similiter Manilius IV. 343: *At qui contento minitatus spicula nervo Lanigero primus tradit sub jure trigoni*. Hæc tamen et Germanici verba tam inter se similia potius figuræ ante oculos utrique obversatæ quam imitationi tribuenda videntur.—SCH.——*Ducentemque*] AFPgsb. *Lucentemque* BG. (Ibid.) *ferum*] BG. (prob. g.) sb. *ferunt* AFPg.—OR.

308. *Jam clausum ratione mare est*] Supra dixit v. 293: *Et rationem animi temeraria pectora solvent.* Jam periculo ingravescente ratio superavit. Notandum autem *clausum mare.* Sic Manilius, lib. I. v. 364: *Hædi claudentes sidere pontum.* Vegetius de re mil. lib. V. cap. 9: *Ex die III. Id. Novembris usque in diem IV. Idus Mart. maria clauduntur.* Formula est Astronomis usitata.—Gr.—SCH.——*clausam* A. *tatione* P.—OR.

309. *Fugit ad*] Ita Vulg. MS. *fugiat.* Lege *fugitat.*—Gr.—SCH.——*Fugitat*] A. (ut volebat g.) sb. *fugiat* BG. *fugit ad* FPg.—OR.

310. *Tum nocte suprema*] MS. male, *tunc nocte superba.*—Gr.—SCH.——*Suprema*] AFPgsb. *superba* BG.—OR.

311. *Supra*] Ita MS. Vulgati contra metrum *super.* Error ex veteri scriptura *supera.*—Gr.—SCH.——*Scorpios*] P. *Scorpius* Bgsb. *Scorpio* AF. (Ibid.) *supra*] ABG(F)gs. *super* Pb.—OR.

313. *Tunc alte Cynosura regit*] Cynosura nunquam occidit aut oritur. Sed quia in sphæra nostra altera pars meridiani brevior est altera, hemicyclio videlicet ad polum mundi diviso, cum ursa in breviorem illam partem demergitur, occidere dicitur. Cum eundem circulum transcendens ad punctum illud quod *Zenith* vocant, ascendit, oriri perhibetur. Hac ratione dixit Manilius, lib. V. v. 700: *Ac Cynosura minor cum prima luce resurgit.* Hac igitur ratione hoc in versu, ubi MS. *tunc alte Cynosura regit* habet nullo sensu, vulgati *repit* nullo etiam metro, legi posse videatur, *tunc alto Cynosura redit.* Nam *alto redire* poetis est *oriri.*—Grot. Conjecturam Grotii repudiat Arati sermo, ὕψι μάλα τροχάει. Malim ergo si *regit* durius videatur, quod poëtæ tamen ignoscam, *rapit.*—SCH.——*alto C. redit*] Sic scripsi de g. conj. *alte C regit*] BGgs. *alte C repit* APb. contra metrum. *alte C. rapit* F. (nisi subest error.) ut volebat s. *tum* gs. (non ABFPb.)—OR.

314. *Mergitur*] Male manuscriptus *Vergitur.*—Gr.—SCH.——*Vergitur* BG. *Megitur* A. *Orio numeris* A. *cephæus* B.—OR.

315. *Est etiam i. q. c. m. s. Q. s. J. a. h. m. n. S. c. a. I. a. hic tamen ardum U. innervis P. r. G. Et cælo a. c.*] Tres hi versus desunt vulgatis. Versu tertio *Jovis* temere repetitum videtur ex versu præcedenti. Versus ipse depravatus. Versu quinto MS. *Et telo appositus cujus:* ubi vulgati, *Et telo appositus custos.* Itaque aut legendum, *Et telo appositus civis,* eleganti metaphora; aut, *Et telo appositus custos* commistis lectionibus. Imo totus locus, ni fallor, ita restaurandus: *Est etiam, incertum quo cornu missa, sagitta, Quam servat Jovis ales: habet miracula nulla. Si cælum ascendit tamen arduus armiger, hic est. Unguibus is nocuis Phrygium rapuit Ganymedem, Et telo appositus custos, quem Jupiter arsit In puero, luit excidio quem Troja furorem. Miracula* vocat stellas eximiæ magnitudinis. Ovid. Met. lib. II. v. 193: *Sparsa quoque in vario passim miracula cælo.* Auctor Carminis de Ætna, v. 249: *Quo volet Orion, quo Sirius incubet ardens, Et quæcunque jacent toto miracula mundo.* Versum tertium vocibus transpositis mutavimus, ut exprimat Arateum illud χαλεπός γε μὲν ἐξ ἁλὸς ἐλθεῖν.—Grot. Hæc Arati verba nunquam fortasse vertere voluit Germanicus, propterea quod ab Arato recedere statuit, ut comparatio declarat sermonis utriusque. *Miracula* autem poni puto pro re miranda, ut alias et alibi. Ut sententia sit, *nihil admirandi est, vel mirari non licet. Incertum quo cornu missa*] Suspicor, ex illo Cupidinis. Nam hujus telum custode eget. Autor quidem noster favere videtur conjecturæ. Aliis Sagitta Herculis videtur. Vide Cellarii ele-

ment. Astronom. pag. 14.—SCH.——Omittunt tres vv. 315-317. AFP. Habent BEG.—OR.

316. *Jovis ales*] Id est, aquila, qui ales Jovi adscribitur, ut aliis diis alii. Plinius X. c. 5. Hyginus Poët. Astron. lib. II. *de aquila.* Ovidius Fast. VI. v. 196.—SCH.

317. *Jovis armiger*] Sic loquitur etiam Virgil. Æn. IX. 564. Statius Theb. III. 532, et Flaccus Argonaut I. b. II. v. 416: *Quin et Jovis armiger ipse Accipit a Phrygio jam pocula blanda magistro.* Plinius II. c. 55: *Hoc solum animal ex marinis non percutit* fulmen: *sicut nec e volucribus aquilam, quæ ob hoc armigera hujus teli fingitur.* Add. Idem X. c. 3, extr. Sed Servius ad Æneid. IX. 564, scribit ita de hac appellatione aquilæ: *quia dicitur aquila in bello Giganteo Jovi arma ministrâsse: quod tamen fingitur. Nam, ut supra diximus, reges fuerunt Jupiter et Saturnus. Sed dum Jupiter cum patre Saturno haberet de agris contentionem, ortum bellum est, ad quod egrediens Jupiter aquilæ vidit augurium: cujus quum vicisset auspicio, fictum est, quod ei pugnanti tela ministrâsset. Unde etiam a felici augurio natum est, ut aquilæ militum signa comitentur. Arduum*] Similes versus observes sæpe. Virgil. III. Æneid. v. 12: *Cum sociis natoque, Penatibus et magnis Diis.* Id. VII. v. 32: *Variæ circumque supraque Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo.* Adde Sedulii Carm. III. 316; Auson. Idyll. XIX. 6. Ganymedem autem ab aquila raptum fuisse, colonia Troas per aquilam in numis testari voluisse videtur Vaillantio de num. Colon. Part. II. p. 356.—SCH. *hic tamen ardum*] Sic EGg. corrupte. *hic tamen arduum* B. *hic etenim arduum* s. *is enim arctum* b. Puto fuisse: *hic Catamitum,* cui voc. velut per epexegesin subjungatur *Phrygium Ganymeden.* (sic scribunt EB. *Ganymedem* APgsb.) (*Si cælum ascendit tamen arduus armiger, hic est. Unguibus is nocuis* g. suspicio partim improbabilis, partim perspicue falsa in vv. *is nocuis.*)—OR.

318. *Unguibus innervis—Ganymedem*] Nonnus Dion. XV. v. 280, p. 428: Καὶ Διὸς οἰνοχόος πέλε βυκόλος, ὃν διὰ κάλλος Φειδομένοις ὀνύχεσσιν ἐκούφισεν ὑψιπέτης Ζεύς. *Et Jovis pincerna fuit bubulcus, quem Jupiter propter formæ pulcritudinem in altum sustulit unguibus innocuis.* Similiter idem loquitur lib. XXIV. v. 97, p. 624, et v. 120, p. 626; et XXV. 432, et XIII. 214, et XI. 293. Sic Autor Elegiæ in Mecænatis obitum, v. 89. Dicitur dominator Olympi: *Aquilam misisse suam, quæ quæreret, ecquis Posset amatori vina referre Jovi. Valle sub Idæa dum te, formose sacerdos, Invenit, et presso molliter ungue rapit.* Donatus ad Æneid. V. v. 255, seqq. *Custodes quoque sic tendentes manus ad sidera apparebant, quasi retinere possent, quem fortissimæ alitis tenaces amplexus innoxia subtilitate portabant.* Versus autem hic totus, ut multi alii, imitamentum videtur illius Virgiliani Æneid. V. 254: *Quem præpes ad Ida Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.* Non igitur pœnitet me correctionis, quam tot scriptorum consentiens firmat autoritas. Ipse autem Ganymedes fuit filius regis Trois, quem a Patre Jupiter equis redemit, et navi aquilæ insigni usa absportavit, ut pincerna deorum foret. Pausanias, lib. V. c. 24; Homerus Iliad. Y. et E, 268. Hyginus fab. 224 et 271, et Poët. Astr. lib. ii. in *Aquario.* Fulgentius Mytholog. lib. 1, c. 18. Auson. Idyll. XII. v. 86. Pindarus Olymp. Od. 1. Clemens Alexandr. Admon. ad Gent. p. m. 23. Justinus Apolog. II. p. 67. Ovid. X. Metamorph. v. 154, seqq.—SCH.

319. *Quo Jupiter*] Id est, *per quod.* Nam telo Cupidinis (hoc enim esse videtur) tantum incendebantur dii, quantum mortales.—SCH.——

telo] ABEG. (prob. g.) sb. *cælo* FPg. (Ibid.) Fortasse. *apposítu'st.* cfr. v. 447. (Ibid.) *custos*] AFPgsb. *cujus* BEG. (Ibid.) *quum*] Sic dedi de g. conj. *quo* ABEGFPgsb.—OR.

320. *Luit excidio quem Troja furorem*] Huc pertinet quod apud Virgilium Æn. lib. 1, v. 32, stimulant Junonem contra Trojanos *rapti Ganymedis honores.* Et huc pertinet Luciani Dialogus Ἥρας καὶ Διός. Grot. Adde Ovidii Fast. VI. 43.—SCH.——*excidium* B. solus.—OR.

321. *Delphini inde brevis*] Hi tres versus ex Manuscripto sunt restituti: quorum primus ita emendandus, *Delphin inde brevis l. i. C.* Gr.—SCH. ——Omittunt tres vv. 321-323. AFP. Omittit septem vv. 321-327. Cd. E. Habent BG. (Ibid.) *Delphin inde*] de g. conj. sb. *Delphinus inde* B. *Delphini inde* Gg.—OR.

322. *Tulit hic Atlantida Nymphen*] De Amphitrite per Delphinum avecta vide Avienum et Hyginum.—Gr.—SCH.

324. Om. *quæ* A.—OR.

325. *Borean*] ABg. *Boream* Psb. *adsueta* ABg.—OR.

326. *Declivis ducitur*] MS. *declivis dicitur ordo*, quod non probo.—Gr. SCH.——*declivis*]A(F)Pgsb. *declinis* BG. *dicitur* BG. contra A(F)P.—OR.

327. *Sentit et*] Male manuscriptus *sentiet.*—Gr.—SCH.——*sentiet ins.* G.—OR.

328. *Primus in obliquo*] Hi tres versus in vulgatis hactenus defuerunt. Versum quintum iidem ita concipiunt, *Tela caput magnique humeris sic balteus ardet.* Manuscripti lectionem in textu habes. Versu ultimo, ubi vulgatam lectionem habes, MS habet *pernicis sic pede ludit.* Quare æstimo, hosce versus ita legendos: *Primus in obliquum rapitur sub pectore Tauri Orion: non ulla magis vicina notabit Stella virum, sparsæ quam toto corpore flammæ. Tale caput, magnique humeri, sic baltheus exit, Sic vagina ensis, pernici sic pede lucet. In obliquum* restitui, postulante sensu. Quin eadem locutio Germanico alibi usitata. In cæteris hoc dicit: Orionem non debere ex vicinis astris nosci, sed suis sideribus facile clarere. Hoc enim est, quod ait Aratus: Μὴ κεῖνον ὅτις καθαρῇ ἐπὶ νυκτὶ Ὑψοῦ πεπτηῶτα παρέρχεται, ἀλλὰ πεποίθοι, Οὐρανὸν εἰσανιδὼν προφερέστερα θηήσασθαι. Hoc est, *Non illum adeo quis nocte serena Sublime expansum transiverit, at mage speret in cælum elato subito deprendere vultu:* Et eo sensu interpretatur Avienus. Cicero ὅτις non pro *quisquam* sed pro *quicunque* cepit, et non ἀλλά, sed ἄλλα legit. Προφερέστερα etiam adjective, non ἐπιῤῥηματικῶς interpretatus est. Transfert enim: *Quem qui suspiciens in cælum luce serena Late dispensum non viderit, haud ita vero Cætera se speret cognoscere signa potesse.* Male enim ibi in vulgatis plerisque omnibus legitur *suspicies* et *abdita vero* et *dispersum.* Grot. Cur nos Grotii consilio non obsequamur, vetus mos in causa est. Nam ab humeris dependit baltheus, cui ensis inderetur. Vid. Lipsius III. Dial. de milit. Rom. p. 176. Idem in analect. ad milit. pag. 282. *Homerus* inquit, Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον, *humeris circumdedit gladium clavis argentatis*, &c. Deinde particula intendendi omnibus reliquis Orionis partibus est addita, cur igitur humeris deesset? *Orion*] Quasi Urion. Est enim, ut fabula fert, ex urina trium deorum Jovis, Neptuni, Apollinis natus. Vid. Tzetzes ad Alexandr. Lycophr. v. 328, pag. 40, 41. Palæphatus de Incred. c. 5. Ovidius Fast. V. 493-544. Vide infra v. 634.—SCH.—— Omittunt tres vv. 328-330. AFP. Habent BEG. (Ibid.) *obliquum*] dedi de g. susp. *obliquo* BEGgsb.—OR.

329. *Non ulla*] E. ut volebat g sb. *non nulla* BGg.—OR.

330. *sparsa .. flamma* b. *cum toto* BGg. (scil. g. *quum toto.*)—OR.

331. *Sic baltheus exit*] Avienus *Auratumque rubens dimittit baltheus ensem, Exit* dixit, ut supra v. 284, *Ad caput ejus, Dextra manus latices qua fundit Aquarius, exit.* Gr.—SCH.——*Tale*] BEGgsb. *Tela* AP. *Stella* F. *capud* A. (Ibid.) *magnisque humeris*] A(F?)s. *magnique humeris* EGPg. *maynique humeri* B. ut volebat g. b. Sed vide Schwartzium. (Ibid.) *exit*] BFGgsb. *ardet* AFP.—OR.

332. *Talis et custos*] Hi tres versus iterum in vulgatis defuerunt. Primus ita restituendus: *Talis ei et custos.* Gr. Si *Talis* dativus sit, omnia sana. Arati quidem verba v. 326, 327 nostram conjecturam stabiliunt pariter et infringunt.—SCH.——*Pernici*] ABFPgsb. *pernicis* EG. (Ib.) *ludit*] BEG. id est, micat. *lucet* A. ut volebat g. *fulget* FPgsb.—OR.

333. Omittunt hos tres vv. 333-335 AFP. Habent BEG. (Ibid.) *Talis ei custos*] B. *Talis et c.* EGgs. *Talis ei et c.* de g. sententia b. *Talis ei custos hæret* Voss. ad Arat. p. 66.—OR.

334. *Ore vomit flammam*] Nonn. Dionys. lib. I. p. 22. Καὶ σέλας αἰθύσσων περιθαλπέος ἀνθερεῶνος Δίψιος ἀςερόεντι κύων ἐπεπάφλασε λαιμῷ Πέμπων θερμὸν ὕλαγμα, καὶ ἠθάδος ἀντὶ λαγωοῦ Θηρσὶ τυφονίῃσιν ἀνήρυγεν ἀτμὸν ὀδόντων.—SCH.——*Contentior* B.—OR.

335. *Prio suu*] Legendum, *Sirion hunc Graii proprio sub nomine dicunt.* Ex abbreviatione error. Si *patrio* malis, non pugnabo. Locus est mehercule eleganter restitutus. Gr. *Sirion*] Tzetzes ad Lycophronis Alex. v. 397. Σείριος δὲ κυρίως ἀςὴρ ἐςιν εἰς ὑπὸ τὸ γένειον κείμενος τοῦ Ἀςρώου κυνὸς, ὃν οἱ ἰδιῶται τοῦ ὅλου κυνὸς ὄνομα κύναςρον προσαγορεύουσι. Servius ad Georg. lib. IV. v. 425, *Sirius stella est in ore canis, per quam nimios æstus accipimus.*—SCH.——*Sirium* b. (Ibid.) *Grai*] BE. *Graii* gsb. (Ibid.) *proprio sub*] BE. firmantes g. conj. sb. *prio suu* (sic) Gg.—OR.

336. *Accenditur æstas*] Similia Manilius V. 205, et V. 17. Plinius II. c. 40. Lucian. de Gymnas. tom. II. p. 278. Flaccus I. 683, V. 369. Plinius XVIII. 28, et II. 47.—SCH.——*Æstas*] A(F)Pgsb. *æstus* BE. De G. non satis constat. Sed cfr. v. 150. *Accensa .. geminabitur æstas.*—OR.

338. *At quibus arctatæ*] MS. *At quibus assuetas frondes aut languida cervix, Exanimat.* Ego hos versus ita puto legendos et distinguendos: *Discernitque ortu longe sata: vivida firmat: At quibus adsutæ frondes aut languida cervix, Exanimat.* Metaphora non ineleganti videri potest *arborum cervices* dixisse, et *frondes assutas,* quæ non satis firme adhærent. Gr. Quid vetat *astrictas* legi pro *assutas* vel etiam *exsuctas.* ἀναλδέα φυλλιόωσαι Arato dictæ sunt. *Languida radix*] Hæc rectius intelligentur ex Plinii XVII. 24: *Proprium sideralionis est, sub ortu Canis siccitatum vapor, cum insita ac novellæ arbores moriuntur, præcipue ficus et vites.*—SCH.——*A quibus* BE. (Ibid.) Requirebatur hic voc., quod responderet Arati v. 332. ἀναλδέα φυλλιόωσαι, Avieni v. 736. *indiga succi. Exsuccæ* autem nimis abibat a scriptura Codd. Hinc dedi conj. mea: *affectæ,* infirmæ viribus et succo carentes, proxime ad Cod. A.: *adstete* (sic:) literæ scil. *st* ita ligatæ sunt, ut facillime ex lit. *f* potuerint oriri. *arctatæ* (F)Pgs. *adsuetas* B. *assuetas* EG. *assutæ* de g. susp. (vix satis Latina) b. *adstrictæ* vel *exsutæ* Schwartzii suspiciones, ipsæ quoque parum probabiles. (Ibid.) *ac l.* s. Nescio unde. (Ibid.) *radix*] AFPgs. *cernis* BEG. *cervix* de g. susp. b. Sed haud nimis convenit v. proprium *frondes* et tralatum *cervix* sic juncta.—OR.

339. *Exanimat*] Virgil. III. Æneid. v. 141, *tum steriles exurere Sirius*

agros. Adde Servium. Vide de Sirii vi eadem Hesiod. Oper. II. 35 seqq. —SCH.——*Examinat* B. *malusve* A.—OR.

340. *Primo speculatur ab ortu*] Monet Aratus etiam in occasu conspiciendum. ait enim *κείνου καὶ κατιόντος ἀκούομεν*. Sensus utriusque idem, Sirium a primo initio ad finem usque non negligendum. Est enim vehemens in ortu et occasu. Manilius lib. I. v. 385, *Subsequitur rapido contenta canicula cursu: Qua nullum terris violentius advenit astrum. Nec gravius cedit: nec horrens frigore surgit.* Ubi versus *torrens* postulare videtur. Scimus autem *urere* et *torrere* etiam in frigore dici. GR.—SCH. ——*Speculator* AP.—OR.

341. *Auritum leporem*] Duo hi versus ex Manuscripto sunt inserti: quorum posterior ita legendus: *Urgetur cursu rutili canis ille per æthram, Æthram*] pro *æthera* sæpissime dixit Avienus. GR. *Sequitur canis*] Simili in re Sallustius Jugurth. cap. 101 extr. *Tum spectaculum horribile in campis patentibus: sequi, fugere, occidi, capi.*—SCH.——Omittunt v. 341. AFP. Habent BEGg. ita:

Auritum Leporem sequitur canis et fugit ille: 1
Urguetur cursu rutili canis ille per æthram: 2
Sic utrumque oritur, sic occidit in freta sidus. 3
Parvulus in stellis lepus est quoque; namque ubi magnus 4
Emicat Orion gemina ad vestigia subter 5
Volvitur, instantem premit igneo Sirius ore: 6
At qua cauda Canis languenti desinit astro, 7
Fulgent Argoæ stellis aplustria puppis; 8
Puppe etenim trahitur, non recto libera cursu. 9
Ut quum decurrens inhibet jam navita remos cet. 10

(1) *At fugit* Buhlii susp. (2) *Urgetur* BGg. *ethra* B. *æthera* Gg. (3) Habent AFP. *in freta sidus* BEGPgsb. *infra sidus* A. *infera sidus* F. Post hunc versum sequitur in A. hic: *Tu pervum* (superscr. *a*, ut sit: *parvum*) *Leporem primare* (sic) *sub Orione*: in FP.: *Tu parvum Leporem perpende sub Orione.* Deleverunt hunc v. gsb. tamquam a monacho profectum. Probabiliter, si ineptum illud v. *perpende* ab ejus manu esset, qui hunc v. confecit. Sed in Cd. A. corruptela *primare* latet *rimare*, verbum, in quod monachus vix incidisset. Præterea exprimit Arati v. 338. *ποσσὶν δ' Ὠρίωνος ὑπ' ἀμφοτέροισι Λαγωός* cet. (7) Post hunc v. in Cd. B. sequuntur v. 333-340. Versus tres 7-9. absunt ab AFP. Habent eos BEG. Jam v. 2. est Avieni v. 749.; quocirca eum omisimus de g. sententia et cum s. Retinuit b. vv. 4, 5: sunt Avieni vv. 747, 748, v. 6: est Avieni v. 750, interpolatus.—OR.

342. *Sic utrumque oritur*] Putavit illustrissimus Scaliger legendum: *Sic in utrumque*, et hunc versum ad Sirium referendum. Quod ego quidem facillime concesserim, nisi in manuscripto duo illi versus hactenus desiderati insererentur. Sed profecto versus secundus ex Avieno est, ut et tres illi sequentes, *Parvulus in stellis, &c.* Versum istum *Sic utrumque* secutus est hactenus in vulgatis alter talis, *Tu parvum leporem perpende sub Orione.* Qui ab indocto aliquo monacho profectus est. Itaque relegandus. Versus ergo hi ita legendi, cæteris inductis: *Auritum leporem sequitur canis, et fugit ille. Sic utrumque oritur, sic occidit in freta sidus. At qua cauda canis, &c.* Hoc dicit: Canis leporem insequitur. Lepus canem fugit. Ea figura oriuntur et occidunt. Dixerat enim Aratus v. 341. *Καί δι ἐπαντέλλει, καί μιν κατιόντα διώκει.* hoc est, *Surgentem insequitur, sævo premit ore cadentem.* Et idem Avienus multis versibus hic exprimit. Qui et alibi simili modo dixit, *Sic magno præpes Olympo*

Subvehitur, subit occidui sic marmoris undas. Vera igitur hæc lectio et suo loco reposita. Gr.—SCH.

344. *At qua*] Tres hi versus iterum e MS. Gr.—SCH.

345. *Fulgent, &c.*] Hic versus memoratur a Prisciano libr. VII. p. 262. *Argoæ*] Argo navis prima in saltibus Pelii montis extructa. Priscianus de metris Comic. pag. 887. Euripid. in Medea princip. add. Maneth. Apotelesm. lib. II. v. 104, 105. Catullus Epithal. Thetid. init. Ex arbore Eone. Plin. XIII. c. 22. Dicta fuit ab autore, qui Argus vocatus fuit, non quod Argis exstructa, ut Tzetzes ad Lycophr. Alex. v. 883, vult. Recte Flaccus Argonaut. lib. 1. v. 92, *In mœnia pernix Thespiaca ad carum Tritonia devolat Argum. Moliri hunc puppim jubet, et demittere ferro Robora: Peliacas et jam comes exit in umbras.* Phædrus lib. IV. fab. 6, v. 6, 9. *Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo Fabricâsset Argus opere Palladio ratem.* Vide ad hunc locum notas Schefferi pag. 215 et Rittershusii p. m. 372. Adde Apollodorum Biblioth. I. cap. 9, § 16, p. 49. Adde his tertiam originationem Ciceronis lib. I. Tusc. c. 20, sed aut Ciceronis memoria vacillavit, aut locus est corruptus. Vide notas Davisii. Longam fuisse hanc navem, quod Plinius VII. c. 56 Jasonem primum longa nave navigâsse, Philostephano autore, scripsit, et per longam navem μονήρη intelligendam, suspicatur simul et dubitat Harduinus. Res quidem incerta est.—SCH.——*Fulget et* B.—OR.

347. *Ut cum, &c.*] Male vulgati: *at cum.* Versu abhinc quarto MS. pro *quia qua* habet. Ego hos omnes ita puto legendos et intelligendos: *Puppe etenim trahitur, non recto libera cursu, Ut cum decurrens inhibet jam navita remos, Aversamque ratem votis damnatus ad oram Perligat, optatam cupiens contingere terram. Seu quia pars violata fuit, cœuntia saxa Numine Junonis tutus cum fugit Jason.* Duas assignat rationes, cur Argo a puppi oriatur et prora careat. Priorem ex Arato, quod nautæ appellere cupientes navim convertant, et remos inhibeant, quod ἀνακόπτειν dixit Aratus: alii, (ut Cicero ostendit) πρύμναν κρούσασθαι, qua de re ad Aratum diximus. Alteram omnibus mythologicis intactam, quod videlicet prora inter rupes fuerit collisa, vix effugiente periculum Jasone. Meminit in Argonauticis Orpheus, aut quisquis ille alius; apud quem fatidica navis ita loquitur: Ὤι μοι ἐγών, ὄφελόν με διαῤῥαισθεῖσαν ὀλέσθαι. Κυανέαις πετραῖσιν ἐν ἀξείνῳ τε κλύδωνι. Gr. *Decurrens*] Scilicet e mari ad terram. *Inhibet*] id est, strenue agitat, navem conversurus. Cicero XIII. epist. ad Attic. 21. Inhibere *illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum: quanquam id quidem sciebam, sed arbitrabar sustineri remos, cum inhibere essent remiges jussi: id non esse ejusmodi, didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur. Non enim sustinent se, sed alio modo remigant. Id ab* ἐπέχειν *remotissimum est. Quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit. Dices hoc item Varroni, si forte mutavit, nec est melius quicquam, quam ut Lucullus sustineat currum equosque, ut bonus sæpe agitator. Semperque Carneades* προβολὴν *pugilis, et retentionem aurigæ similem facit* ἐποχῇ. *Inhibitio autem remigis motum habet, et vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim.* Curtius lib. IV. cap. 4, s. 9. *Plures deinde Macedonum naves superveniunt, et rex quoque aderat, quum Tyrii inhibentes remis, ægre evellere navem quæ hærebat, portumque omnia simul navigia repetunt.*—SCH.

347. *Aversamque ratem*] Vitruv. IX. c. 7. *Juxta Craterem et Leonem navis est, quæ nominatur Argo, cujus prora obscuratur; sed malus, et quæ sunt circa gubernacula, eminentia videntur.*—SCH.——*Ut quum*] ABEGgsb. *At cum* FP. (Ibid.) *remis* recte, ut puto, Gronov. et s.—OR.

348. *Vatis* A. *dampnatus* E. *damnatur* F. (Ibid.) *ad oram*] de g. conj. sb. *ab ore* ABEGFPg.—OR.

349. *Optatam*] scilicet quamdiu in externis regionibus versatus est.—SCH.——*Perligat*] de g. conj. b. *Perlegit* ABEGFPg. *Præligat* Muncker. s.—OR.

350. *Cœuntia saxa*] id est, insulas Symplegadas, sive Cyaneas proximas Bosphoro in Ponto Euxino. Hæ prætemavigaturos collidendo perdere credebantur veteribus. Vid. de insulis hisce Cellarius lib. II. Geograph. Antiq. cap. 15 extr. pag. 1331, 1332. Flaccus Argon. lib. I. v. 58. *Talibus hortatur juvenem, propriorque jubenti Conticuit, certus Scythico concurrere ponto Cyaneas.* Idem lib. VII. 41 *cautes Cyaneas* vocat, Idem lib. IV. 561. *Hinc iter ad Ponti caput, errantesque per altum Cyaneas: furor his medio concurrere ponto. Necdum ullas videre rates: sua comminus actæ Saxa premunt, cautesque suas, &c.* add. v. 640 seqq. et lib. I. 630. Euripides Iphigen. in Taur. v. 123 διισσὰς συγχωρούσας πέτρας appellat. Consule et Pindarum Pyth. od. IV. ϛρο. 1. κω. ιδ.—SCH.——*Sed*] ABEGFP. *seu* de g. conj. sb. (Ibid.) *quæ* BEG. *quia* AFPgsb. *violata fugit* B. Est tamen etiam in nostra lect. nescio quæ ἀκυρολογία: non enim proprie *hæc pars micat in cælo, quæ violata fuit,* sed ea, quæ incolumis mansit. Quapropter leg. existimo: *Sed qua pars violata fuit... hac micat.*—OR.

351. *Numine Junonis*] Val. Flaccus IV. Argon. v. 679. *Sed neque permissis jam fundere rector habenis Vela, nec eniti remis pote; cum super adsunt Cyaneæ: premit umbra ratem, scopulisque feruntur Comminus. hic Juno præcepsque ex æthere Pallas Insiliunt pariter scopulos: hunc nata coercet, Hunc conjux Jovis.—cum fugit Iason*] non e Colchide, sed in Colchidem cum abiisset. Vide locos e Flacco citatos et ejusdem IV. v. 707 seqq. *Fugere* hic est *celeriter provehi.* Sic Flaccus de eadem navi in Colchidem profectura lib. II. 430, *Spumea subsequitur fugientis semita clavi.* Marcus cap. V. 14, φεύγω etiam posuit pro *celeriter abeo. Jason*] Æsonis filius, a Chirone eruditus. Hujus virtutem Pelias rex veritus e Colchide aureum vellus repetere jussit, sperans eum bello aut navigatione periturum. Justin. XLII. c. 2, s. 10 seqq. et copiosius Pindarus Pyth. od. IV. et Nem. od. III. itemque Apollodorus Biblioth. lib. I. cap. 9, § 16, 22, 23, 24, seqq.—SCH.——*Numina* B. *Nomine* F. *Sumine* P. (Ibid.) *tutus quum fugit*] BEG. (prob. g.) sb. *tutus confugit* AFPg.—OR.

352. *Hæc micat in cælo lacere*] Flaccus Argon. IV. 691, *Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis: Parsque (nefas) deprensa jugis: nam cætera cælo Debita.* Hinc Tatiano contra Gent. pag. 149 dicitur ἡμίτομος Ἀργώ. *Lateri non amplius aucta*] Vulgati, *lateri non amplior actus.* Altero versu MS. pro *Qua surgit malus,* ut in vulgatis est, habet: *Quam surgit manus.* Forte legendum: *Hæc micat in cælo late, non amplius, altus Qua surgit malus.* Non amplius micat, quam usque ad malum. παρ' ἀυτὸν ἱϛὸν Aratus. Desideratur autem *quam,* ut in illo Liviano: *Plus quinquaginta hominum millia occiderunt.* Et illo Terentiano *non plus triduum. Lateri* quoque tolerari possit. Sunt enim latera navis αἱ πλευραὶ, ut alibi (v. 299) *Assultat lateri deprensæ spuma carinæ.* Gr.—SCH.——*Lateri non amplior auctus*] Sic scripsi: "non ultra malum procedit." *lateri non amplior actus* A. *lateri* (spatium vacuum) *amplior actus* P. (De F. non constat.) *lateri non amplius aucta* BEGgb. E. s. excidit hic vers.—OR.

353. *Quam*] ABEGFPs. *qua* Morel. gb. (*majus* BE. *manus* G.) *reddere* A.—OR.

355. *Lucida clavo*] MS. *roscida lævo.* Forte, *roscida clavo,* κεχαλασμέ-

νον dixit Aratus. Hoc Germanicus non *ἀπὸ τοῦ χαλᾷν*, sed *ἀπὸ τῆς χαλάζης* derivavit. Grando autem, nix, ros, pruina, si non eadem sunt, quod quodammodo probant philosophi, et cognata et affinia. Igitur *roscida puppis πηδάλιον κεχαλασμένον*. Gr.—SCH.——*Roscida*] BEG. (prob. g.) b. *lucida* AFPgs. *lævo* G. (non BE.)—OR.

356. *At procul*] Tres hi versus ex MS. Sed legendum *haud procul*, *οὐκ ὀλίγον περ ἀπόπροθι* Aratus. Eleganter autem dixit *media est solis via*, hoc est, Zodiacus quem Aratus alibi *ἠελίοιο κέλευθον* vocat, interjacet. Huc pertinet locus ille Manilii lib. I. v. 355, *Andromedam vastos metuentem piscis hiatus*. Ubi *Pistris* legendum. Nihil certius. Gr.—SCH.——Omittunt tres vv. 356-358. AFP. Habent BEG. (Ibid.) *Haud*] de g. conj. sb. *At* BEGg. (Ibid.) *Pistris*] Bgsb. *pristis* E. Eadem varietas in seqq.—OR.

358. *Monstro pelagi*] id est, ingenti beluæ maris Indici. Plinius IX. c. 3, *Plurima et maxima in Indico mari animalia, e quibus balænæ quaternûm jugerûm, pristes ducenûm cubitorum* Nonius c. 13, n. 13. *Pristis navigit genus a forma pristium marinarum, quæ longi corporis sunt, sed angusti*. Cetaceus piscis est Indici maris quem nonnulli *vivellam* vocant rostro longissimo, osseo, utrinque aculeato, serræ aut rastri modo. Iconem Rondeletius exhibet lib. XVI. cap. 15. Nos genuinum servamus in Cimelio Parisiensi nostro. Harduin. ad Plinium, tom. I. p. 280. Plinius IX. c. 4, *Maximum animal in Indico mari Pristis et Balæna est*. Idem c. 5. *Belluæ, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ apportata ex oppido Judææ Joppe, ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus, longitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali*. Vid. etiam Plinii IX. c. 13. *Sub axe*] id est, cœli parte. Sic pene etiam Virgilius Æn. lib. II. v. 512, *Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe Ingens ara fuit*. Adscribit Servius: *Nudo sub axe, hoc est, sub divo, quod impluvium dicitur. Axis autem est aut plaustrum septentrionis, aut pars septentrionis, &c.*—SCH.

359. *Diverso*] male MS. *diversi*. An vero *legenti* dicas cum vulgatis, an *legente* nihil refert. Gr. *Boreæ vicina legente*] id est, septentrionalibus plagis propinquo, seu septentrionales regiones tangente. Sic Virgilius lib. II. Georg. v. 44, *ades, et primi lege litoris oram*. Et lib. II. Æneid. v. 206 de natantibus duobus anguibus: *Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque Sanguineæ exsuperant undas: pars cætera pontum Pone legit sinuatque immensa volumine terga*. Add. Æneid. III. v. 127, et ibi Servius, qui scribit: *Tractus sermo a nautis qui funem legendo, id est, colligendo, aspera loca prætereunt*. Item idem Virgilius lib. III. Æneid. v. 292: *Littoraque Epiri legimus*. Ubi rursus Servius addit: *id est, navigando præterimus*, non *retinemus*. Hoc enim verbum hic ineptum est.—SCH.——*Diverso*] AFPgsb. *Diversi* BEG. (Ibid.) *legente*] BEGgsb. *legenti* AFP.—OR.

360. *Pistris agens*] MS. bene: *Auster Pistrin agit*. Aratus Νότος ἐχθρὸν ἀγινεῖ κῆτος. *Pistrin* autem per metathesin pro *Pristin* dici, nemo est qui nesciat. Grot. Flaccus etiam in Argonaut. II. v. 530: *Jamque agmine toto Pistris adest, miseræque inhiat jam proxima prædæ*. Auson. Eclogar. de sign. cœlest. v. 12: *Hunc sequitur Pistris*. Virgil. Æneid. III. 427, et alii. *Prælegit*] Non enim *perlegit* legendum. *Præ* in compositione sæpe *præter* significat. Flaccus Argonaut. lib. II. v. 581: *Litoraque et veteres tumulos prælabitur Ili*. Vide exempla etiam in Plinii Historiæ naturalis libr. VI. cap. 23: Ausonii clar. Urbib. v. 100; Virgil. VI. 705.—SCH.——*pristin agit*] BEGgsb. *pristis agit* (non *agens*) AFP. *pistris agens* g. (Ibid.) *prælegit* s. conj.—OR.

363. *Amnem qui*] Tres hi versus iterum ex MS. Gr. *Phaetonta*] Phaëton Solis et Clymenes filius quum solis currum, quem conscenderat, regere non potuisset, fulmine percussus decidit in Eridanum. Vide Ovidium Metam. lib. II. v. 1-324. Nonnum Dionys. XXXVIII. v. 107, seqq.—SCH.——Omittunt hos tres vv. 363-365 AFP. Habent BEG. *phethonta* BE.—OR.

365. *Vulnere reddentem*] Forte: *Fulmine, reddentem flammas, Jovis.* Ovid. Metam. lib. ii. v. 311, 312, 313: *Et dextra libratum fulmen, ab aure Misit in aurigam, pariterque animaque rotisque Exuit et sævis compescuit ignibus ignes.* Dicit igitur Germanicus eleganter, Phaëtonta flammas solis reddentem flammis et fulmine Jovis. Grot. *Hunc nova silva*] Ovidius de iisdem, Metam. II. v. 372: *Silvamque sororibus auctam.* Nota fabula. Gr.—SCH.——*Vulnere*] BEGgs. id est, e vulnere suo etiam tunc fumante quasi reddentem, efflantem flammas Jovis. *Fulmine* de g. conj. b.—OR.

366. *Mœstæ Phætontides ulmis*] Male vulgati, *Asiæ Phaetontides undis. Ignotas ulmos* dixit, ut Ovidius Metam. lib. II. v. 352: *Illa dolet fieri longos sua brachia ramos.* Grot. *Ulmis*] Sorores Phaëtontis Heliades, dum casum fratris deflent, in populos conversæ dicuntur a Poëtis. Ovidius, Metam. II. v. 340, seqq. Hyginus, Fabul. 152. Catullus in Epithal. Thetidis, pag. 185, adde Vossii annotat. pag. 235. Sed Virgilius, Eclog. VI. 62: *Tum Phaetontiades musco circumdat amaræ Corticis, atque solo proceras erigit alnos.* Quocirca hic quoque fortassis *alnis* legendum suspiceris. Adde Priscian. lib. II. pag. 55, 56, et p. 136, 137. Verum Servius ad Æneid. VI. 659. Phaetontis *sorores flendo versæ sunt in populos: ut in decimo:* Populeas inter frondes umbramque sororum. *Et hoc Virgilius. Nam alii in alias arbores dicunt.*—SCH.——*Mæstæ*] BEGgsb. *adæstæ* (sic) A. *adhæsæ* F. *Asiæ* P. *phechonides* A. (Ibid.) *ulnis*] ABEGb. *ulmis* g. err. typogr. s. *undis* P.—OR.

367. *Interjacet astris*] MS. *injacet undis.* Lege *Eridanus medius liquidis interjacet undis.* Nam *astra* quomodo liquida? Dicit Eridamum medium fluere inter Heliadum silvam, de qua locutus est. Aratus πολύκλαυϛον ποταμὸν vocat, quia electra lacrymæ Heliadum in Eridanum stillant. Naso, Metam. II. 364: *Stillataque sole rigescunt De ramis electra novis, quæ lucidus amnis Excipit, et nuribus mittit gestanda latinis.* —Gr.—SCH.——*medius* (*medii* vel *mediis* F.) *interjacet astris*] AFPgb. (*liquida* astra, i. e. clara, micantia ut v. 42. *liquido spendore.*) *medius liquidis interjacet undis* de g. sententia s. *mediis liquidis interjacet undis* E. *medius liquidis injacet undis* G. *mediis liquidis hic injacet undis* B. Sed *undis* ortum ex v. *ulnis* versus præced. molestissimum mihi accidit inter illa *suas deflevit ad undas* et hæc: *hujus pars undæ.* Præterea otiosum est totum istuc *liquidis undis* scil. fluens, et desideramus potius dativum construendum cum v. *interjacet.* In Cd. E. (non in B.) versus sic collocati: 365, 367, 366.—OR.

368. *Hujus pars undæ lævum ferit O. L. p. p. amotis qui piscibus usus V. conjectat n. c. s. i. Æquore Pistris adit. s. illê l. c. S. nonnullam s. r. f. S. l. l. a. p. d. p. I. et Eridanum flexusque cavumque e. A. b. i. notat, si nullam ferre f. S. etiam toto s. s. n. mundi I. s. i. q. c. p. d. F. p. oppositi n. l. s.*] Novem horumce versuum proponam variationem, et verisimilem lectionem. Versu primo MS. *medium tenet* pro *lævum ferit.* Versu tertio *conjecit.* Versu quarto *Æquore Pistris radians sunt lib. cæ.* Versu quinto pro *specie* habet *cælo;* versu sexto vulgati *sub leporisque latus versum.* Versu septimo MS. *flexus clavumque.* Versu octavo ita habet

manuscriptus: *Atque hæc ipsa nota est nullam præbuere figuram.* Versu penultimo vulgati pro *quibus etsi propria desit,* habent *etiam quibus et sua desit.* Nunc meam lectionem proponam: *Hujus pars undæ lævum tenet Orionis Lapsa pedem: procul ambobus qua piscibus unus Vincula connectit nodus, cristam super ipsam Æquoreæ Pistris radians. Sunt libera cœlo Sidera, non ullam specie reddentia formam, Sub leporis latus, aversam post denique puppim, Inter et Eridani flexus clavumque carinæ. Atque hæc ipsa nota est, nullam præbere figuram. Sunt etenim toto sparsi sine nomine mundo Inter signa ignes, quibus et si propria desit Forma, per appositi noscuntur lumina signi.* Vides multa ex commistis lectionibus emendata, multa a nobis, ut pro *amotis ambobus,* ἄμφω Aratus. Pro *usus, unus.* Pro *æquore Pistris, Æquoreæ Pistris.* Pro *præbuere, præbere;* pro *etiam, etenim;* pro *oppositi, appositi.* Ubi Aratus παρακείμενος. Quæ omnia probabit, qui sensum attentius inspiciet, et hæc cum Arato ejusque interpretibus conferet.—Gr.—SCH.——*lævum terit*] F. ut v. 232. *lævum ferit* APg. *medium tenet O.* EG. *medium tenet ast O.* B. *lævum tenet* de g. conj. sb.—OR.

369. *Ambobus*] de g. conj. b. Necessaria est propter oppositum v. *unus. amotis* ABEGFPgs. (Ibid.) *qua*] de g. conj. sb. *qui* ABEGFPg. (Ibid.) *unus* de g. conj. b. *usus* ABEGFPg. *udus* s.—OR.

370. *Connectit*] de g. conj. sb. *conjectit* A. *conjecit* BEG. *conjectat* FPg.—OR.

371. *Æquoreæ Pistris radians*] de g. conj. sb. *Æquore pristis radians* EG. *Æquorea pistrix radians* B. *Æquore pristis adiat* (sic) A. *Æquore pistris radit* F. *Æquore pistris adit* Pg. (Ibid.) *sunt libera*] BEGsb. *sunt libero* A. *sunt illi libera* FPg.—OR.

372. *Nonnullam* APg. (non BE.) (Ibid.) *specie*] AFPgsb. *cœlo* BEG.—OR.

373. *Leporis*] ABEGgsb. *leporisque* FP. (Ibid.) *aversam*] BEGgsb. *versam* AFP.—OR.

374. Propter Arati versum μεσσόθι πηδαλίω καὶ κήτεος εἰλίσσονται Pistricem recte reposui. Possis v. 375 etiam ita legere: *Atque hæc ipsa nota est, nullam illum ferre figuram.* Ita ratio aliqua corruptionis apparet. SCH.——*Eridani*] de g. conj. b. *Eridanum* ABEGFPg. (*Inter Pistricis* s. conj.) (Ibid.) *flexus*] ABEGsb. *flexusque* FPg. (Ibid.) *clavumque*] BEGsb. *cavumque*] A(F?) Pg.—OR.

375. *Nota est nullam*] BEGsb. *nota si nullam* AF. *notat: si nullam* Pg. (e scriptura: *notast.*) (Ibid.) *præbere*] AEsb. *præbuere* BG. *præferre* F. *ferre* Pg.—OR.

376. *Etenim*] de g. conj. sb. *etiam* ABEGFPg. *totos* A. (Ibid.) *mundo*] A. firmans g. conj. sb. *mundi* BEGFPg.—OR.

377. *Quibus etsi propria*] BEGgsb. *quibus et propria* superscr. a recent. manu *si* A. *quibus et sua* FP. (An leg. *defit?*)—OR.

378. *Appositi*] A. firmans g. conj. sb. *oppositi* BEGFPg.—OR.

379. *Est etiam a geminis*] Iterum terni ex MS. Versu secundo pro *fugiat* legendum *fugitat.* Grot. Pro *diversis* legito *diversus.* Aratus οἷος ἀπὸ προτέρων.—SCH.——Omittunt tres vv. 379-381 AFP. Habent BEG. (Ibid.) *diversus*] sb. *diversis* BEGg.—OR.

380. *Fugitat*] de g. conj. sb. *fugiat* BEGg.—OR.

381. *Imam*] Id est, caudam Pistris.—Gr.—SCH.——*Ægocheri pristim* B. (*pristim* etiam g.) *ægocheri pristin* E.—OR.

382. *Sed qua vestigia*] Male MS. *quæ.*—Gr.—SCH.——*Hydrochoos*]

A(F)Pgsb. *Hydrochous* BE. (Ibid.) *sed qua*] FPgsb. *sed quæ* AEG. *sedque* B.—OR.

383. *Belua*] Id est, Pistris.—Gr.—SCH.——*qua*] BE(GF)Pgsb. *quæ* A.—OR.

384. *Quaque caput Piscis*] Hæc distinctio a nobis, ut multæ. Antea legebatur, *Quæque caput piscis media regione locatæ*, nullo sensu. Grot. *Piscis* intelligitur hic notius ille, qui effusam Aquarii aquam excipit ore hianti.—SCH.

385. *Causa est*] Ita MS. Non male etiam vulgati: *Nullum nomen habent nec causam nominis ullam*. *Causa nominis* est fabula.—Gr.—SCH.—— om. *habent* A solus. *habet* P. (Ibid.) *causa est nominis ulla*] BEGgsb. (sed b. male: *causæ*.) *causa si nominis ulla* (*si* pro *st*) A. *causam nominis ullam* FP.—OR.

386. *Pæne*] A. *pene* Cett.—OR.

387. *Defundit*] Ita MS. alieno tamen, ut monuimus, loco. Vulgati, *diffundit*. Grot. *Dextra defundit*] Magis ad formam, quam pictores ei affingunt, Claudianus, lib. II. de laud. Stilic. extr. *Madidæ nec prodigus urnæ Semina prærupto dissolvat Aquarius imbre*.—SCH.

387, 388. Hos duos vv. h. l. habent AFPgs. Alieno loco BEG. (vide Præfat.) Omittit eosdem h. l. Buhle. (Ibid.) *defundit*] ABEGgs. *diffundit* FP.—OR.

388. *Imitata*] μιμηθέντα, Passive. Simile est illud Maronis, Eclog. IX. 53: *Nunc oblita mihi tot carmina*.—Gr.—SCH.——*liquores* A.—OR.

389. *E quibus*] Male MS. *Et*. Male sequenti versu *Squamiger justis*. et ibidem *signis* pro *signi*.—Gr.—SCH.——*Et q.* EG. *succauda magna r.* A. solus.—OR.

390. *Squamigeræ Pistris*.] Ita distinguendum, non ut ante, *E quibus una magis sub cauda stella relucet, Squamigeræ Pistris pedibus subit altera*.—Gr.—SCH.——*Squamigeræ pristis* vel *pistris*] A(F)gsb. *Squamigeri pistris* P. *Squamigeri ustis* BE. *Squamiger justis* G. (Ibid.) *signi*] A(F)Pgsb. *signis* G. *signa* BE.—OR.

391. *Sine honore corona*] Videtur Germanicus in Arato ΑΓΝΩΤΟΙ ΚΥΚΛΟΙ legisse pro ΔΙΝΩΤΟΙ, qui error valde proclivis. Imo et Cicero, qui transfert: *Atque priora pedum subeunt vestigia magni Arcitenentis et obscuræ sine nomine cedunt*.—Gr.—SCH.

392. *Nullum pernicia*] MS. *paululum*, lege *paulum*. *Paulum ante*, non *paulum pernicia*. Videri possit legisse etiam non ὀλίγοι, sed ὀλίγον γε μὲν ἄλλοι Νειόθι τοξευτῆρος ut sit ὀλίγον νειόθι *paulum ante*.—Gr.—SCH.——*sagitti ferii* (sic) A. (Ibid.) *paullum*] ut volebat g. BEsb. *paululum* G. *nullum* AFP. *multum* Mor. g.—OR.

393. Hunc v. h. l. de g. sententia collocârunt sb. Alieno loco legitur in GEGg. Abest ab AFP. (Ibid.) *Scorpios*] BE. *Scorpius*] gsb. *erepta* B.—OR.

394. *Thuribulum vicinum austris sacro igne videbis Arcturum contra. Sed quanto tardius ille Oceanum occasu tangit, tanto magis arte Thucibulum metæ vim cælo suspicit, et jam Præcipiti tractu vastis dimittitur undis*.] Duo hic versus ex manuscripto restituti. Quarto versu habet MS. *occasum*, inducta voce *tangit*, quæ nisi ad versum videtur necessaria, possit videri ex sequentis vocis similitudine perperam repetita: nunc potius in MS. ob similitudinem omissa, quod non rarum. Quintum ita habet *Thuribuli metæ vix cælum suspicit et jam*. Supra retulimus versum illum *Scorpius erecta torquet qua spicula cauda*, superesse; is hic desideratur. Qui una cum aliis ita est legendus ut expressi sunt. Sensus

est: apud Scorpii acumen invenies australem aram oppositam Bootæ. Sed quanto ille tardius occidit, tanto arctiores sunt metæ aræ: adeo ut vix ortum sit, quin statim iterum occidat. Similem phrasin, in qua *quanto* et *tanto* cum comparativis ponuntur, habes supra v. 226: *Quanto breviore Lycaonis arctos Axem actu torquet, tanto pernicior ille Distantes cursu properat contingere metas.* Ita enim emendavimus. Quo ex loco etiam liquet, quid vocet *metas* signi alicujus, scilicet duo puncta *ἀνατολικὸν* et *δυτικὸν*, quæ in Horizonte imaginamur. GROT. *Notis*] Male vulgati, *novis*. *Notis σημείοις*, non *νότοις*.—GR.—SCH.——Omittunt vv. 394-413. Cd. E. Omittit vv. 394-445. Cd. B. Omittunt vv. 394 et 395. AFP. Ergo hi duo soli Cd. G. debentur.—OR.

396. *Occasum tanto* G. om. v. *tangit.* (Ibid.) *tanto magis*] Gsb. *tanto et magis* APg. (De F. non satis constat.) (Ibid.) *artæ*] G.? sb. *arte* APg. *arcte* F. Ut nos, leg. proposuit g.—OR.

397. *Turibuli*] G. (prob. g.) sb. *Turibulum* g. *Turibulo* AFP. (Ibid.) *vix*] Gsb. *vi* A. *vis* F. *vim* Pg. (Ibid.) *cælum*] Gs. *cælo* FPgb. (Ibid.) *suspicit*] Gsb. *suscipit* APg. (De F. non satis constat.)—OR.

398. *Tactu* "Alii" apud g. (Ibid.) *demittitur*] s. *dimittitur* AFPgb.—OR.

400. *Vix cælum suspicit*] Id est, vix horizontem transgreditur, quum occidere properat. Hinc Ovid. Metam. II. 139, *pressam* vocat: *Neve sinisterior pressam rota ducat ab aram*: quod ab meridiem nimis depressa facile disparet.—SCH.——*notis*] Ggsb. *novis* F. *Jovis* P. Omittit v. 400. A.—OR.

401. *Intercepta l.* F. *numeris* A. *numerus* "Alii" apud g.—OR.

402. *Cætera cœli*] MS. *tempora*, male.—GR.—SCH.——*tempora cæli* G. prob. Voss. ad Aratum, pag. 78. Omittit v. 402. A.—OR.

403. *Splendore timeto*] Ita vulgati. MS. *splendenti metuendum.* Indubie legendum *splendente timendum.* Ex transpositione et repetitione error, an e glossa?—GR.—SCH.——*splendente timeto*] A(F. hic: *timento*) Pb. *splendenti metuendum* G. *splendente timendum* de g. conj. s. *splendore timeto* g.—OR.

404. *Pacem pelagi*] Avienus simili phrasi: *Thetidi terrisque supina Pax aderit.* Vulgati habent *supinis.*—GR.—SCH.

405. *Siccentur substricto*] Male vulgati, *astricto*. Pro *siccentur* puto *spissentur* legendum. Cum enim *κεραία* sive cornu sit *τὸ ἐπάνω τοῦ ἱςοῦ δεδεμένον πλάγιον ξύλον, οὗ ἐξάπτεται ἡ ὀθόνη*, sequitur velo turgido laxari, substricto spissari, quod fit in tempestatibus. *Rigidos* similiter *rudentes* in procella vocat, quod contrarium est ei quod supra dixerat *excussos*, in vento moderato et secundo.—GR.—SCH.——*spissentur*] de g. conj. b. *siccentur* AGFPgs. (Ibid.) *substricto*] Ggsb. *abstricto* (sic) A. *astricto* F. *astricta* P.—OR.

406. *Et rigidi*] Pessime vulgati: *Erigat emittantque latus per inane rudentes.*—GR.—SCH.——*Et rigidi emittant flatus*] Ggsb. *Erigit temit tant latus* (sic) A. *Erigant emittantque latus* FP.—OR.

407. *Quod si deprensæ*] Male vulgati, *deprensa*. Male MS. *turbabit.*—GR.—SCH.——*deprensæ* Ggsb. *deprensa* AFP. (Ibid.) *turbavit*] APgsb. *turbabit* GF.—OR.

409. *Solvetque*] MS. *servetque*. Lege: *Sorbetque inimicum Nerea prora.* Vera emendatio. GROT. Nereus, qui Deus maris et Leucotheæ pater putabatur esse, et ut senex effingebatur, hoc loco pro aquis marinis ponitur. Vid. Phurnutus de nat. Deor. c. 23. Add. Apollod. Biblioth. I. c. 2.—SCH.——*sorbetque*] de g. conj. sb. *servetque* G. *solvetque* AFg. *solvet quæ* P.—OR.

410. *Vel si respexit*] Lectio manuscripti, distinctio nostra: neutra valet in vulgatis. Est enim, *Vel si perspexit servator Jupiter æger Servator Jupiter* ζεὺς σωτὴρ, quem agnoscit autor libri de mundo, et Aristophanes in Pluto. Grot. *Jovem servatorem* ac *conservatorem* plurimi prædicant numi veteres, et Inscriptiones, v. g. apud Grut. pag. 18. Probatur ex hoc loco providentia Dei, quam gentiles recte crediderunt, et Sallustius de Diis, cap. 9, præclare tuitus est.—SCH.——*respexit*] Ggs. *perspexit* AFPb. (Ibid.) *ægre*] Ggsb. *æger* AFP.—OR.

411. *Jactata*] Malim *jactati*, ὀτλήσαντες Arato, neque enim satis recte *Salus jactata* dicitur.—Gr.—SCH.——*persolvent* b. contra AGFPgs. (Ibid.) *jactati*] de g. conj. sb. *jactatæ* AGFPg.—OR.

412. *Perfulserit*] Vulgati *effluxerit*, quod ex *effulserit* natum. Iidem male pro *omnem* habent *orbem*. Nam quod in altero versu pro *orbem ortum* habent, tolerandum est. Sed manuscripti lectio vera, si ita juves: *Quæ boream, cæli spectantibus, indicet orbem.* Pars omnis effulgens spectantibus cœli orbem Borean indicat. Quid clarius?—Gr.—SCH.——*effulserit orbis* AFP. (sed F. *effulxerit;* P. *effluxerit*) *perfulserit omnis* Ggsb.—OR.

413. *Cælum*] AFPgb. et, ut videtur, G. *cæli* de g. conj. s. (Ibid.) *ortum*] AFP. *orbem* Ggsb. Quum lectio AFP. per se probabilem præbeat sententiam, in lectionem autem Cd. G. ejusmodi sententia nonnisi conj. *cæli* pro *cælum* inferri possit, equidem illam prætuli.—OR.

414. *Sunt etiam flammis*] Versus hi tres fuerunt Manuscripti, quos nos distinximus.—Gr.—SCH.——Omittunt vv. tres 414-416 AFP. Habent EG.—OR.

415. *Centauri*] Vid. de his Palæphatus incredib. hist. c. 1. Nam existimat fuisse equites Ixionis, qui τοὺς ταύρους κατεκέντουν. Heraclitus de incred. c. 5, primos eos equites fuisse putat, qui ex longinquo conspecti, naturæ humanæ et equinæ speciem præbuerint. Add. Plinius VII. c. 56. Servius ad lib. III. Georg. v. 115. Nam centauros nunquam extitisse et Lucretius probat, et satis constitit inter philosophos, qui rem nusquam existentem nominare quum vellent, Hippocentaurum dicebant. Sextus Empiric. Pyrrhon. Hypothes. lib. I. c. 14. Figuram Centauri vide in Vaillantii num. Colon. part. II. pag. 178.—SCH.——*pectore et alvo*] sic scripsi. *pectoris alvo* E. *corpore et alvo* Ggsb.—OR.

416. *Hominem reddentia*] Id est, Centauri pars ea, quæ humanam figuram habet, subjicitur pene sub libram seu chelas Scorpionis.—SCH.——*candentis* E.—OR.

417. *Ingentis* AE. *harmos* P.—OR.

418. *Sonipes*] Id est, ea pars Centauri, quæ formam Equi exprimit, subjecta Virgini cernitur. Hæc rectius Germanicus quam Aratus. *Nascitur sonipes*] Ovid. Fast. V. 379: *Nocte minus quartæ promet sua sidera Chiron Semivir, et flavi corpore mistus equi.*—SCH.——*dextera;* medium e puncto notatum. E. *dexter* A.—OR.

419. *Seu prædam e silvis*] MS. *Seu prædam silvis portat, seu dona propinqua.* Et altero versu pro *admovet admonet.* Sed hi versus ita legendi et distinguendi: *Nascitur intacta sonipes,* &c. uti nunc expressi sunt. Vide Aratum. Grot. *Seu prædam e silvis portat*] Manil. IV. 180, etiam pro capta fera *prædam* ponit: *Hoc habet, hoc studium, postes ornare superbos Pellibus, et captas domibus configere prædas.* Rutilius Itiner. v. 629: *Tum responsuros persultat buccina colles, Fitque reportanti carmine præda levis.* Plinius VIII. 55: *Lepus omnium prædæ nascens.* Id. IX. c. 10: *Testudines—non queunt mergi, invitæque fluitant, oppor-*

tunæ venantium prædæ. Vide Schefferum ad Phædr. lib. I. fab. V. extr. et, quem is citat, Ulitium ad Nemes. v. 50, pag. 322. Illud ex Capellæ, lib. VIII. de philol. p. 280 et 282 observo, prædam hanc *Pantheram* visam esse quibusdam. *Propinqua*] Elegantia postulavit *propinquæ.*—SCH.——*prædam e silvis*] FPgsb. *prædam silvis* AEG. (Ibid.) *propinquæ* AE. (ut volebat g.) s. *propinqua* GPgb. (De F. non satis constat.)—OR.

420. *Aræ*] Quod antea thuribulum appellavit Autor, nunc aram vocat, ut nos vulgo. Ad hanc aram seu potius illam aram, cujus hæc cœlestis memoriam conservare debet, Jupiter sacra fecisse dicitur Scholiastæ Germanici, cum Saturnum impugnaturus Deos convocâsset conjuraturos. Sed Autor noster alio deflexit.—SCH.——*admonet* G. et margo Codicis E.—OR.

421. *Hic*] Male MS. *sic.* Quanquam vero *tutissimus* quodammodo tolerari posse videatur, tamen malim *justissimus.* Nam habemus in Orphaicis Argonauticis de Chirone *δικαιότατος κενταύρων.* Et Avienus eum *arbitrum æqui* nominat. GROT. *Chiro*] Centaurus in monte Pelio, egregia medicæ artis, justitiæque fama usus. Vid. Eratosth. Catast. 40. Lactant. Instit. div. I. c. 10, s. 2. Maximus Tyrius dissert. XVIII. p. 186. Nonnus Dionys. XLVIII. p. 1248. Euripid. Iphigen. in Aulid v. 926. Plinius VII. c. 56. Hyginus, fab. 274. Ovid. Metamorph. II. 630. Nicander in Theriac. v. 500, seqq. collato epithalamio Thetidis et Pelei apud Catull. pag. 185, ubi adde notas Vossii, pag. 231. Ovid. Fast. V. 379-414. Clemens Alexandr. Stromat. lib. I. p. m. 306. Justinus Martyr. de Monarch. Dei, pag. 109. Apollodorus, lib. III. c. 10, § 3. Fuit Croni filius: Pindarus Pyth. od. IV. Tzetzes ad Lycoph. Alex. v. 1200, et Philyræ: Plinius VII. c. 56. Hyginus, fab. 138. Gruterus, Inscript. I. pag. 72. Pindarus Pyth. od. III. Servius ad Georg. lib. III. v. 93. Apollodorus Bibl. lib. I. c. 2, § 4.—SCH.——*Sic* G. (Ibid.) *Chiron*] AE. *Chiro* Pgsb. (Ibid.) *justissimus*] de g. conj. sb. *tutissimus* AEGFPg. *omnis* AEFP.—OR.

422. *Præceptor Achillis*] Eurip. Ipig. in Aulid. v. 705. Claudianus de tertio Consulat. Honorii: *Non ocius hausit Achilles Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes, Sive lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.* Adde Flaccus I. 255, et 407. Ovid. Fast. V. 385. Pindarus Pyth. Od. VI. et Nem. od. III.—SCH.——*magno* retento *Achillis* A.—OR.

423. *Hic humero*] Male MS. *Hinc*, et pro *scindens scandit.* Vulgata proba.—GR.—SCH.——*Hic*] AFPgsb. *Hinc* EG. (Ibid.) *scindens*] Pgsb. *scandens* AF. *scandit* EG.—OR.

424. *Si tenuem*] Male vulgati *sic* et *stellasve.*—GR.—SCH.——*Si*] AEGgsb. *Sic* FP. (Ibid.) *stellasque*] AEGgsb. *stellasve* FP.—OR.

425. *Toto clarus equo*] Aratus ait, v. 433: *ἀτὰρ μετόπισθεν ἐοικότα σήματα τεύχει Νὺξ ἐπὶ παμφανόωντι θυτηρίῳ.* Hoc est, explicante Scholiaste, *μετὰ ταῦτα δὲ ἐπὶ τῷ θυτηρίῳ τὰ προειρημένα σημεῖα ἀποτελόιη ἡ νύξ.* Hoc est, *postea vero easdem notas in thuribulo nox perficiat, quas antea diximus.* Quem sequitur Avienus: *Et cœlo sint omnia signa priora.* Et Cicero, v. 449: *Atque aram tenui caligo vestiat umbra.* Ita enim ibi lego, non *caligans.* Germanicus *μετόπισθεν* interpretatur posteriora Centauri, *τὰ ἱπποούραια*, et *ἐοικότα σήματα* intelligit *ἀςέρας διαφανεῖς.* Cætera quæ sequuntur *ἐπὶ παμφανόωντι θυτηρίῳ* sunt illi non intellecta, sed neglecta. GROT. Nescio, quæ hîc Germanico affingat Grotius. Tantam quidem inscitiam Autori nolim tribuere. Pravus librarius videtur pro *thuribulo claro*, quod, non inspecto Arato,

huc non pertinere putabat, reposuisse *Toto clarus equo:* quod equus in **figura Centauri aptius memorari videbatur.** Tam parva correctione sua Germanico vindicatur doctrinæ opinio.—SCH.——*venientis* AE.—OR.

426. *Nec procul h. h. t. c. c. s. C. l. tractus s. i. L. P. a. C. c. e. tristia s. t. Hic primos ortus C. p. ulterioris V. r. s. f. o. L. E. c. p. e. p. p. C. E: s. triplici f. s. H.*] Tres iterum versus ex Manuscripto. Duo sequentes ita sunt in vulgatis: *Hic primos ortus Crater premit ulterioris, Vocalis rostro Corvi super, Hydraque lucet.* Deinde alii duo ad hunc asterismum pertinentes in manuscripto sequuntur, quos omnes admodum corruptos ita emendavimus: *Nec procul hinc hydros trahitur, &c.* uti nunc expressi sunt. Confer. cum Arato. Hydrum vocat, ut et Capella, quem Aratus ὕδρην, ut et alii Latini: quæ dubito an recte distinxerit Isidorus, cujus verba adducam: *Hydros aquatilis serpens, a quo icti obturgescunt. cujus quidam morbum Boam dicunt, eo quod fimo bovis remedietur. Hydra draco multorum capitum, qualis fuit in Lerna palude Arcadiæ. hæc Latino Exedra* (lege, excetra) *dicitur, quod uno capite cæso tria excrescant.* De Boa quod ait, falsum: nam ipse Hydrus Boa dictus, quod boum lacte alatur, et inde morbus, quod ex eo tanquam ex boæ morsu corpus papulis turgescat. Habet tamen Isidorus autorem suum Plinium. Sed ego Plinio Plinium objiciam. Nam is ipse id quod de bubulo lacte dixi, et etymologia, confirmat libro VIII. cap. 14, ubi etiam ostendit, boam in immensam magnitudinem excrescere. Ergo *Boa* et *excetra* idem. nec minus *Hydrus* et *Hydra.* Sed ut ad Germanicum revertamur, pro *tristia* substitui *tria* Arato jubente. Similis locus erat ille supra positus v. 357, *Duo sidera perlegit unum.* Cætera, non dubito, probabunt ii, quibus aliquid est naris. Alios non curamus. GR. *Superne Centaurum*] non placet. malim *sub arma Centauri.* nam extrema cauda pene subit arma Chironis.—SCH.——Omittunt tres vv. 426-428. AFP. Habent EG. (Ibid.) *superne*] de g. conj. sb. *superni* EG. *sub arma Centauri* s. susp.—OR.

427. *Tractu*] de g. conj. sb. *tractus* EGg.—OR.

428. *Capiti* E. (Ibid.) *tria*] de g. conj. sb. *tristia* EGg.—OR.

429. *Crater*] Ovidius Fastor II. 243, *Continuata loco tria sidera, Corvus et Anguis Et medius Crater inter utrumque jacet.* Crater hic Liberi patris esse, et animas cœlo descensuras hyle inebriare videtur Macrobio in Somn. Scip. lib. I. c. 12. Aliis Apollinis poculum esse putatur. Eratosth. cat. 41.—SCH.——*Huic primos tortus*] de g. conj. sb. *Hic primos ortus* GPg. *Hic primo est ortus* E. *Hic primo ortus* A. (De F. non satis constat, nisi quod habet is quoque: *hic.*) *ulterioris* AGFPg. (non E.)—OR.

430. *Vocali rostro Corvus*] Apollini sacer, propter vaticinia. Plinius X. c. 12, *Corvi in auspiciis soli videntur intellectum habere significationum suarum, &c.* Capell. V. p. 138 et IX. p. 303. Eratosth. Catast. 41 enarrat causam, cur in cœlo repositus sit: Item Ovidius Fast. II. 243 seqq.—SCH.——*Vocali*] AEGgsb. *Vocalis* FP. (Ibid.) *curvus forat; omnia lucent*] EGgsb. (nisi quod b. *foras.*) *corvus foret omnia luet,* superscr. *c,* ut sit: *lucet* A. *corvi super hydraque lucet* FP.—OR.

431. Hæc omnia a v. 431 usque ad Fragm. Prognost. II. *Ætherium venit* absunt a Cd. F. et Ed. Principe. Primus edidit Grotius: a Cd. A. absunt h. l. vv. sex 431, 432, et 434-436.—OR.

432. *Hydros*] Servius ad lib. I. Georg. v. 210. *Tres sunt angues in cœlo: unus qui in septentrione est, alter Ophiuchi, tertius australis, in quo sunt crater et corvus, de quo nunc proprie ait* Anguis: *nam hydra dicitur græce. et scimus angues aquarum esse, serpentes terrarum.*—SCH.——*Triplicis*] de g. conj. sb. *triplici* EGg.—OR.

433. *Sub Geminis Procyon fulgentia sidera*] Hic quoque versus ultimus primæ partis phænomenon in vulgatis defuit. In quo nove, imo antique *surgit* active dixit. Nec mirum, cum *surgo* per syncopen sit pro *surrigo*. Gr. Sed mollius tamen foret id, quod ego Germanicum scripsisse puto: *fulgenti sidere surgit. Procyon*] Erigones Canis fidissimus ad mortem usque. Ælian. VI. de animal. c. 25. Nonnus Dionys. XLVII. 244 seqq. Ab aliis Orionis canis esse putatur. Hyginus poët. Astron. lib. II. in Procyon. Eratosth. Catast. 42, Προκύων δὲ λέγεται ὡς πρὸ τοῦ κυνός. Plinius XVIII. 28. *Procyon apud Romanos non habet nomen, nisi caniculam hanc velimus intelligi, hoc est, minorem canem: ut in astris pingitur.* Hyginus poët. Astr. libr. II. cap. de Arctoph. *Canem autem* (Erigones) *sua appellatione et specie caniculam dixerunt, quæ a Græcis, quod ante majorem canem exoritur, Procyon appellatur.*—SCH.——*Fulgenti lumine surgit*] Sic A. *fulgentia lumina surgit* E. *fulgentia sidera surgit* Ggb. *fulgenti sidere surgit* s. conj. Sed molesta est repetitio v. *sideris*. *fulgentia lumina pandit* Margo Cd. E. Hæc quoque videtur correctio Viri docti potius quam germana poëtæ manus.—OR.

434. *Hic cœlo ornatus*] Abhinc omnia ad finem usque φαινομένων nusquam hactenus edita, nunc primum nostra opera, manuscripti ope, prodeunt. Gr.—SCH.

435. *Adsignata* EGg.—OR.

436. *In morti loca*] Lege: *semel assignata tuentur, Immoti loca. Immoti* ἀπλανέες. Gr. *Immoti*] Tu vide Macrobium Somn. Scip. I. 17, adde Cellarii Element. Astron. p. 6, et 46, atque alios.—SCH.——*Immoti*] de g. conj. sb. *In morti* EGg.—OR.

437. *At quinque stellæ*] Forte, *At quinæ stellæ* ob versum. quanquam alias non negem, Græco more brevem duabus illis consonis sequentibus posse produci, sed hoc Germanico inusitatum.—Gr.—SCH.——*Quiq.*]sic: *Quinque*) *aliæ si stellæ* A. Hinc dedi: *Quinque aliæ stellæ*, ut apud Avienum v. 908. *Quinque itidem stellæ*, et Aratum ipsum v. 454. Οἱ δ' ἐπιμὶξ ἄλλοι πέντ' ἀστέρες. *At quinque stellæ* EGgb. *e* producto ante *st. At quinæ stellæ* de g. conj. s. *legiferuntur* (sic) A.—OR.

438. *Contraria volvunt curricula*] Rem declarat Plinius lib. II. c. 8. add. Harduini not. et Macrobius Somn. Scip. I. 18. Cleomedes pag. 99, 100, 101, et Capella de nupt. philol. lib. VIII. pag. 287, 288. Idem Plinius eodem libro insequentibus etiam nostri versibus lucem affert.—SCH.

439. *Curriculo* A.—OR.

440. *Haud equidem passim alio contingere signo Quæ divisa dies hinc atque hinc sæpe videntur*] Versus hos depravatos ita legendos arbitror, *Haud equidem possis alio contingere signo, Quod diversa via est.* Non possis, inquit, Planetarum alterum per alterum comprehendere, uti in fixis stellis fecisti, vaga siquidem illis via est. Ita Avienus: *Nullus eas alio pacto deprendere certet. Tam vaga per totam cunctis via defluit æthram.* Deinde, ait, ortus occasusque non uno fiunt loco. Gr.—SCH. ——Omittit tres vv. 440-442, A. (Ibid.) *possis*] de g. conj. sb. *possim* E. *passim* Gg. (Ibid.) *alio*] EGgb. *ullo* s. prava conj.—OR.

441. *Quæ divis sedes*] E. Sæpe sic stellas divis annumerat poëta. Arat. v. 457, ἧχι κέονται. *Quæ divisa dies* corrupte Gg. *Quod diversa via est* de g. conj. b. *Cuncta invisa quies* s. conj. (Ibid.) *hinc atque hinc*] EGgs. *hic atque hic* b.—OR.

442. *Nec anfractus brevis illis*] nam ab Ecliptica alias ad septentriones, alias ad australes cœli partes discedunt magis. Vid. Cleomedes lib. I. pag.

104 seqq. Capella de nupt. philol. lib. VIII. p. 288, 293 et alibi.—SCH. ——*Neque*] EGgb. *nec* s. *amfractus* E.—OR.

443. *Annosas vias*] id est, vix multis annis ad idem punctum, unde abierunt, redeunt. (Vide Aratum.) Causas ejus rei tradit Aristoteles de cœlo cap. 10.—SCH.——*Annonasque* A. *præficit* A.—OR.

444. *Hoc opus arcanis*] Dicit Aratus, se non audere Planetarum naturam versibus exponere. Germanicus dubitat, utrumne hausta ex Chaldæorum et Ægyptiorum mysteriis (unde arcanas Musas vocat) disciplina, aliquando laboriosum ea de re opus sit conscripturus. Utitur itaque phrasi Belgis usitata, qua de re dubia ita loqui solemus, *tempus docebit*. Hoc ipsum syntagma de Planetis eorumque operationibus quod tunc, cum hæc scriberet, in manibus habuisse videtur, postea perfecit. Et aliqua adhuc fragmenta restant longe elegantissima, quæ inferius exponemus. Gr.—SCH.——*Si*] EGgsb. *an* A. quod quamvis multis blanditurum sit, tamen est ex glossemate.—OR.

445. *Tempus et ipse labor patiatur*] Lege et distingue, uti expressus est. Gr.—SCH.——*Patiantur*] A. (ut volebat g.) sb. *patiatur* EGg. *facta* A.—OR.

446. *Signorum partes*] Ait, quatuor circulos signorum ordinem et partes explicare. Male videlicet intellexit Aratea illa: Ἀπλανέων τά τε κύκλα τά τ' αἰθέρι σήματ' ἐνίσπειν. Ἦ τοι μὲν τά γε κεῖτ' ἐναλίγκια δινωτοῖσι Τέσσαρα. Quasi diceret, *Et fixorum orbes et sidera dicere cœli, Sidera, quis pariter respondent quattuor orbes*. Per τὰ αἰθέρι σήματα fixas stellas intellexit, ut et Cicero. Et τάγε ad ea ipsa sidera retulisse videtur. Longe aliter Festus, quem vide. Gr.—SCH.——*Figura est*] E. om. *est* BGgsb. *quorum est prædicta figura* A.—OR.

447. *Annum expleturis*] Hæc verba imitamentum sunt Virgiliani v. 46 libri V. Æneid. *Annuus exactis completur mensibus orbis*. *Quatuor orbes*] duo tropici æstivus et hiemalis, et æquinoctialis cum ecliptica.—SCH.—— *Expleturis* s. (Ibid.) *præcidunt*] s. *prædicunt* ABEGgb.—OR.

448. *Trium*] duorum tropicorum et æquinoctialis. *transversus*] Zodiacus. Vid. etiam Laertius VII. segm. 155. Plinius II. cap. 8.—SCH. ——*Inter nulla* A. *transversus* A. (Ibid.) *colligat*] A. Margo E. Ggsb. *colligit* BE.—OR.

449. *Nec par est illi s. d. n. f. I. s. æ. q. c. m. f.* E. *t. inter sep. a. m. h. s. dictant illos: c. s. C. q. s. t. p. &c.*] Versus hos ita puto legendos, uti jam exscripti formis sunt. Sensus est: non sunt hi circuli æquales. Duo videlicet majores: duo minores. Minores sunt παράλληλοι. Majores æquinoctialis et Zodiacus ad duo puncta intersecant se mutuo in æqualia hemicyclia, sive arcus. *Duo* versu secundo repetitum ob versum et sensum. Tertio versu *rursum* substitui pro *inter se*, quod perperam ex versu præcedenti videbatur repetitum. *Signa* vocat σημεῖα, Græco more, quæ vulgus mathematicorum *puncta* solet appellare. Ita Martianus Capella in Musica, p. 318. *Sonus quippe tanti apud nos loci est, quanti in geometricis signum, in Arithmeticis singulum*. Gr. De circulis hisce vid. Mart. Capella de nupt. philol. VIII. p. 275, 276, 277. Sed ad locum Capellæ citatum adde alium ex lib. VIII. pag. 278, et lib. VI. pag. 228 et 233.—SCH.——*Illis*] de g. conj. sb. *illi* BEGg. *Nec per* (sic) *stilli* A. a pr. m. *Nec per se stelli* (sic) A. a sec. m. (Ibid.) *duo namque*] BEGgsb. *quoniamque* A.—OR.

450. *Æquales: duo quorum est maxima*] de g. conj. sb. *æquales quorum est m.* EGg. *æquales quorum est et m.* A. *æquales quorum extat m.* B. —OR.

451. *Prædictis ante minores*] id est, tropicis et ecliptica et æquatore minores arcticus atque antarcticus. Hos præter Zodiacum omnes Servius ad Georgic. I. v. 233 parallelos vocat septentrionalem, æstivalem, æquinoctialem, brumalem, australem.—SCH.——*Totidem rursum*] de g. conj. sb. *totidem inter se* ABEGg.—OR.

452. *Hi semper, &c.*] Polares nunquam inter se nec alios attingunt: quum parallelos et æquatorem ecliptica conjungat.—SCH.——*Hiis* A. (Ibid.) *distant*] AB. (ut volebat g.) sb. *dictant* EGg. (Ibid.) *illos*] AEGgsb. *illis* B.—OR.

453. *Qua*] BEGgsb. *quæ* A.—OR.

454. *Qui*] A. *quis* Cett.—OR.

455. *Dissimilis cunctis*] Convenit tamen in aliquibus cum Horizonte. Quod visum est Manethoni Apotelesm. lib. II. v. 51, 52, 53, 54. Dissimilis autem dicitur, quod reliqui fere ἀπλατεῖς et mente intelliguntur tantummodo, hic cernitur et spatiosus est. Ita Proclus de sphær. c. 2. Macrob. Somn. Scip. lib. I. c. 15. Capell. de nupt. Philol. pag. 277.—SCH.——*Dissimilis quintus* (proprie: *quinctus*)] A. *Dissimilis cunctis* EGgsb. *Dissimiles cunctis* B. *videntur* B.—OR.

456. *Sinceros eminus ignes*] Ovid. Metam. I. v. 168, *Est via sublimis cœlo manifesta sereno, Lactea nomen habet, candore notabilis ipso. Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis.*—SCH.——*Sidere* B. *ignis* A.—OR.

457. *Mediis ut lucet*] Malim, *et lucet.* Gr.—SCH.——*Lactis ei color*] BEGgsb. *Lactis et calor* (sic) A. (Ibid.) *et mediis via lucet*] A. *est, mediis* (*medius* E.) *ut lucet* BEGg. *est, mediis et lucet* de g. conj. sb.—OR.

458. *Lacteus hic orbis*] Claudianus de V Honorii Consul. *circulum* appellat: *Cycnique sodalis Lacteus extentas aspergit circulus alas.* Item Plinius XVIII. c. 29. *Est præterea in cœlo qui vocatur lacteus circulus, etiam visu facilis. Ipse circulus fertur per Sagittarium atque Geminos, solis centro bis æquinoctialem circulum secans, commissuras eorum obtinente hinc Aquila, illinc Canicula.* Add. Eratosthen. Catast. cap. 44, et Proclus de sphær. c. 13. Sed Cicero apud Macrobium in Somn. Scip. lib. I. c. 4. itidem orbem lacteum appellat. Add. Ejusdem lib. I. c. 14 et 15 Somn. Scip. *Nullo minus*] puto legendum: *Lacteus hic orbis nullo minor orbe rotatur.* Sed quia in Arato non est hoc, puto versum esse supposititium, et ex illo quem infra habes, *Hos inter medius nullo minor orbis habetur,* quodammodo adumbratum. Itemque ex illo Ciceronis 493. *Lacteus hic nimio fulgens candore rotatur.* Gr.—SCH.——*Nullo minor*] A. firmans g. conj. sb. *nullo minus* BEGg. (Ibid.) *rotatur*] BEGgsb. *rotatu* A.—OR.

459. Omittit hos tres vv. 459-461. A.—OR.

461. *Ter geminos currit m. &c.*] Versus hic plurimi, imo fere omnes, in quibus sidera describuntur, quæ tropicum Cancri attingunt, corrupti, mutilati, transpositi, aliisque supposititiis interpolati, adeo ut cum Arato illis nihil conveniat: quare resectis iis quæ superflua visa sunt, additis paucis quæ necessaria; transpositis in suum locum quæ dissita; mutatis, quæ mala visa sunt, hanc tralationem ex conjectura concinnavimus, ita tamen ut nusquam nimium a lectione discederemus: *Per Geminorum humeros currit, vestigia tangit Aurigæ, plantamque tegit Perseida lævam, Transversæ Andromedæ secat et latera utraque tactu, Et totam absque humero dextram: tum candidus oræ Cygnus habet, pariterque feri pernicia crura. Hac Ophiuchi humeros vastos fulgere notabis. Effugit at Virgo: totus Leo, totus in ipso Cancer: ab aversis omnem secat ille Leonem Clunibus, hirsutique jubam per pectoris exit. Cancro qui fulgent oculi inter regula currit. Hunc*

octo, &c. Geminorum humeros scripsi ex illo versu, *Et Geminis humeros.* Illud *pariterque feri pernicia crura* ex eo versu : *dividit et Sagittiferi medium pernicia crura. Ferum* autem Equum intellige, ὁπλαὶ δ' ἵππειοι Arato. Versus ultimus clarus est, sed coactus. Ideoque dubito, annon a Germanico omissus, a Monacho sit suppletus. Cætera omnia aut inepte ob similitudinem repetita, aut ex alterius phænomenis perperam hic inserta. Et possem ferme locos ostendere Arati, ex quibus singula translata. Sed non est tanti. Tu si hæc cum Arato conferas, conjecturam probabis. GROT. Equidem ex genuinis potius refinxi veram lectionem, quam ex subdititiis inepti monachi versibus ; cum præsertim oculorum fides valere plus deberet, quam librarii inscitia.—SCH.——*Per Geminos currit medios*] BEGgsb. *Per Geminorum humeros currit* g. susp.—OR.

462. *Tegit*] Quia de progressu tropici sermo est, ratio dictitat verbum *legit* pro *transit* accommodatius esse.—SCH.——Totum h. l. corruptum v. 462-475. dedi, quantum fieri poterat, e Cd. A. qui præter ceteros veritatis vestigia servare videbatur. (Ibid.) *terit*] A. *tegit* BEGgb. *legit* s. conj. *persida* A. (Ibid.) *lævum*] AB. (ut volebat g.) sb. *læva* EGg.—OR.

463. *Latera utraque*] Non video, quomodo lectio Grotii contra hostem acriorem satis defendi possit. Inspice globos celestes : tum judica.—SCH.——Grotii (Buhlii) et Schwartzii rationes postmodo junctim dabo. Hic Cdd. dumtaxat lectiones enoto. *latera utraque persecat actus*] A. *secat utraque latera tactu* BEG.—OR.

464. *Totam ab, &c.*] *Tortam* esse dextram, oculi ipsi testantur. *Totam dextram secari,* negant oculi. Possis tamen etiam legere *tactam.* Vocabulum tortus supra etiam corruptum fuit. *Summa ungula, &c.*] Id est, extrema ungula promovet tropicum ab equi alati ventre in anteriorem equi partem. Seu, tropicus per partes equi posteriores in anteriores procedit. Verbum *didit* sæpe etiam alibi corruptum fuit, et restitutum a viris doctis. Virgilius id sæpe adhibuit. A Virgilio mutuatus est noster, ut reliqua pene omnia.—SCH.——*Et totam ab humero*] ABEG. Sed legendum cum s. *abs humero,* vel *ex humero--dextram*] BEG. *dextra* A. (Ibid.) *pulsu*] A. *cursu* BEGg.—OR.

465. Hunc versum non habet A. Ut nos, Cdd. EG. *Dividit atque sagittiferi pernicia crura* om. v. *medium* B.—OR.

466. *Hinc alius rapit*] Imo vero *albus orbis,* hoc est, lacteus equo finitimus. *Rapit,* id est, continuat, longius propagat.—SCH.——*Acris equi ferit orbis iter*] A. *Hinc alius rapit orbis iter* BEGg. (Ibid.) *tum*] BEG. *tunc* A.—OR.

467. *Cycnus*] E. *Cygnus* ABG. *justa* A. (Ibid.) *cubito*] AEG. *cubitos* B.—OR.

468. *Primis ignibus Anguis*] Id est, stellis quæ in summa capitis parte insunt ejus serpentis, quem serpentarius tenet.—SCH.——*Nixa genu*] EG. *Nixa genus* A. *Fixa genu* B.—OR.

469. *Effugit*] Id est, remotior est Virgo a tropico Cancri. *Totus Leo, &c.*] Falsum hoc putet aliquis. Et videri possit genuina lectio *tactus.* Verum quia Capella etiam lib. VIII. p. 278, *Cancri,* inquit, *omne corpus in longitudinem secat* solstitialis *ad Leonis pectus ac ventrem :* nihil mutavi, quum præsertim sequentes versus veteri lectioni faveant. Totum signum ab autore nostro in aliquo circulo esse dicitur, cum circulus signum tantummodo præterit e longinquo. Hinc igitur Grotii lectio, v. 460, defendenda foret. Vide, quæ ad v. 499 dicemus.—SCH.——*Effugit at*] BEG. *Et fulgit at* A.—OR.

470. *Aversis*] de g. conj. sb. *adversis* ABEGg.—OR.

471. *Hirsutique*] EG. *hyrsutisque* B. *irsutasque* A.—OR.

472. *Cancro qua fulgent*] s. conj. *Cancro qui fulgent* BEG. *Cancro fulgentes* A. (Ibid.) *ceu regula currat*] A. *ceu regula currit* BE. *cui regula currit* G. (*illac r. currit* s. conj. *inter r. currit* b.—OR.

473. *Divisi*] B. *dividit* AEGg.—OR.

474-475. Hos duos vv. ἀμέτρους habent BEG. sine varietate. Absunt a Cd. A. sine ullo defectus signo. Scilicet hoc in loco adeo elaborârunt Grammatici Seculi IV. et seqq., ut vera Germanici verba restitui omnino nunc non possint. Quæ tentata sunt et a Grotio et a Schwartzio hic referam, etsi minime mihi probata: Grotius: *Per Geminorum humeros currit, vestigia tangit Aurigæ plantamque tegit Perseida lævam, Transversæ Andromedæ secat et latera utraque tactu Et totam absque humero dextram: tum candidus ora Cycnus habet pariterque Feri pernicia crura. Hac Ophiuchi humeros vastos fulgere notabis. Effugit at Virgo: totus Leo, totus in ipso Cancer; ab aversis omnem secat ille Leonem Clunibus hirsutique jubam per pectoris exit. Cancro qui fulgent oculi inter regula currit. Hunc octo*, cet. Schwarzius: *Per geminos currit medios, vestigia tangit Aurigæ plantamque legit Perseida lævam. Transversæ Andromedæ secat utraque tempora tactu, Et tortam abs humero dextram: summa ungula cursum Didit ab aligeri medio in pernicia crura. Hinc alius rapit orbis iter. Tum candidus ora Cygnus habet: juxta cubito lucet super ipsum Nixa genu facies et primis ignibus Anguis. Effugit at Virgo: totus Leo, totus in ipso Cancer; ab aversis omnem secat iste Leonem Clunibus hirsutique jubam per pectoris exit. [Per medios; sic dividit latera utraque tangunt: Et Geminis humeros et Tauri ungula dextra Radit Ophiuchi humeros vastos fulgere notabis.*] v. 6. Schwartzius leg. censet: *Hinc albus.*—OR.

475. *Fulgere notabis*] Lege *Quinque super terras semper fulgere notabit, Abdi tres undis, levibusque latere sub umbris.* Gr. Antea legebatur, *notabis, Abdit.*—SCH.

477. *Notabit*] ABEsb. *notabis* Gg.—OR.

478. *Latere sub umbris*] scilicet hoc ita se habet in Græcia, non item alibi. Vid. Proclus de Sphær. cap. 4, ubi hunc Arati locum explicat.—SCH.——*Abdi tres undis levibusque*] BEG. (sed G.: *abdit*, quod g. in contextu retinuit, in annot. correxit.) gsb. *Adiutrix umbris* (sic) *brevibusque* A. *Brevibusque* haud prorsus displicet.—OR.

479. *Titan*] id est, sol. Nam inter Titanes fratres Hyperion est, qui sol putatur esse. Fuerunt autem Titanes Cœli et Terræ filii. Apollodorus Biblioth. I. c. 1, § 3, et alii mythologi.—SCH.——*Cancro* b. *timete* A.—OR.

480. Lege: *rabidam. solventis* ABEGg.—OR.

481. *Tunc habet æterni custos fastigia summa Erectoque polo brevibus non applicat unum Candentis cursus. Averso nititur orbe, Dum tangat metas, &c.*] Legendum, ut expressum nunc est, (nisi quod pro *unum* non Grotianum *unquam*, sed *ultra* posuimus, sensu postulante.) Egregia mehercule emendatio. Sensus est: Cum sol ad circulum Cancri pervenit, jam in summo est. Neque enim ad polum ipsum potest pertingere. Eo usque igitur scandit adverso quasi cœlo: deinde pronus iterum in austrum declinat. Avienus *neque celsum semita in axem Sideris erigitur: via rursum nota jugales Suscipit, inque notum rutili redit orbita solis.* Quibus similia in Arato deesse videntur, nisi hæc Avienus, quod crediderim, ex Germanico expresserit. Gr.—SCH.——*Æterni*] ABEGg. *ætherii* de g.

conj. haud necessaria (cfr. v. 523.) sb. (Ibid.) *cursus*] A. firmans g. conj. sb. *custos* BEGg.—OR.

482. *Brevius*] A. *brevibus* BEGg. *Phœbus* (de g. conj. parum apta post proxime præcedens *Titan*:) sb. Puto fuisse *propius*. (Ibid.) *unquam*] A. (firmans conj. g.) b. *unum* BEGg. *ultra* s. conj.—OR.

483. *Candentis* ABEGg. (Ibid.) *currus*] E. firmans emendat. g. sb. *cursus* ABG. (Ibid.) *adverso*] A. (firmans emendat. g) sb. *averso* BEGg. —OR.

484. *Tangant* g. *proneus* A. sed correctum.—OR.

485. *Hinc Boreæ proprior, contrarius e. a. Ægocero m. h. glacialibus austros Æstatisque tenet flagranti s. c.*] Lego, uti expressum nunc est. MS. præter alia, quæ ex textu deprehendes, etiam tertio versu *fraglanti* habebat, quod non novum. Imo hoc etiam mihi, puto, assentieris, versus illos duos posteriores locum inter se mutare debere, ut ille qui de Capricorno loquitur, sit posterior, nam sequitur statim: *Hoc medium sidus findit devexior orbis*. quod ad Capricornum necessario referendum docent illa Aratea v. 501, 502: Ἄλλος δ' ἀντιόωντι νότῳ μέσον αἰγοκερῆα Τέμνει, hoc est, *Alter in opposito Capricornum dividit austro*. Gr. Sed propter particulam *que* assentiri nos Grotio non possumus. *Hoc*, ut sæpe alibi, ita hic quoque remotius spectat.—SCH.——*Hic*] de g. conj. sb. *Hinc* ABEGg. *propior* E. a pr. m., ut volebat g. sb. *proprior* E. a sec. m. ABGg.—OR.

486. *Ægoceros*] A. (ut volebat g.) sb. *Ægocero* Gg. *Ego chero* (divise) E. *Ergo chero* B.—OR.

487. *Flagrantia sidera*] A. firmans g. emendationem s. *fraglanti* (sic) *sidera* B. *flagranti sidere* Eb. *fraglanti sidere* G. *flagranti sidera* g.—OR.

488. *Devexior orbis*] id est, tropicus Capricorni.—SCH.——Hunc v. præponendum versui 487. censebat Grotius. "Sed propter partic. *que* assentiri nos Grotio non possumus. *Hoc*, ut sæpe alibi, ita hic quoque remotius spectat." Schwartz. *divexior* B.—OR.

489. *Genua*] sinistrum intelligit genu. nam dextrum longius abest. *Illum* tropicum scilicet.—SCH.——*Illigat*] G ? gsb. *alligat* ABE.—OR.

490. *Pistris*] B. *pristis* EGgsb. *pristi* A.—OR.

491. *Contigit leporis, canem jam desecat imum. Desecat et sacra speciosæ plustria puppis*] Hosce versus ita puto legendos, *velocia crura Contingit Canis, et Leporem jam desecat imum. Desecat et sacræ speciosa aplustria puppis*. Gr.; Sed ne ordo signorum turbaretur, paulum recessimus a Grotio.—SCH.——*Contingit Leporis; Canis alvum desecat imam*] Sic A., nisi quod: *contigit* et *album*. *Contigit* (*configit* g.) *Leporis, Canem jam desecat imum* Gg. *Contegit* (sic) *et Leporis, Canem jam desecat imum* E. *Contigerit Leporis, Canem jam desecat imum* B. *Contingit Canis et Leporem jam desecat imum* de g. conj. b. *Contingit Leporis, Canis et jam desecat imum* s. conj.—OR.

492. *Sacræ speciosa aplustria*] AE. (ut emendavit g.) sb. *sacræ speciosæ plustria* BGg.—OR.

493. *Scorpium* b.—OR.

494. *Magnus micat orbis in illo*] Forte legendum, *magnus micat arcus in illo*. Aratus ἐν καὶ τόξον ἀγαυοῦ τοξευτῆρος. *magnum arcum* supra quoque dixit v. 304, *Belligeri Titan magnum cum contigit arcum*. Gr.—SCH.——*Micat arcus in illo*] A. (firmans conj. g.) sb. *micat in illo* om. voc. controverso E. *micat orbis in illo* BGg.—OR.

495. *Proprior* A.—OR.

496. *Hiemp* (sic) A.—OR.

497. *Hujus praes* (sic) A. *adsurgere* AEB. (hic a pr. m.) g. *cernis* A. (non BEG.)—OR.

498. *Longa in nocte*] A. *longa nocte* BEGgsb.—OR.

499. *Nullo minor*] Macrobius Somn. Scip. lib. I. c. 15, *Quinque alii circuli paralleli vocantur. Horum medius et maximus est æquinoctialis.*—SCH.——*Medios* A. (non BEG.) (Ibid.) *agetur*] BE. *orbis* (rasura) *agentur* (sic) A. *habetur* G ? gsb.—OR.

500. *Radiatos*] in MS. erat spatio vacante *r d atos*, unde ego *radiatos* feci. Cicero similiter quarto Academicorum *solem radiatum* dixit. Sed hoc vulgare. Gr.—SCH.——*In quocumque Ph.* E. solus. (Ibid.) *radiatos*] BEgsb. *r d atos* (sic) G. *radios* A. (Ibid.) *extulit*] BEGgsb. *intulit* A.—OR.

501. *Dividit æquali, &c.*] quia medio ambitu signiferi orbis incedit æquinoctialis, ut Plinius II. c. 70 loquitur. Noctem autem æquat diei sol, quum in Libra et Ariete est. Hinc Auson. eclog. de rat. lib. v. 31, *Libra dii somnique pares determinat horas.* Et Eclogar. pag. 197, *Curriculumque Aries æquat noctisque diique, &c.*—SCH.

502. *Librato sidere mundi*] forte *librato pondere mundi.* Avienus: *Cur spatium lucis madidæ cum tempore noctis Libra celerque Aries dimenso pondere Olympi Æquarent. Dimenso* (male *demerso* in vulgatis) Festo, quod Cæsari *librato* hoc est *æquato*, nam *mundum* nihil aliud esse quam cœlum, jam notum. Gr. *Mundo* haud dubie verum est.—SCH.——*Librato sidere, mundo*] s. conj. *librato sidere mundi* BEGgb. *libato sidera* (sic) *mundi* A. *librato pondere mundi* g. susp.—OR.

503. *Vere* A. *fecundus* B.—OR.

504. *Æquo tanguntur ab orbe*] id est, non attinguntur, et iccirco vim nullam ab eo patiuntur.—SCH.——*Taurus quæ quo* A. (Ibid.) *orbe*] ABGgsb. *ore* E.—OR.

505. *Sed princeps aries toto*] Hyginus: *Nunc protinus XI signorum figurationem dicemus, quorum est princeps Aries.* Anonymus: *Nigidius hunc Arietem dixit ducem et principem esse signorum Zodiaci circuli.* In catalectis: *Signorum princeps aries:* et Manilius lib. I. v. 262, *Aurato princeps Aries in vellere fulgens.* Gr. Adde his testimoniis illud Varronis de R. R. II. c. 1. Præterea hic necessitas nobis extorsit *totus.* an enim Aries totum circulum æquinoctialem occupat? nam hoc est, esse in *toto orbe.* Vide notas ad v. 498.—SCH.——*Totus fulgebit in illo*] A., sed a pr. manu: *totos. toto fulgebit in orbe* BEGgsb.—OR.

506. *Duo sidera cruris*] Habet enim Taurus inflexo crure duo sidera, alterum in genu, alterum in ungula. Vid. Hyginum. Gr.—SCH.——*Subiit* A.—OR.

507. *At medium*] Male MS. *ad*, cui similes errores plurimos in hisce ἀνεκδότοις correximus. Gr.—SCH.——*At*] gsb. *Ad* ABEG.—OR.

508. *Hydri et Crateram lævem*] Aratus vers. 519, Καμπὴ τ' αἰθομένης ὕδρης ἔνι οἱ καὶ ἐλαφρὸς Κρητήρ, ἐν δὲ κόραξ. Hinc igitur nostra correctio. Nam ipsi oculi docent, nec Craterem nec ultimam caudam secari per æquinoctialem. Et Autor noster rursus hic artem et ingenium ostendit, Aratum superaturus. *Corvique querentis*] Possis ex fabula conjicere *Corvique gerentis.* Dicitur enim in fabula craterem gerere: quod tamen in asterismis aliter est. Sed satius est *querentis* interpretari κρώζοντος. Corvus autem in cauda est Hydræ, quare bene subjungit *deficiunt nigra qua sidera cauda.* Sunt enim stellæ illæ obscurissimæ. Hyginus in asterismo Hydræ: *in quinta usque ad caudam octo, omnes obscuras.* Ubi pessime Scholiastes Anonymus *octo claras* posuit, quanquam

non sint extremæ obscuritatis, sed quartæ aut quintæ, ut vocant, magnitudinis. Sed intentius Germanici locum perpendenti legendum videtur: *Corvique querentis Ultima deficiunt nigra qua sidera cauda*. Corvus nullas habet in cauda stellas. Eas Germanicus ait deficere, visui nostro imputans, ut et alibi notavimus, quod re vera nihil est. GR. Si quid audendum esset, conjectare malim: *Sed cratera levis, corvique querentis ultima deficiunt*. Id est, non attinguntur tropico, oculis testibus.—SCH.——*Hydri et Crateram*] BEGgb. (sed b. *craterem*.) *Hydri et Cratera* A. *Hydres ad Cratera* contra metrum in v. *levem* s. conj. (Ibid.) *ferentis*] A. scilicet *Crateram*. *querentis* BEGgsb. *gerentis* g. susp.—OR.

509. *Ultimi* b. (Ibid.) *qua*] ABEGgs. *quæ* b.—OR.

510. *Quærens* A.—OR.

511. *Et celsi mediam partem, &c.*] Versus hic possit una voce, quæ temere repetita videtur, inducta juvari, hoc modo: *Et celsi partem anguis et a medio ophiuchum*. Sed quia Aratus et alii genua tantum exprimunt, de angue etiam non meminerunt. Itaque donec certius quid, quod futurum vix puto, afferatur, substitue: *Hic etiam celsi genua aspicies Ophiuchi*. Qui versus ab altera scriptura non omnino recedit: nam pro *mediam* habes *etiam*, pro *anguis et* habes *aspicies*. Vox *celsi* manet. Ophiuchi casus tantum mutatus. *A medio* quia ex repetitione vocis *mediam* natum videtur, inductum. Sed nolo hisce fidem aut tuam aut meam obligare. Sufficiat tantum hoc proposuisse.—GR.—SCH.——*Et celsi partem Anguis et a medio Ophiuchum*] Sic, deleto v. interpolato s. *Et celsi mediam partem Anguis et a medio Ophiuchum* ABEGg. *Hic etiam celsi genua adspicies Ophiuchi* de g. conj. b.—OR.

512. *Nec procul inde aquila, toto capite, &c.*] Versui medeberis ita repetitis literis: *Nec procul inde aquila: at toto capite incubat ardens*.—GR.—SCH.——*Aquilam; toto*] A. *Aquila toto* BEGg. *Aquila; at toto* de g. conj. sb.—OR.

513. *Longæ*] MS. habebat *longe*. Alibi dixit (v. 212): *Et capite et longa cervice insignior exit*. Recte igitur restituimus: *longæ spatio cervicis inhæret*. GROT. Confer cum his versibus Capellam de nupt. Plilolog. lib. VIII. pag. 279.—SCH.——*longæ*] Egsb. *longe* ABG.--OR.

514. *Quorum actus*] *tractus* legendum.—GR.—SCH.——*orbis* A. (Ibid.) *quorum tractus*] de g. conj. sb. *quorum actus* BEGg. *quorumq. apius* (sic) A. (Ibid.) *Docemus*] BEGgsb. *notamus* A.—OR.

515. *Rectus*] Legit Germanicus non male in Arato, v. 525, ὀρθὸς περιβάλλεται ἄξων, ubi nos ὀρθοὺς habemus, quam lectionem sequitur Avienus: *Hos omnes recto contentos tramite cœli Distantesque pari spatio sibi, transigit actus*. GROT. *Sine fine notantur*] Lege *rotantur*.—GR.—SCH.——*Rectus*] BEGgsb. *Relictus* A. *Rectos* Voss. ad Arati, v. 525. Τοὺς μὲν παρβολάδην ὀρθοὺς περιβάλλεται ἄξων. (Ibid.) *decurrens traicit*] BEGgsb. *percurrens traxit*] A.—OR.

516. *Rotantur*] de g. conj. sb. *notantur* BEGg. Omittit hunc v. A.—OR.

518. *Quartus in obliquam tres unus colligit orbis, Partibus extremos diversos implicat unus, Inter utrumque secat medium defectus in illum*] Legendum puto, *Quartus in obliquum tres unus colligat orbes, Partibus extremis diversos implicat: unum Inter utrumque secat medium devectus in illum*. Sensus est, Zodiacus tres alios contingit: extremos tantum tangens: medium per medium secans. Argute Cicero: *Partibus extremis extremos continet orbes, Et simul e medio media de parte secatur*. Ipse Germanicus supra, v. 445: *Intervalla trium diversus colligit unus*. *Implicat* hic dixit, ut et alibi v. 483: *Fundentis latices genua implicat*.

Versum ultimum possis etiam hoc pacto legere: *Unum Inter utrumque secat medium, defectus ab illo.* Ut mutua intersectio Zodiaci et Æquatoris indicetur. Grot. *Quartus in obliquum, &c.*] Ovid. Metamorph. II. 129: *Nec tibi directos placeat via quinque per arcus. Sectus in obliquum est lato curvamine limes. Zonarumque trium contentus fine, polumque Effugito australem, junctamque aquilonibus arcton.*—SCH.——*in obliquum tres*] de g. conj. sb. *in obliquam tres* BEGg. *ioblicumtris* (sic) A. (Ibid.) *colligat*] de g. conj. sb. *colligit* ABEGg. *orbis* ABEG.—OR.

519. *Extremis*] A. (firmans emendat. g.) sb. *extremos* BEGg. (Ibid.) *unum*] A. (firmans emendat g.) sb. *unus* BEGg.—OR.

520. *Desectus*] BE. ut volebat etiam g. *defectus* AGg. *devectus* de altera g. conj. b. *dissectus* s. (Ibid.) *ab illo*] A. *in illum* BEGgsb. En altera Grotii conj. *desectus ab illo* firmata partim a BE. partim ab A.—OR.

521. *Nam si* b. solus.—OR.

522. *Distantis orbis medius* A.—OR.

523. *Tribus*] Tropicis et Æquatori. *Idem ortus, &c.*] Id est, locis suis non dimoventur, vel, eundem semper locum obtinent.—SCH.——*nascuntur*] A. *nascentur* BEGgb. *nascetur* s.; sed tum *ortus* peccat in metrum.—OR.

524. *Remanent*] BGgsb. *remanet* AE. (sed in E superscr. *n.*)—OR.

527. *Distat*] BEGgsb. *distant* A. (Ibid.) *quam latus ad auras*] BEGgsb. *quamtautus* (sic) *ad aures* A.—OR.

530. *Æqualis aries succumbit regula binis Inferior signis spatiis, tantumque tenebit Una sui lateris, quantum a tellure recedit*] Legendum, uti jam expressum est, De hoc loco, sive ejus sententia, ad Aratum diximus. *Latus* est *linea recta.* Ita alibi, v. 187: *Quantum latus a pede dextro Cepheos extremam tangit Cynosurida caudam: Tantundem ab lævo disterminat.* Ita enim illum locum emendavimus. Grot. Vide Scaligeri notas ad Manilii lib. I. v. 545, seqq. pag. m. 56, 57, 58.—SCH.——*partes*] de g. conj. sb. *aries* ABEGg. (Ibid.) *succumbet*] de g. conj. s. *succumbit* BEGgb. *occumbit* A.—OR.

531. *Signis, spatii tantumque*] de g. conj. sb. *signis spatiis tantumque* BEGg. *signis patitantumque* (sic) A.—OR.

532. *Sui*] de g. conj. sb. *tui* A. *suis* BEGg.—OR.

533. *Nec tamen*] Versus mihi videtur ἀπροσδιόνυσος, aut necesse est, Germanicum admodum male intellexisse illum Arati versum (542): ὅσσον δ' ὀφθαλμοῖο βολῆς ἀποτείνεται αὐγή. Hoc est: *Quantaque ab humano se tendit linea visu.* Grot. Hæc versio ut mihi quidem videtur, interpreti vitio vertenda non est omnino. Et fortasse scripsit Autor: *Et quantum humanos visus fugit ultimus orbis.* Etenim *fugit* est *discedit* ab oculis hominis extremus cœli ambitus. Quia locus obscurior est, addam Scaligeri annotationem ad Manilii lib. I. v. 545, seqq. quæ rem explanat mirifice: "Mundus est pila: terra centrum, ac nos quidem qui in ea sumus, centri vicem obtinemus. Necesse igitur, rectas lineas ab oculo nostro in cœlum jactas, æquales esse omnes. Quanta erit linea in cœlum ab oculo ducta, tantas debemus sex lineas per totum circuli ambitum imaginari. Quæ si æquidistantes assumantur, illo spatio duo complectentur Zodiaci dodecatemoria. Sic conficient ἑξάγωνον σχῆμα. Nam in circulo linea a centro ad circumferentiam ducta æqualis est ei, quæ intus in circulo ad circumferentiam descripta latus hexagoni efficit."—SCH. ——*Nec tamen inhumanos* A. *fulgit* A.—OR.

534. *Bis senis lucida signis*] Sic alibi: *Una via est solis bissenis lucida signis.* Quod fragmentum Germanici, quia elegantissimum est, et ad

Zodiacum, de quo hic agitur, pertinet, et nunquam antehac editum est, non verebor recitare, prout a nobis est emendatum. Grot. Nos fragmentum illud inter fragmenta reliqua exhibemus. Istic igitur quæras.—SCH.——*bisseni* A. In Cd. A. hi sex versus 529-534, literis minoribus scripti sunt a sec. manu, sed tamen perantiqua. Jam vero et per se minus clare expressæ sunt sententiæ, respondentes Arati, v. 541, seqq. Bekk. atque Avieni, 1037, seqq. et sermo ipse habet colorem scholasticum in vv. præsertim: *In sex æquales partes succumbet regula;* et, quod majus etiam est, v. 529, effictus est e Germanici nostri v. 476. *Hunc octo in partes si quis diviserit orbem;* versus autem 534, idem prorsus est cum illo, a quo incipit *Fragm. Prognostic.* III. Schwartzii et meum, quod servatum est in fine Cdd. BEG.; nisi quod ibi quum separatum jam dudum esset a poëmatis corpore, interpolator prima verba *Hæc via Solis erit* mutavit in vv. *Una via est Solis.* Desunt eidem fragmento duo tresve versus de anno et Jovis et Saturni. Quæ quum mecum reputo, adducor, ut credam totum locum ita esse constituendum: *Ætherias surgit, tam sacris mergitur undis* (528)*: Hæc via Solis erit bis senis lucida signis* (534). Tum Prognostic. Fragm. III. v. 2-16: *Mercurius: binos Gradivus perficit orbes.* * * * * *Nobilis hic Aries aurato vellere quondam* cet. (535)—OR.

535. *Nobilis hic aries*] Locus est elegantissimus, in quo XII. siderum fabulæ breviter attinguntur, quem nos, more nostro, integrum proponemus. (uti jam expressus est) Versus sunt elegantissimi ad quos explicandos nos accingamus. Grot. *Aurato vellere*] De hoc vellere alii aliud, ut fit, sentiunt. Sed ut quid veri subsit fabulæ, intelligatur, scire licet, hoc vellus aureum in Colchos prius illatum, deinde a Jasone et sociis repetitum esse. Ergo haudquaquam Vossius in observationibus ad Catullum, pag. 190, persuaserit mihi, vellus illud aureum pretiosissimas pelles Zibellinas, (ut vulgo loquimur) fuisse. Propior ad fidem est explicatio Palæphati de incred. hist. c. 31, quanquam nec is scrupulum omnem eximat. —SCH.——Omittit tres vv. 535-537. Cd. A.—OR.

536. *Tauros*] Tauri tenuerunt Chersonesum, quæ ab iis Taurica vocata est. Vid. Strabo Geogr. lib. VII. p. m. 474 et 478. Hoc loco autem potestas hujus nominis tam late patet, ut etiam Colchos complectatur. Nam in Colchos ab Ariete Phrixus, Nepheles filius, quem noverca diis mactari voluerat, perlatus est. Vid. præter eos, quos citavi, autores Strabonem, lib. I. pag. 77 et pag. 762. *Prodidit Hellen*] In catalectis: *Proditor est Helles et portitor Europæus.* Grot. Sed meliores editiones habent *Portitor.* Prodidisse autem dicitur, quia illam in fretum dejecit, quod ab illa Hellespontus nominari cœpit. Vid. Apollodor. Bibl. libr. I. c. 9, § 1, add. supra notam ad v. 223.—SCH.——*Phryxum* gb. *frixum* E. *hellem* B.—OR.

537. *Quem propter fabricata ratis*] Id est, cujus Phrixi aureum vellus ut repeteret Jason, Argo fuit constructa. Vide supra notas ad v. 342 et 348. *Perfida Colchis*] Id est, Medea, quæ crebra famam suam inquinavit perfidia. Hoc loco autem illa maxime notatur perfidia, qua, contra parentis sui Æëtæ voluntatem, Jasoni consilia suggessit de Dracone aurei velleris custode vafre necando, et aliis impedimentis tollendis. Vid. Flaccum Argonaut. VII. 458, seqq. Idem Flaccus eodem libro, v. 153, eandem Medeam itidem *Colchida* vocat: *Hic ubi nequicquam nutantem Colchida curis Juno videt, nec dum extremo parere furori, &c.* Ita sæpe alibi quoque.—SCH.

538. *Sopito vigile*] Dracone, quem Flaccus Argonaut. VII. v. 536,

pervigil monstrum vocat. Qua sit arte consopitus a Medea Draco, docet Flaccus Argonaut. VIII. 68, seqq. *Incesto donavit amori*] Id est, aurei velleris pessimis artibus abripiendi facultatem dedit Jasoni Medea, nimio Jasonis et impio amore incensa.—SCH.——*vigile*] de g. emend. sb. *vigili* BEGg. *vigiles* A. *donabit* BGg. (Ibid.) *amori*] de g. emend. sb. *amore* ABEGg.—OR.

540. *Europe*] Filia Agenoris ex Telephassa, Cadmi soror, mater ex Jove Minois, Sarpedonis et Rhadamanthi. Apollodor. Bibl. lib. III. c. 1. § 1, Conon Narratione XXXII. p. 271, Phœnicis filiam fuisse dicit, Adde Ejusdem narrat. XXXVII. p. 279. *Thalamis, et virginitate*] Thalamus hic nihil aliud, quam patrios penates significat. Ita apud Homerum θάλαμον γνωτούς τε λιποῦσα *thalamos fratresque relinquens.*—GR.—SCH.——*Europæ* ABGg. (non E.) *relictæ* Gg. (non ABE.) Emendavit jam g.—OR.

542. *Partus enixa*] Ita loquitur Jupiter Taurus ad Europam apud Moschum: Ἐξ ἐμέθεν δὲ κλυτοὺς μάλα φύσσεαι υἷας. Hoc est: *Egregia facies me prole parentem.*—GR.—SCH.——*Litora Cretæo*] de g. conj. sb. *Litore cretæo* BEGg. *Litore acretæ* A.—OR.

543. *Quos nulla dies*] BEGgsb. *quos eulla diei* (sic) A.—OR.

544. *Nautis lætissima signa*] Id est, salutaria. Vid. Statii Thebaid. VII. 793.—SCH.——*nutis* E. sed superscr. *a. natis* A.—OR.

545. *Ledæos—juvenes*] Id est, Pollucem ex Jove, Castorem ex Tyndareo a Leda partos. Apollod. III. c. 10, § 7.—SCH.——*Ledæo statuit juvenis* A.—OR.

546. *Hydram*] Hanc Lernam incoluisse, novem capitibus instructam, fabula est. Apollodor. II. c. 5, § 2, qui idem autor est, capita Hydræ clava Herculis dejecta nequicquam esse. Ea de causa *fecundam* appellat Autor noster, quod in locum singulorum capitum contusorum succrescerent bina. Vide præter Apollodorum, Eratosth. Cat. 38, Heraclitum de incredib. c. 10, 18.—SCH.——*fecunda* B. (et Margo E.) Gg. Emendavit in Annot. g. (Ibid.) *cominus*] Bgb. *comminus* AEs.—OR.

547. *Alcides*] Primum Herculis nomen, ab Alcæo avo inditum. Fulgent. Mythol. lib. II. Apollod. Biblioth. II. c. 4, § 12.—SCH.——*Alchides* BE. *ausus morsus* A. (Recte BEG.) (Ibid.) *contingere bello Sidere*] Hæc corrupta: neque enim *bello* pro *pugna*, *certamine* recte h. l. dicetur, ut pro *prœlio* sæpe est apud Dictyem; nec jungere possumus *bello* (i. e. pulchro) *sidere.* Equidem lego, *morsu contingere chelæ.* Amicus volebat: *morsu contingere talum.*—OR.

548. *Cancrum*] *Cancer* legendum est: ut ante nos docuit Scaliger omnium ore prædicari meritissimus. Est enim ἀποστροφή. Fabulam, quæ hic tangitur, præter Hyginum et Anonymum egregiis versibus explicat Avienus: *Hic etenim Lernæi gurgitis Hydram Ureret Alcides cum flammiger, ausus in ipsum Repere victorem.* GROT. Adde Avieno Eratosth. cat. 11, Apollod. Bibl. II. c. 5, § 2. Palæphatum, c. 39.—SCH.——*Cancer*] Scaliger (prob. g.) sb. *Cancrum* ABEGg.—OR.

549. *Nunquam secura novercæ*] Avienus: *Astraque Cancro Juno, novercales ut semper proderet iras, Præstitit.* GR.—SCH.——*securæ* A.—OR.

550. *Nemeæus—leo*] Dictus a Nemea, circa quem locum versabatur. Vide Apollod. II. c. 5, § 1. Hyginum, fab. 30. Ausonium Idyll. 19, p. 188. *Pia Virgo*] In catalectis similiter: *Atque Leo primus labor Herculis, et pia Virgo.*—SCH.—— *Hinc*] BEGgsb. *Hic* A. (Ibid.) *tum*] A. *tunc* BEGgsb.—OR.

551. *Scorpius*] Locum hunc supra emendavimus. Sensus est: Scor-

pium duplum tantum spatium possidere quam cætera, utpote cum Chelas in se complectatur, unde *μέγα θηρίον* Arato. Grot. Vide annotata ad v. 88.—SCH.——*Scorpios*] AEb. *Scorpius* a. *Scorpion* B. (Ibid.) *duplo*] de g. conj. sb. *duplex* ABEGg.—OR.

552. *Flumine* A.—OR.

553. *Quæ mihi*] Per parenthesin hæc legi debent et *θαυμαστικῶς*. Pro *sidus*, quod versus ipse respuit, *scelus* legendum. Occasione Scorpii in Orionis facinus cum indignatione invehitur.—Gr.—SCH.——*Quem mihi Diva canet dicto prius Orione*] A. *Quæ mihi dicta canat magnum sidus Orionis* E. *Quæ mihi dicta canant magnum sidus Orionis* BGg. *Quæ mihi dicta canant magnum scelus Orionis* de g. conj. sb.—OR.

555. *Supplice plausu*] Anonymus de hoc ipso Sagittario: *qui inter Musas sæpius commoratus, plausu cantus earum distinguebat.* Et huc alludit *Croti* sive Crotonis nomen, quod illi tributum. *Phœbea arma* versu sequenti esse videntur arcus et sagitta.—Gr.—SCH.——*supplice et plausu* g. *plaustas* (sic) A.—OR.

556. *Phobeis* A.—OR.

557. *Poplitis inventor*] Legendum posui *Cochlidis*. Theon cujus verba ita legenda et transponenda. *ὁ δὲ αἰγοκέρως ὅμοιός ἐστι τῷ αἰγί. κατηστερίσθη δὲ εἰς τιμὴν τοῦ Πανός. Εἰς γὰρ τοῦτον μετεβλήθη διωκόμενος μετὰ τῶν ἄλλων θεῶν. Εὗρε δὲ οὗτος τὴν κόχλακα ἐν τῇ θαλάσσῃ, διὸ παράσημον ἐν ὀυρανῷ ἰχθύος ἔχει ἢ ὅτι σύντροφός ἐστι τοῦ Διός.* Hunc ex parte interpretatur Hyginus libr. II. Poët. Astron. *Hac etiam de causa ejus posteriorem partem piscis esse formationem, quod muricibus, id est, maritimis conchyliis hostes sit jaculatus, pro lapidum jactatione.* Anonymus ex Hygino: *quod dicolon invenisset in mari, ideo piscis cauda notatum.* Ubi similiter transpositis literis *cochlidem* legendum. *Κόχλακες, κόχλαδες, κοχλίδες* seu *κόχλοι* sunt *λίθακες οἱ ἐν τοῖς ὕδασιν* Lapilli aquatici. Gr. *Cujus Titania flatu Bellantem comitata Jovem*] Legimus supra, *cum vis Titania flatu Bellantem est mirata Jovem.* Tunc ait, cum Titanes Jovi arma inferentes mirati sunt illum bellantem et ipsos fugantem solo Ægipanos flatu. Scholiastes Græcus, *τῷ δὲ ἤχῳ αὐτοῦ πανικῷ καλουμένῳ τοὺς Τιτᾶνας ἐτρέψατο.* Hoc est, *Sonitu suo, qui panicus dicitur, Titanas in fugam convertit.* Gr.—SCH.——*Cochlidis*] de g. conj. sb. *Coclitus* A. a. pr. manu. A secunda *i* erasum, ut sit: *Cocltas. Poplitis* BEGg. (Ibid.) *cujus Titania*] ABEGg. *quum vis T.* de g. conj. sb.—OR.

558. Hunc v. servavit solus A. Abest a BEGgsb. Hinc conjecturæ Grotii, quarum falsitas nunc demum perspici potuit.—OR.

559. *Bellantem comitata*] ABEGg. *bellantem est mirata* de g. conj. sb. *honore* s. contra Cdd.—OR.

560. *Ut fuerat geminus forma*] Respicit eo, quod Capricornus sit *τῶν διμόρφων ἄστρων.* Sic ipse alibi: *Aut ubi consurgit Capricornus et ipse biformis.* Manilius lib. II. v. 170, *Atque ex diverso commissis corpore membris, Ut Capricornus, et hic qui tentum dirigit arcum Junctus equo.* Anonymus de signis Zodiaci loquens: *Item quartum quoque eorum aut tropicum aut solidum aut deforme.* Lege *I. q. quodque eorum a. t. a. s. aut biforme.* Et paulo post *deformia* lege *biformia*, ut notum est illis, qui aliquid illarum nugarum gustârunt. Gr. Capricorni forma, seu ægipanis, est illa hirci et piscis. Hyginus Poët. Astron. lib. II. et fab. 196.—SCH. ——*Sidere*] ABEGg. *sidera* de g. conj. sb. *cæpit* B. Construe: "pietatis honorem cepit, sic sidere geminus, ut fuerat forma geminus."—OR.

562. *Patriamque parentem*] *Paventem* jamdudum legendum monuit

illustris Scaliger. Divine. Motu enim Catilinario natus Augustus, horoscopante, ut putabatur, Capricorno. Gr.—SCH.——*Paventem*] A. firmans Scaligeri conj. probatam Grotio sb. *parentem* BEGg.—OR.

564. *Infestas*] A. (ut volebat g.) sb. *infectas* BEGg. (Ibid.) *olim quas*] BEGgsb. *solinqua* (sic) A.--OR.

565. *Deucalion*] in Catalectis: *Deucalionis aquæ et Pisces postrema figura*. Vide Hyginum et Anonymum. Lectionem nostram certam satis, quæ talis *Deucalion parvam defundens indicat urnam*, magis adhuc firmat istud Manilianum lib. I. v. 271, *Post hunc inflexam defundit Aquarius urnam*. Gr.—SCH.——*Decalion* A. (Ibid.) *parvam*] E. (firmans emendat. g.) sb. *parum* ABGg. (Ibid.) *defundens*] A. (firmans emendat. g.) sb. *defendens* BG. Margo E. g. *detendens* E. (Ibid.) *urnam*] A. (firmans emendat. g.) sb. *ulnam* BEGg.—OR.

566. *Syriæ duo nomina*] *Numina* emendavimus. Potes interpretari vel *γενικῶς*, quia omnes pisces colunt Syri. Clemens Alex. *οὔτε γε τῶν τὴν Φοινίκην Σύρων κατοικόυντων, ὧν ὁι μὲν τὰς περιϛερὰς, ὁι δὲ τοὺς ἰχθῦς οὕτω σέβυσι περιττῶς ὡς Ἠλεῖος τὸν Δία.* qua de re alias; aut de hisce piscibus tantum, quorum alter Venus Syria, alter Cupido, ut vult Hyginus. Gr. Recte: Venus Syria. Et Venus quidem illa vulgo vel *Derceto*, vel *Atargitis*, vel *Athara*, vel *Astarte* vocatur. Quæ nomina universa eandem Deam designant. Vid. Strabo libro XVI. extremo. Cui quidem loco addenda doctissimi Almeloveenii nota. Eadem autem nomina illa ejusdem sunt originis, et quidem Syriacæ. Syri enim appellâsse illam videntur תרעית, et finitimi Hebræi התרעית quibus nominibus terminationes femininas affinxerunt Græci. Signat autem הרעית *emergentem*. Ita nomen ex eventu et fatis Deæ videtur natum fuisse. Sed hæc nos alibi copiosius.—SCH.——*Numina*] A. (ut emend. g.) sb. *nomina* BEGg.—OR.

567. *Tempora; tunc*] A. *Temperat hunc* BEGg. *Tempora; at hinc* de g. conj. sb.—OR.

568. *Lanigeri et Tauri*] Quatuor hi versus spurii sunt: neque enim, cum jam recensuerit omnia sidera, eadem potuit repetere, neque ipsa verba cohærent. Quartus versus ne sensum quidem habet. Alii versus iterum desunt, quod ex Arateis facile liquet. Desunt enim omnia, quibus translati fuerunt versus illi Aratei post siderum Zodiaci enumerationem, ad illum usque *οὔ κεν ἀπόβλητον*. Gr.—SCH.——Minime supposititii cum Grotio habendi sunt vv. seqq., quum respondeant Arateis 545, seqq. et Avieni 1046. seqq. Excidisse tamen videtur vel unus vel duo, ubi mentio facta fuerit Chelarum et Aquarii. Ut nos, BEGgsb. *Lanigeri et Aurige minorum post ea* A.—OR.

569. *Tunc Scorpios*] A. *tum Sc.* BEGgsb. (*Scorpios*] ABE. *Scorpius* gsb.) (Ibid.) *Arcitenensque*] AEs. *Arquitenensque* BGgb.—OR.

570. *Gelidus* BEGgsb. *geminus* A. *et imbri feret duo pi* (sic) A.—OR.

571. Hos quattuor vv. 571-474. solus servavit A. Absunt a BEGgsb.—OR.

573. *Asta* A.—OR.

574. *In au* (sic) A.—OR.

575. *Orbis perfecti divisus tollitur arcus*] A. *Ævi perfecti divisus tollitur orbis* BEGgsb. ex interpol. facta propter defectum verss. præcedd.—OR.

576. *Noctis* BEGgsb. *noctibus* A.—OR.

577. *Venturæ*] Agsb. *ventura* BE. (De G. non satis constat.)—OR.

578. *Quod* A. (Ibid.) *currat*] EGgsb. *curret* A., sed superscr. *a.* *currit* B.—OR.

579. *Signo Phœbus* A. *Phœbus signo* BEGgsb. (Ibid.) *radiabit*] Sic scripsi. *radiavit* A. *radiantis* BEGg. *radiatur* de g. conj. sb.—OR.

580. *Cætera tum proris ardentia suscipe flammis ... Quid cædat, ut surgat s. v. f. a. o. Q. v. e. s. cum cærula lingunt. Namque alius pernix, alius majore trahetur Mole alio: oceanum tardo liquentia passu*] Forte legendum, *Cætera tum pronis ardentia suspice flammis, Quid cadat, aut surgat summove feratur ab orbe. Pronas flammas* habet, quia ad nos versæ. *Summo ab orbe ferri* vocatur *μεσουρανεῖν*. Cætera quæ sequuntur ex Arato non sunt, et ita legenda: *Quantove exiliunt spatio cum cærula linquunt; Namque aliud pernix, aliud majore trahetur Mole alio: oceanum tardo linquentia passu.* Hoc dicit: debere eum qui noctium dierumque mensuram scire velit, (quod nautis in summo est usu, unde supra v. 290, Ὄυτ' ἄν τοι νυκτὸς πεφοβημένῳ ἐγγύθεν ἠὼς Ἔλθοι, ἢ μάλα πολλὰ βοωμένῳ. Et infra, v. 731, Ἠ νυκτὸς μέτρον γ' ἠὲ πλέον ἀγγείλειε.) præcipue observare, quæ tarde oriantur, quæ celeriter. Nam teste Capella, pro diversitate illa signorum, dierum noctiumque fit inæqualitas. Subjunxit itaque regulam de tarde orientibus, ea videlicet causam dare dierum longiorum. Sed sensus imperfectus est ob versus unius pluriumve defectum. Neque immerito dubito, an hæc ad Phænomena, an potius ad alterum opusculum, in quo forte de ortuum et occasuum temporibus egerit, pertineant. Gr. Nostram correctionem firmat latinitas, et cohærentia verborum Autoris; firmat res ipsa.—SCH.——*Propriis*] A. *proris* BEGg. *pronis* de g. conj. sb. (Ibid.) *suspice*] BE. (ut emend. g.) sb. *suscipe* AGg. (In A. a sec. m. verbum hoc superscr.)—OR.

581. *Quod*] Sic scripsi. *Quid* ABEGgb. (Ibid.) *aut surgat*] AE. (ut emend. g.) sb. *ut surgat* BEG. *Quique cadant surgant..ferantur* s. conj. *submove* A. (Ibid.) *in orbe*] A. *ab orbe* BEGgsb.—OR.

582. *Quantoque*] A. firmans emendat. s. *Quantove*] BEGgb. (Ibid.) *exiliant spatio*] BEGgs. *exiliunt spatio* b. *exilli atspatio* A. (Ibid.) *linquunt*] de g. emend. sb. *lincunt* A. *lingunt* BEGg.—OR.

583. *Aliis pernix saltus, majore*] Sic scripsi, una litera addita lectioni A.: *aliis pernix saltu majore. aliis pernix alius majore* B. *alius* (E. in marg. "Al. *aliis*.") *pernix alius majore* EGg. *aliud pernix; aliud majore* de g. conj. sb. (Ibid.) *trahuntur* A. *trahetur* BEGgsb.—OR.

584. *Tardo linquentia passu*] Plinius II. c. 19. *Sed quæ recta in exortu suo consurgunt signa, longiore tractu tenent lucem* (solis); *quæ vero obliqua, ocyore transeunt spatio.* Add. Harduin. et Capellam de nupt. Philol. lib. VIII. p. 284, 285.—SCH.——*Mole alia*] A. *Mole alio* BEGgsb. (Ibid.) *linquentia*] A. ut volebat g. sb. *liquentia* BEGg.—OR.

585. *Quod sine fine cava-Quillene-Gargaro nauti dens superisve agitatus Olympus*] Corruptissima sunt hæc, sed ita emendanda, uti jam factum est. Poetice *παραφράζει* ista Aratea v. 563-565. *ἀτὰρ εἰ νεφέεσσι μέλαιναι Γίνοντ' ἢ ὄρεος κεκρυμμέναι ἀντέλλοιεν, Σήματ' ἐπερχομένοισιν ἀρηρότα ποιήσασθαι.* Et quæ sequuntur. *Tithonium ortum* dixit ab auroræ marito. Emendandus Avienus, qui alibi dixit, *Nam Tithoneo cum sunt elata profundo.* Ubi male *namque Titaneo* legitur. Gr. Et vestigia literarum et Arati verba suaserunt, ut *nigra* pro *cava* ponerem: etsi memini, cavas nubes sæpe memorari. Vid. Plinius II. c. 59 et ibi Harduin.—SCH.——*Quod si nube cava*] de g. conj. b. *Quod sine nube cava* A. *Quod sine fine cava* BEGg. *Quod si nube nigra* s. conj. Post hunc vv. 585. omnia Phænomenon sine ullo defectus signo absunt a Cd.

A.; unde deinceps ad tres dumtaxat Cdd. BEG. ejusdem familiæ redacti sumus.—OR.

587. *Altus Athos, &c.*] Athos est mons Chalcidices, quæ est regio Macedoniæ. Vide Cellarii Notit. Orb. Antiq. lib. II. c. 13, pag. 1052. Ei multa oppida vicina erant. *Cyllene*] mons altissimus Arcadiæ. Idem Cellarius eodem libro et capite, p. 1222. *Candidus Hæmus*] id est nive ferme perpetuo tectus. Est mons Thraciam terminans. Cellarius libr. cit. c. 15, p. 1295 seqq.—SCH.—— *Cyllene*] de g. emend. sb. *chillene* E. *quillene* BGg.—OR.

588. *Gargaros*] Cacumen montis Idæ in Mysia. Ei adjacet et oppidum Gargara. Cellarius lib. III. c. 3, pag. 44, 45. *Olympus*] mons Thessaliæ. Cellarius II. c. 13, pag. 1680.—SCH.——*Gargaron aut Ide*] Sic emendari jussit g. *Gargaron aut Iden* BE. *Gargaros aut Ide* s. *Gargaron aut Ida* b. *Gargaro nauti dens* Gg. (Ibid.) *agitatus*] Malim equidem *habitatus.*—OR.

589. *Tum* g.—OR.

591. *Tithonius ortus*] id est, tempus diluculi. Est enim Tithonus Auroræ maritus, quem illa in Æthiopiam abduxit. Apollod. Bibl. III. c. 11, § 4.—SCH.——*Veniens*] de g. conj. sb. *ventus* BEGg.—OR.

592. *Cum primo cancrum*] Sequitur pars tertia ex divisione nostra, cui astipulatur Leontius, cujus verba brevius referam: Ἀλλὰ μὲν ὄντε ἐκεῖνο λαθεῖν χρὴ ὅτι τὸν περὶ τῶν ἀστέρων λόγον εἰς τρία μέρη διαιρεῖ ὁ Ἄρατος· καὶ ἐν μὲν τῶ πρώτῳ δίδάσκει περὶ τῆς πρὸς ἄλληλα ἀυτῶν θέσεως. ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ περὶ τῆς νοθμένης ἀυτῶν ὑπὸ τῶν κύκλων τομῆς, ἢ ὁποιασοῦν ἀυτῶν πρὸς τοὺς κύκλους σχέσεως· Ἐν δὲ τῷ λοιπῷ, περὶ τῆς γενομένης ἀυτῶν πρὸς τὰ ἀνατέλλοντα μέρη τοῦ Ζωδιακοῦ στάσεως. Gr. *Thetis dimittit in auras*] id est, cum Cancer oritur. *Thetis* dea marina, filia Nerei, Pelei uxor, mater Achillis. Apollod. III. c. 12, § 5, 6. Homerus Iliad. A. Hoc loco pro mari ponitur, ex quo poëtæ stellas emergere fingunt.—SCH.——*Primum*] de g. conj. sb. *primo* BEGg. (Ibid.) *Thetys*] b. *tethis* BE. *Thetis* s. *dimittit* s. conj. —OR.

593. *Minoiæ*] Lege *Minoæ* ob versum. Ita Græci Μινώϊος et Μινῷος. Gr.—SCH.——*Minoæ*] de g. emend. sb. *minoiæ* BEGg.—OR.

594. *Occidit et dorsus piscis*] Lege, *Occidit et dorso piscis caudaque priore. Cauda priore* dixit, non quasi duas habeat, quod ἀδύνατον, sed quia cauda priore occidit. ἐξόπιθεν τετραμμένος, Aratus, v. 575. Grot. *Piscis* autem significatur *austrinus.*—SCH.——*Dorso*] de g. conj. sb. *dorsus* BEGg.—OR.

595. *Mergitur in totos humero O. e. A. Ultima cauda micat: ortus h. i. t.*] Videtur hic deesse versus. Et jamdudum observavi in tertia hac parte aut Germanicum admodum negligentem fuisse in Arato transferendo, aut exscriptores quicquid repetitum videretur suo more induxisse. Dixerat Aratus, v. 575, 576: Τὸν δὲ καὶ εἰς ὤμους κατάγει μογερὸν ὀφιοῦχον Καρκίνος ἐκ γονάτων· κατάγει δ' ὄφιν ἀυχένος ἐγγύς. Itaque ne nihil dicamus, hoc afferemus. Versus supra unus supererat talis: *Nixa genu facies et primis ignibus anguis.* Possit videri versus ille huc pertinere. Nam pro ἐκ γονάτων videtur Hyginus etiam ἐγγόνασι egisse. Nam et ille Engonasin Cancro oriente occidentibus annumerat. Sed diligentius inspicienti facile apparebit, nullum hic erratum librarii, sed potius Germanici: *Mergitur in totos humeros Ophiuchus, et Anguis Ultima cauda micat: tortus habet ille timendos.* Illud ἐκ γονάτων merito neglexit, quia non potest Ophiuchus occidere ad humeros, nisi ab ipsis

genubus, imo a pedibus. Hoc recte. Illud *ἀυχένος ἐγγὺς* ita intellexit, quasi dicerent a capite ad collum mergi, cum a cauda ad collum mergatur, ut res docet et Hyginus, *et anguem totum præter caput et cervicem.* Videtur cum Germanico intellexisse Cicero, v. 606: *Clarumque recondit Anguitenens validis magnum a cervicibus anguem.* Aliter enim *ad cervices* dicere debuerat. Quo in loco epithetorum duorum conjunctio ἐλληνιςὶ insolens librariis occasionem dedit nullo sensu legendi *cancrumque recondit.* Consentit igitur Cicero cum Germanico: dubito an et Avienus, cujus locum depravatissimum ita emendavimus et distinximus: *Cancer premit ortus, et anguem, Agmine qua vasto fluitat caput, aspera cervix Qua tumet et spiris quæ turgent pectora primis.* Ubi *fluitat caput* dixit ut Aratus de altero angue, v. 61, κείνη που κεφαλὴ τῇ νήχεται. Germanicus igitur cum dicere vellet, Anguis caput et collum occidere, ἐξ ἐναντίου dixit, caudam et spiras omnes micare, hoc est, cætera omnia præter caput et cervicem.—Gr.—SCH.——*humeros*] BE. (firmantes emend. g.) sb. *humero* Gg.—OR.

596. *Ultima cauda micat*] Sed Capella de nupt. Philol. libr. VIII. p. 283: *Occidunt—Ophiuchus a pedibus usque humeros, serpensque quem detinet, præter fauces caputque totum.*—SCH.—— *tortus*] BE. (firmantes conj. g.) sb. *ortus* Gg. *ille* s. conj.—OR.

597. *Nec multo Arctophylax his longe subjacet astris*] Lege, uti nunc expressum est. Aratus, v. 579: Οὐδ' ἂν ἔτ' Ἀρκτοφύλαξ εἴη πολὺς ἀμφοτέρωθεν. Hoc est, Avieno transferente: *Parte nec Arcturus distabit multus utraque.* Versum autem illum 580 omisit Cæsar: Μείων ἠμάτιος, τὸ δ' ἐπὶ πλέον ἔννυχος ἤδη.—Gr.—SCH.——*hinc longe s. astro*] de g. conj. s. *hic longe s. astro* b. *his longe s. astris* BEGg.—OR.

598. *Lumine qui primo*] Quatuor, inquit Aratus, signis cooccidit Arctophylax, Chelis, Scorpio, Sagittario, Capricorno. Idem vult Germanicus, nam lumen primum Scorpii vocat Chelas. Ait itaque Germanicus: *Lumine qui primo, cum Scorpius occidit undis, Occulitur pedibus: durat tamen arduus ore, Dum rigidum Ægoceri signum freta lucida terret. Siderea vix tum satiatus luce Bootes In terras abit, et noctis plus parte relinquit.* Quæ extrema ad verbum ferme ex illis Arateis, v. 582, 583: ὁδ' ἐπὴν φάεος κορέσηται Βουλυτῷ ἐπέχει πλεῖον δίχα νυκτὸς ἰούσης.—Gr.—SCH.——*Scorpios*] BEGg. *Scorpius* sb.—OR.

599. *Durat tamen, &c.*] Caput nondum occidit.—SCH.

600. *Dum rigidum, &c.*] Donec Capricornus ad occasum proxime accedat.—SCH.——*regidum* B. *ægocheri* E. *ægo cheris* B.—OR.

601. *Tuum* Gg.—OR.

602. *In terras abit, &c.*] Id est, Arctophylax infra horizontem demergitur ante, quam nox transierit. Vide v. 606.—SCH.

603. *Nullo defectus lumine*] Id est, cujus stellæ omnes eximia sunt magnitudine.—SCH.——*totus*] BEGgs. *totis* b.—OR.

605. *Celatus* BGg. *alteus* g.—OR.

606. *Cornua et Eridanus*] Non intellexit Arati versum 589: Πάντα φέρων ποταμὸν κέραος παρατείνεται ἄλλον.—Gr.—SCH.——*heridanus* BE.—OR.

608. *Cœlo nascente*] Possis legere, *collo nascente,* quia de juba præcessit. Sed nihil hac de re Aratus. Itaque legendum: *Quicquid parte micat cœlo, hac nascente sub undas Omne abit.* Aut si *hoc nascente* malis, non pugno.—Gr.—SCH.——*hoc*] inseruere de g. conj. sb. Abest a BEGg.—OR.

609. *Defugit hora*] Malim *ora*. Capella, lib. VIII. p. 283: *Cum leo oritur, coronæ reliquiæ conteguntur, austrinusque piscis et Ophiuchi serpentis Bootisque partes. Itemque aquila, Nisique pars dextra. Oriuntur vero hydri caput, lepus et Procyon, caniculæque pars prima.*—SCH.—— *Omne* E. ut volebat g. sb. *Omnem* BGg. (Ibid.) *defugit*] EGgs. *defigit* B. *effugit* ἀμέτρως b. (Ibid.) *ora*] de g. emend. sb. *hora* BEGg.—OR.

611. *Quique genu posito*] Necessario hic aliquid deest. Ait enim Aratus, Engonasin totum occidere præter genu lævum. Supra conjecimus, versum illum: *Summa genu subversa tenet, qua se Lyra versat*, posse referri, litera mutata, ad eum locum ubi coorientia Libræ referuntur. Possis etiam huc nulla mutatione referre, hoc pacto: *Quaque genu posito defessus conditur undis, Summa genu subversa tenet: qua se Lyra versat, Crure tenus redit in cœlum.* Idem dicit cum Arato. Cætera omnia, et genu etiam, sive ἐπιγονατίδα (hoc enim est *summa genu*) dextram, ubi ipse nititur, subversa tenet, hoc est ὑποτρέφει, ut Aratus, v. 593, loquitur. Sed crure illo, ubi Lyra se versat, hoc est, dextro redit in cœlum, quod satis ἀκυρολόγως dixit, pro nondum occidit. GROT. Ἀκυρολογία tollitur, restituta interpunctione vera ex Arati et Capellæ auctoritate. *Redire in cœlum* est apparere rursus. Elliptica locutio est, intelligitur enim cœlum id, quod oculis nos cernimus.—SCH.

612. Hunc versum supra v. 275, in Cdd. exstantem huc collocârunt de g. conj. sb. Abest h. l. a BEGg.—OR.

613. Distinxi cum s. *Crure tenus redit in cœlum; vasti c. H.* gb.—OR.

614. *Syrius* BE.—OR.

615. *Totiusque canis*] Versus hic videtur spurius, quia præcessit *et Sirius ipse*. Alius forte Arato hic a Germanico satisfactum non putans hoc addidit, non videns hæc cum præcedentibus non cohærere. GROT. Per *Sirium* intelligit Autor eam stellam, quæ hoc nomen præcipuo jure tuetur. Vide supra notata. Igitur nihil suspicandum fraudis equidem putem.—SCH.——*rabidi*] gsb. *rapidi* BE. (De G. non satis constat.) Versus hic subdititius videbatur Grotio; sed vide Schwartzium.—OR.

617. *Delphinus motis*] Lego: *Delphinus notis. Notas undas* dicit, quia Delphin est ἔνυδρος. Ita ferme Manilius, lib. V. v. 386: *At cum se patrio producit ab æquore piscis.* Sed legendum puto *proprio*. Proprium pisci æquor, sic *notæ Delphino undæ*.—GR.—SCH.——*notis*] de g. conj. sb. *motis* BEGg. (Ibid.) *deflexerit*] BEGg. intransitive, pro "se deflexerit." *defluxerit* de g. conj. sb.—OR.

619. *Cygnus* BGg. (non E.)—OR.

621. *Terræ qui proximus*] Terræ proximum vocat occidentem. Ita supra, v. 595: *Siderea vix tum satiatus luce Bootes In terras abit.*—GR.—SCH.——Fortasse: *qua proximus amnis;* Arat. v. 600. Ποταμοῖο παρηορίαι σκιόωνται.—OR.

622. *Tum caput abscondit sonipes, cum tota l.*] Lege: *Tum caput abscondet sonipes, tum, &c.* MS. etiam *ad* male pro *at* habebat. GROT. *Sonipes* est *Equus*, sive *Pegasus*, ut supra, v. 206.—SCH.——*abscondet*] de g. conj. sb. *abscondit* BEGg. (Ibid.) *tum tota*] de g. conj. sb. *cum tota* BEG.—OR.

624. *Terra tenus traxit surgentia plustria puppis*] Hæc sunt corruptissima. Ego veram lectionem divinavi: *At contra sublimior Hydra feretur Cratera tenus, et surgent aplustria puppis Argoæ, totusque canis.* Prior pars vocis *traxit* ex repetitione aut prima *Crateræ* syllaba, altera ex copula. Cætera clara. Audi Ciceronem, v. 636: *Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.* GROT. *Puppis Argoæ*] ab Argo appellatæ navis,

de qua re supra ad versum 342, cui loco adde Ptolomæum Hephæstionis filium, libr. II. p. 310.—SCH.——*Cratera tenus; et surgent aplustria*] de g. conj. sb. *Terra tenus traxit surgentia plustria* BEGg.—OR.

626. *Nascitur*] Id est, horizontem nostrum magis transgreditur, vel altius provehitur sensim. *Media plus arbore*] Quomodo plus, cum ipsa non major sit, quam a puppi ad arborem sive malum. Forte: *media tenus arbore lucet.* Avienus: *Maloque tenus sese exerit Argo. Cum jam Virgineos æther vehit altior artus.* GROT. Sententia Germanici videtur esse hæc: Mali plus lucet supra Horizontem quam dimidia pars, Consentit cœli consideratio.—SCH.——*ratio* Gg. (non BE.) Emendari jussit g. *media tenus arbore l.* g. suspic. prob. b. "Sententia videtur esse hæc: Mali plus lucet super horizontem quam dimidia pars. Consentit cæli consideratio." SCHWARTZ.—OR.

628. *Exilem*] Lege: *Exilit oceano.* Alibi, (v. 668) *Centaurus in auras Exilit.*—GR.—SCH.——*Exilit*] de g. conj. sb. *Exilem* BEGg.—OR.

630. *Celsaque puppis habet: Cauda minus attamen illa*] Legendum: *Celsaque puppis habet: cauda minus attamen Hydra.* Scriptum fuit *Idra.* Aratus, v. 611: Ἀλλ' ὕδρη (κέχυται γὰρ ἐν οὐρανῷ ἤλιθα πολλή) Οὐρῆς ἂν δείοιτο μόνον. GROT. *Abit* pro *habet* verum est. Aratus, v. 610: Ἀργὼ δ' οὐ μάλα πᾶσα μετήορος ἔσσεται ἤδη.—SCH.——*habet*] BEGgb. *abit* s. pravâ conj. Cfr. Schraderi *Observv.* p. 52. Scil. in Arati v. 610. Schraderus, Voss. Buttm. Bekk. dederunt. Ἀργὼ δ' αὖ μάλα πᾶσα μετήορος ἔσσεται ἤδη pro Cdd. οὐ μάλα, a qua lect. decipi se passus est Schwartz. *Celsa* scil. h. l. τὰ ὑψηλά, non, quod illi videbatur, ὑψηλή. (Ibid.) *Hydra*] de g. conj. sb. *illa* BEGg.—OR.

632. *Partibus haud alii noctem fluctuata suprema noctem Occasus sequitur Crure simul Chelæ fulgent, cum Scorpius exit, Tam totis radiat membris misciabile sidus. At cum tantus abit: quantum lira surgat ab undis Argo si pia suo cælo refertur imago*] Versus hosce novem, quorum multi adeo sunt corrupti, ut nulla ferme spes esset in integrum restitutionis, nos hoc pacto reformare conati sumus: Non infeliciter, ut puto: *Nixa genu species flexo redit ardua crure, Partibus haud aliis: nocte eluctata suprema Bis solet illa una cœlo se ostendere nocte: Nam si Phœbeos currus, dum longa venit nox, Occasu sequitur: rursum fugit oceanum ortu. Crure, simul Chelæ fulgent, cum Scorpius exit, Haud cunctatus abit: quum Chiron surget ab undis Arcusque ipsa pio cœlo referetur imago, Jam totis radiat membris miserabile sidus.* Priora clara. Sequentia cum istis Ciceronis confer (v. 654) *Hic genus et suram cum Chelis erigit alte: Ipse autem præceps obscura nocte tenetur, Dum Nepa et arcitenens invisant lumina cœli. Nam secum medium pandet Nepa: tollere vera In cœlum totum exoriens conabitur arcus.* Versum unum transposui, Arato postulante. *Abit* dixisse videtur, ut supra *exit* pro *fulget;* et *exilit* pro *oritur.* Referendum autem hoc verbum etiam ad illud præcedens *crure. Chiron* est Sagittarius, quod si quis neget (quanquam ego non diffiteor, satius esse eum ad distinctionem alterius centauri Crotona appellari) adducam illud ex Catalectis: *Centaurusque senex Chiron, et cornua Capri.* Et illud pag. 164: *Tum geminus Chiron et Corniger æquoris alti.* Ubi *geminus* nihil aliud est, quam *biformis.* Versum penultimum olim ita legebamus: *Argous ipsa pio cœlo referetur imago.* Quod quanquam propius ad lectionem, nihil ad sensum. Hæc lectio aut vera aut vero similis. *Pium cœlum* dixit, ut Capella *Piumque columen* aut *culmen,* quod idem est cum eo, quod præcedenti versu dixerat, *cœli blanda temperatio.* Simili modo *pium* diem idem autor dixit, ut in nostris notis demonstra-

vimus. Quin et ipse Germanicus, ut puto, supra v. 270, *pio cælo nitet* dixit de Lyra. *Miserabile sidus* etiam supra v. 73 dixit. Gr. Præclare Grotius omnia restituisse mihi videtur, præter versus trajectionem, (nam ea repugnat oculorum testimonio) et pauca alia. *Abiet* enim ponitur pro *altius provehetur.* Neque pro *lyra* ponendum *Chiron:* Sed de vetere lectione quam minimum recedendum: ut ego facio in principio ejusdem versus, et proximo inferiore. Nam v. 621 ad Arati autoritatem, quam defugere in re dubia non licet, itidem conformavi curatissime. Adde, quod ad constructionem pertinet, v. 690. Versu 624 *resecetur* præoptavi: damnavi *referetur,* ne cœlo et oculorum fidei refragari videatur intelligens artis suæ scriptor.—SCH.——*Aliis*] BE. ut volebat g. sb. *alii* Gg. (Ibid.) *nocte eluctata suprema*] de g. conj. sb. *noctem fluctuata suprema* Gg. *noctem fluctuata supremam* BE.—OR.

633. *Illa*] Ggsb. *ille* BE. (Ibid.) *nocte*] E. (firmans emend. g.) sb. *noctem* BGg.—OR.

634. *Cursus* B.—OR.

635. *Occasu*] de g. emend. sb. *Occasus* BEGg. (Ibid.) *rursus*] BEGg. *rursum* sb. (Ibid.) *ortu*] EGgsb. *ortus* B.—OR.

636. *Crure simul Chelis fulgens*] s. conj. *Crure, simul Chelæ fulgent*] BEGgb. (Ibid.) *Scorpios*] EGg. *Scorpius* Bsb. Totum locum sic refingere conatus est Grotius: *Crure, simul Chelæ fulgent, quum Scorpios exit, Haud cunctatus abit: quum Chiron surget ab undis Arcusque ipsa pio cælo referetur imago, Jam totis radiat membris miserabile sidus. Imperfecta* cet. Recepit hanc g. conjecturam b. retenta tamen suo loco Cdd. lectione; unde miræ turbæ ortæ sunt in ejus editione.—OR.

637. *Jam totis*] E. ut volebat g. sb. *Tum totis* B. *Tam totis* Gg.—OR.

638. *At quum tantus abit*] BEGg(b.) *Ac tum tantum abiet* (sic) s. conj. (Ibid.) *surgit*] B. *surgat* EGgsb.—OR.

639. *Arcus ipsa suo cælo*] Sic scripsi. *Argo sipia* (*siria* E.) *suo cælo* BEGg. b. altero loco. *Arcusque ipsa pio cælo* (g.) b. altero loco. (Ibid.) *referetur*] de g. conj. b. *refertur* BEGg. *Argusque ipsa pio cælo resecetur imago* s. conj.—OR.

640. *Cum tota corona, Et Chiron prius ad caudam cognoscitur una*] lege, ut expressi jam sunt. Gr. Vel lege, *udam* pro *Una.*—SCH.——*Tum*] de g. emend. sb. *cum* BEGg.—OR.

641. *Pius*] de g. emend. sb. *prius* BEGg. (Ibid.) *imam*] de. g. conj. sb. *ima* BE. *una* Gg.—OR.

642. *Tunc pectore pennas*] Possit legi *vertice* pro *pectore,* quia Aratus habet, v. 625: Τῆμος ἀποιχομένηην κεφαλὴν μεταδύεται ἵππος. Sed Cicero quoque caput non expressit, v. 662: *Hic se jam totum cæcas Equus abdit in umbras.* Versu quoque sequenti pectus nominat, quod non nominat Aratus. Sed mens Arati et Germanici, si recte spectetur, hæc est; Equus qui ante capite et collo erat submersus, nunc totus occidit. Et hoc est κεφαλὴν μεταδύεται ἵππος. Cygnus qui sub Virgine pectore et pennis occiderat, nunc totus recedit. Hoc enim est *præmersus pectore cygnus.* Hanc expositionem firmat Hyginus et Martianus, lib. VIII. p. 283. Grot. *Cygnus præmersus cauda non lucet pectore,* id est, Cygnus qui caudam primum in mare intulit, capite eminente paulum super aquam mox non lucet. Nam caput stellis paucis insignitum est, et magis magisque mari immergitur, si Poëtarum opinioni convenienter loqui licet. —SCH.

643. *Cygnus* Gg. *cignus* B.—OR.

644. *Ardet et Andromedæ vultus, Pistris et maxima Occasum sequitur venientis et Virginis ora*] Legendum puto, *Abditur Andromedæ vultus: sed maxima Pristis Oceano insequitur venientis Virginis ora.* Aut etiam: *Abditur Andromedæ vultus: Pistrisque marina.* Alterutrum elige. Sensus est, Andromedæ vultus occidit, quam oceano venientem insequitur Pistrix, cui crista adhuc in cœlo fulget. Nam, teste Arato, v. 632, ἐς λοφίην τετραμμένον ἄχρι παρ' αὐτὴν Δύνει: capite occidit. Avienus: *Tingitur at spina capiti qua proxima summo est.* Gr. Malim, si liceret, pro *venientis* ponere *vergentis* vel *mergentis* potius. *Crista* Germanico est spina cervicis Pristis, una cum rostro super horizonte reliqua. Caput igitur Pristis non occidit, sed cauda cum maxima parte corporis. Ergo video Germanicum scripsisse: *cauda abditur ipsi:* non, *caput abditur ipsi.*—SCH.——*Abdit et Andromede vultus*] s. *Ardet et Andromedæ vultus* BEGg. *Abditur Andromedæ vultus* de g. conj. b. (Ibid.) *et maxima Pistris*] BE. *Pistris et maxima* Gg. *sed maxima Pistris* de g. conj. b. *Pistrisque marina* altera g. susp. *Pristis sed ab imo* s.—OR.

645. *Occasu insequitur*] s. *Occasum sequitur* BEGg. *Oceano insequitur* de g. conj. b. (Ibid.) *metuentis virginis*] Sic scripsi ex Arati, v. 629: τὸ δὲ οἱ μέγα δεῖμα Κήτεος ἠερόεις ἐπάγει νότος. Et Avieni, v. 1157. *Ac formidatam* cet. *uentis* (sic) *et virginis* E. *venientis et virginis* B. (sed in hoc *et* lineola notatum, tamquam delendum.) G. Margo E. g. *venientis virginis* de g. conj. b. *venientia virginis* s. conj.—OR.

646. *Cauda* s. conj. *caput abditur ipse R. C. alias intactus* Voss. ad Arat. p. 111.—OR.

647. *Regalis Cepheus*] Videtur deesse versus similis illi Ciceroniano, 666: *Hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas.* Dissentit autem ab Arato. Nam cum ille dixisset, Cephea capite manu et humero submergi, verius Cephea intactum ab undis dicit. Nam in elevatione Cnidi et similibus Cepheus non occidit. *Regalem* vero dixit ipsum Regem. Neque aliter Nonnus in paraphrasi Regulum vocat βασιλήϊον ἄνδρα.—Gr.—SCH.——*cephæus* BE.—OR.

648. *Quam clarus fulserit annus*] Lege *quum clarus fugerit amnis.* Simul enim Scorpius oritur, et Eridanus occidit.—Gr.—SCH.——*Scorpios*] bis E. g. (v. 648.) *Scorpius* g. (v. 649.) sb. *Scorpion* B. (Ibid.) *quum clarus fugerit*] de g. conj. sb. *quam* (sic) *clarus fulserit* BGg. *quam claris fulserit* E. (Ibid.) *Amnis*] BE. (ut emend. g.) sb. *annus* Gg.—OR.

650. *Si vati placata*] Lege *Sis.*—Gr.—SCH.——*Sis*] de g. conj. sb. *Si* BEGg.—OR.

651. *Nam ego* b.—OR.

652. *Qui tangere*] Lego *contingere.*—Gr.—SCH.——*quondam contingere*] BE. (firmantes emendat. g.) sb. *quondam qui tangere* Gg.—OR.

653. *Divæ*] Dianæ. Fabulam docet etiam Nonnus Dionys. XLVIII. v. 398, seqq. et Ovid. Fast. V. 537, seqq. et Servius ad Æneid. lib. I. v. 539.—SCH.

654. *Devotus pœnæ*] Sic supra, v. 247: *devotam virginem* dixit. Neque aliter Horatius *Devota morti pectora.* Gr.—SCH.

655. *Angusto stipite*] Angustum stipitem vocat quod Aratus κορύνῃν aut potius προβόλοιον sive σιβύνην, qualem habere fertur Chiron similiter venator. Erant autem stipites acumen habentes, quorum sæpe mentio in Cynegeticis Xenophontis. Gr. Malim *augusto.* Rationem duplicem vide in explanatione trium numorum veterum §. XI. Tertiam addo hic, quod Xenophontis illius autoritas ad præsens negotium infirmior

est. Nam ex illius præceptis vetustissimorum temporum consuetudinem metiri nolim.—SCH.——*Angusto*] BEGgb. *augusto* s. Fuit: *ambusto*. Virgil. *Æn*. 7, 524. *sudibusve præustis*.—OR.

656. *Dono dabat Œnopioni*] Eleganter ita Avienus: *Audax ut facinus donum foret Œnopioni*.—SCH.—— *Chyon* B. *Œnorioni* E. In marg. correctum.—OR.

657. *Ad patiens etenim Phœbi g. r.*] Lege uti nunc exscriptum est. Verissima hæc emendatio, et sine qua nullus sensus. Gr.—SCH.—— *Haud patiens sed enim*] de g. conj. sb. *At patiens etenim* E. *Ad patiens etenim* BGg.—OR.

658. *Media tellure revulsa*] Hoc est quod Aratus v. 642 dixit ἀναῤῥήξασα μέσας ἑκάτερθε κολώνας. Vid. Hyginum et Anonymum, Festum et Ciceronem. Gr.—SCH.

659. *Ingenti*] Ingentem fuisse Orionem, credidit antiquitas. Plinius VII. c. 16. *In Creta, terræ motu rupto monte, inventum est corpus stans XLVI cubitorum, quod alii Orionis, alii Oti fuisse arbitrantur.* Add. Ovid. Fast. V. 537, et præcipue Donatum ad Æneid. X. v. 763. *majorem contulit hostem*] id est, paravit in eum hostem, et quasi composuit valentiorem cum debiliore. Vide de Orione ex ictu Scorpii mortuo etiam Nicandri Scholiasten, pag. 3. Tatianum contra Græc. p. m. 149, Servium ad Æneid. lib. I. 539.—SCH.——*Scorpium* b.—OR.

660. *Parcite mortales*] Simile epiphonema illud Avieni hoc loco: *ista furori Præmia debentur: sunt hæc commercia læsis Semper numinibus.* Gr.—SCH.

661. *Horret vulnus adhuc*] Avienus: *metus hic, metus acer in astro Permanet.* Gr. *Horret*] Hinc forte, στυγνὸς Ὠρίων dicitur Anacreonti Carm. in pocul. argent. p. m. 138.—SCH.

662. *Et quanquam...ortus,*] Hæc admodum corrupta ita puto legenda et distinguenda, *et quanquam parte retecta Teli pæne fugit, tamen altis mergitur undis. Scorpius ardenti cum pectore contigit ortus.* Hyginus Oriona Sagittario oriente primum occidere dicit, Aratus Scorpio. Quas sententias ut conciliet, ait Germanicus, quanquam Orion fugiat sive occidat jam tum, cum pars aliqua teli hoc est Sagittarii orta est; tamen posse etiam dici Scorpio oriente submergi: parte videlicet priori, ut et ipse Hyginus in asterismo Orionis testatur et Martianus Capella. *Telum* dixit pro Sagittario, ut sæpe Aratus τόξον, quod tam telum, quam arcum, designat. Ideoque ille, loco Arati (v. 305), Ἤτοι γὰρ μέγα τόξον ἀνέλκεται ἐγγύθι κέντρῳ Σκόρπιος ἀντέλλων· ὁ δ' ἀνέρχεται αὐτίκα μᾶλλον. Ubi Germanicus et Cicero *arcum* posuerunt. Festus *Telum* vertit: *Hic matutino veniens procul æthere telum Exigit e pelago: telum trahit ultima cauda.* Quo in loco similiter *cœlum* scriptum erat, quod firmat hanc meam conjecturam. Gr. Mihi videtur sententia Germanici clara esse, quod videlicet Orion, oceanum ingressus, Scorpium fugiat, et si magna cœli superi pars inter ipsum et Scorpionem intersit. *Pars cœli* est dimidium cœli. *Fugit* est *distat, abest.*—SCH.——*Relicta*] BEGgs. *retecta* de g. conj. b.—OR.

663. *Cœli pæne*] BEGg. (BE.: *pœne*) s. *Teli pæne* de g. conj. b. Sed in *pæne* videtur latere *pone:* nam *pæne* nimis languet: sive, Grotio auctore, junges cum v. *fugit*, sive, ut vult Schwartz: *parte relicta cœli pæne.* —OR.

664. *Scorpios*] Gg. *Scorpius* Esb. *Scorpion* B. *ortis* E.—OR.

665. *Nil super*] In Manuscripto *Nihil* bis in uno versu. Sed legendum

est *κατὰ συναίρεσιν*, quod vel puer viderit. Gr.—SCH.—— *Nil..nil*] BEGsb. *Nihil..nihil* G. Margo E. *pristis* Gg.—OR.

666. *Cassiepia declinemque....cadunt....certaverit....sinus....cancri ....totiensque serta coronæ*] Vix puto locum ullum in Cæsaris Phænomenis hisce versibus depravatiorem, quos puto me non male restituisse, hoc pacto, quo vides supra. Confer cum Arato. *Senex æquoreus* Nereus, *ἁλιὸς γέρων* apud Græcos. *Litore Canchli* substitui, ex Plinio, qui *Canchleos* nominat ea ferme in parte, ubi Cepheos regnum. Malit forte alius *Cenchri*, sed Cenchrea procul ab Æthiopia. Quod autem Aratus v. 660 dixerat *στεφάνοιό τε δεύτερα κύκλα*, non magis Germanicus intellexit, quam Cicero vel Avienus, qui omnes de corona septentrionali intelligunt. Doctissimus quoque Scholiastes Græcus hoc in loco nugatur. Martianus Capella coronam similiter Ariadnes memorat. Solus, quod sciam, Hyginus monet, intelligenda ista Aratea de corona Sagittarii, qui summopere confirmat divinam Ill. Scaligeri conjecturam imo oraculum. Gr.—SCH.——*Cassiepiam*] de g. emend. sb. *Cassiepia* BEGg.—OR.

667. *Declivemque*] de g. emend. sb. *declinemque* BEGg. (Ibid.) *æterni pondera mundi*] de g. conj. sb. *æterno pondere mundi* BEGg.—OR.

668. *Cadit*] de g. conj. sb. *cadunt* BEGg. (Ibid.) *certaverat*] de g. conj. sb. *certaverit* BEGg.—OR.

669. *Senis*] de g. conj. sb. *sinus* BEGg. (Ibid.) *Canchli*] de g. conj. sb. *cancri* BEGg.—OR.

671. *Totius serta coronæ*] de g. conj. gsb. *totiensque serta corona* (sic) BEGg.—OR.

672. *Totus se liberat Hydrus*] id est, in auram cœlestem totus jam abiit, undique conspicuus.—SCH.——*Hydrus* BEGg.—OR.

673. *Chiron...toto vastus et vertice clarus*] Legendum mutatis et transpositis vocibus, *Corpore jam vasto, jam toto vertice clarus.* Quod sequitur *Tum fera* de Scorpio adhuc intelligendum, non de Sagittario. Gr. Per Chironem Sagittarium videtur signare Germanicus. Reliqua, excepto unico vocabulo, immutata si relinquuntur, meus Autoris et cœli ratio apertior est, nec Grotii admonitione indiget.—SCH.——*Expectant* B. *chyron* BE. (Ibid.) *arcu* BEGgs. *arcum* de g. conj. b. Recte vero: *obscurior arcu*, quod ad arcum attinet. Cfr. Avieni v. 1144, *manet Arcitenens, dum spicula cælo Exserat* cet.—OR.

674. *Jam toto vasto sub vertice*] s. *jam toto vastus et vertice* BEGg. *jam vasto, jam toto vertice* de g. conj. b.—OR.

677. *Innixusque genu læva minus æquora lincunt*] *Linquit* legendum. Gr. Mihi sic videtur, ut, urgente veritate, expressum est. *Æquora maris* recte dici possunt. Vide Bernartii notam ad Statii Theb. X. 739. —SCH.——*Linquit*] de g. conj. b. *linquunt* BE. *lincunt* Gg. *Innixumque genu lævo maris æquora linquunt* s. conj.—OR.

678. *Remeabilis arcu*] Legendum puto *arcus*. Per *arcum* totum signum Sagittarii indicat etiam Aratus, ut supra diximus. *Remeabilis* dixit eo modo, quo Avienus *reparabilis* alibi: *absolvit totos reparabilis annos.* Gr. —SCH.——*Arcus*] de g. emend. sb. *arcu* BEGg.—OR.

679. *Chiron*] Esse videtur hic Sagittarius, ut alibi quoque *Chiron* pro Sagittario ponitur. Quod Grotius quoque monuit. Nam alter Chiron per cœli naturam intelligi non potest.—SCH.——*Chyron* BE.—OR.

680. *Expulit celsis*] Post hanc vocem deest copula. Itaque versu postulante lege versum: *Expulit et celsis Ophiuchus fulget in astris.* Gr.—SCH.——*Expulit et celsis*] de g. emend. sb. Malim tamen: *extulit et c.*

expulit celsis Gg. *expulit celsis* superscr. *et* B. *expulit celsis* superscr. *el* verbo priori; ut sit: *Expellit, celsis* E.—OR.

681. *Nil trahit*] Hic etiam, ut supra perperam MS. *nihil.* Gr.—SCH. ——*Nil*] BEgsb. *Nihil* G. (Ibid.) *Si trunca* s. conj.—OR.

682. *Desinit esse manum mediis deformis*] Lege uti nunc expressum est. Engonasi jam ortus (hoc enim est *rediens*, ut supra v. 598, *Crure tenus redit in cœlum;* et infra, *rediens cum sidere Cepheus*) manum lævam recipit. De capite tacet, ut et Martianus. *Oriuntur vero totus Ophiuchus et Nisi sinistra manus.* Ex quo loco patet, paulo ante legendum: *et caput Ophiuchi* pro *Eniochi.* nam Auriga non oritur ulla ex parte cum Scorpio, sed serpentarii caput, ut et Aratus et omnes ejus interpretes testantur. Hæc notis ad eum autorem nostris addenda. Gr. Vulgati codices inepte per particulam *sed* Nixum jam omnibus membris conspicuum opponunt serpenti itidem jam omnibus partibus conspicuo. Vera lectio est *si.* Deinde pro inepto item vocabulo *mediis* legendum *Nixi.* Sic et Arati v. 672 respondet versio et magis cohæret oratio. Grotii *rediens* pro *mediis* non probo. *Cycni dextera penna*] Hoc ex Arato non est: Verum tamen. Neque enim Lyra oriri potest, nisi una dextra Oloris ala oriatur. Quod vero sequitur *radit tellurem* ideo est, quia didicerat, ut antea docuimus, Cephea in ista poli elevatione oriri non posse. Dixerat autem Aratus oriri στήϑεος ἄχρις, quod aliter Avienus interpretatur, quam Hyginus et Capella. Avienus, quasi a pedibus usque ad humeros sit conspicuus, quod verisimilius. Neque enim verum, ut diximus: aliquasi solo capite et humeris oriatur. Gr.—SCH.——*Desinet* s. conj. (Ibid.) *manu*] de g. conj. sb. *manum* BEGg. (Ibid.) *mediis*] Sic corrupte BEGg. *rediens* de g. conj. b. Displicet tamen, quia mox v. 684. idem verbum. *Nisi* ad sententiam recte, sed parum probabiliter, s. conj.—OR.

683. *Cygni* Gg. *cigni* B.—OR.

684. *Cephœus* B. *cophœus* E.—OR.

685. *Ignis* BEGg.—OR.

686. *Et semper tutus in undis*] fortasse legendum: *Et præpes totus in undis est lepus.* Vel *atque imperfectus in undis est lepus.* Aratus v. 678, πάντα γε μὴν ἀτέλεϛα διωκομένοιο λαγῳοῦ.—SCH.——*Atque imperfectus in undis* g. susp.—OR.

687. *Argoæque ratis qua flexile signum*] Hyginus *Argo autem puppim solam relinquens pervenit ad terram.* Legendum vero puto, uti nunc expressum est. *Flexile lignum* est χηνίσκος, *curvum* Avieno. *Aplustria* non ea quæ in malo, ut vulgo putatur, sed in puppi: ἄφλαϛα Græcis. unde etiam nomen deductum, quicquid nugetur Festi mutilator. Cæterum videntur mihi desiderari hic versus aliquot de Auriga, illis Arateis respondentes: (v. 679, 680) 'Αλλ' οὐχ ἡνιόχῳ ἔριφοι, οὐδ' ὠλενίη ἄιξ Εὐθὺς ἀπέρχονται. Sed potuit et illos omisisse, quia non summopere ad rem facere videbantur. Gr.—SCH.

688. *Athuc* BE.—OR.

691. *Omne ornatum*] *Omnem ornatum* lege. Aplustria intelligit. Festus: *Aplustria navium ornamenta.* Puppim dicit venerandam numine, quia in puppibus erant παράσημα et deorum effigies. Erat autem Argo, ut in manuscripti nostri imagine liquet, in tutela Palladis. Quod probant illa Valerii Flacci Argonaut. VIII. v. 202, *Puppe procul summa vigilis post terga magistri Hæserat auratæ genibus Medea Minervæ.* Gr.—SCH. ——*Omnem*] BE. (ut emend. g.) sb. *omne* Gg.—OR.

693. *Omnis* BEGg.—OR.

694. *Cygnus* BGg.—OR.

695. *Et parvus Delphinus*] Avienus, *Delphinum patulas promit Capricornus in auras.* Quod tamen deest in Arato, ut ibi notavimus. Gr.—SCH.

696. *Eminus exurgit Minoia nota corona*] Versus est spurius, quales et alios non paucos in hoc opere demonstravimus. Videtur autem conflatus et depravatus ex duobus istis: *Excipit oceanus Minoæ serta coronæ*, et *Imperfecta redit cælo tum tota corona.* Nullus enim hic coronæ locus. Gr.—SCH.——*Minoia nota*] EGgb. *minori nota* B. Versum hunc, judice Grotio, insititium del. s. Falsa omnino quum sententia sit, Vossius, sed parum probabiliter, sic leg. conjecit ad Aratum p. 121: *Exsurgunt simul exorto Capricorno.*—OR.

697. *Hydrochous* b.—OR.

699. *Chyrona* B.—OR.

700. *Tinguit* BE.—OR.

701. *Tum pectora tristia sertis*] Legendum: *non pectora tristia setis.* Hoc ideo quia Chironis pectora equinis partibus annumerantur. Avienus: *persistit pectore celso Cornipedis species.* Gr.—SCH.——*Non pectora tristia setis*] de g. conj. sb. *tum pectora tristia sertis* BEGg.—OR.

702. *Plus mediam tondit*] Usitatius esset: *plus media.* Sed videor mihi similem phrasin alibi observâsse. Gr. *Media* autem pro *dimidia* ponitur.—SCH.——*Media* dubia g. susp. (Ibid.) *condit*] BE. *tondit* Ggb. *tondet* s.—OR.

703. *Addunt orti tumque biformes*] Emendandum: *Hanc Pisces abdunt orti totumque biformem. Biformem* dici Sagittarium, supra demonstravimus. Similis in Chirone ratio, nisi quod hic non sit inter duodecim illa celeberrima sidera. Gr.—SCH.——*Abdunt*] BE. firmantes emend. g.) s. *addunt* Ggb. (Ibid.) *orti, totumque*] de g. conj. s. *orti tumque* Gg. *ortitumque* B. *tortitumque* E. *orti, geminumque* b. (Ibid.) *Biformem*] de g. conj. sb. *biformes* BEGg.—OR.

706. *Surgit et*] Lege: *Piscibus ille simul surgit, sed liberat ortus.* Aliud est *surgere*, aliud *ortus liberare.* Nam *surgere* est οὐκ ἅδην imperfecte, ut loquitur etiam Aratus. Similis differentia supra indicatur inter *fugere* et *mergi*, v. 663-665, *nam quanquam parte retecta Teli pæne fugit, tamen altis mergitur undis, Scorpius ardenti cum pectore contigit ortus.* Gr.—SCH.——*Sed*] de g. conj. sb. *et* BEGg.—OR.

708. *Cephæida* BE.—OR.

709. *Nereidos pontoque fugam cæloque*] Legendum puto, uti nunc exscriptum est. Andromeda, inquit, gaudet se Nereidas et pontum effugisse, causam videlicet et locum periculi. Cæterum multo hic auctior Aratus, qui ait dimidium Andromedæ sub Piscibus, dimidium sub Ariete oriri. Sed ut et alibi ostendimus, hæc non tam pensiculate observat Germanicus. Gr.—SCH.——*Nereidas*] de g. conj. s. *Nereidos* BEGgb. (Ibid.) *pontumque fugit*] de g. conj. sb. *pontoque fugam* BEGg.—OR.

711. *Patrio fulgebit in æthere*] Aratus alibi v. 253, κεκονισμένος ἐν Διῒ πατρί, et ibi Germanicus v. 249, *Moles ipsa viri satis est testata parentem: Tantus ubique micat, tantum occupat ab Jove cæli.*—SCH.

712. *Persea cum pinnæ redeunt, jam Plias ab undis Effugit et dextro Tauri et cognoscitur armo*] Lege, uti nunc expressum est. Pleiades sub poplite lævo Persei sitæ sunt: itaque cum eo oriuntur. Sunt autem Pleiades in dextro Tauri armo, ut ex asterismis apparet et hic indicat Germanicus. Veteres tamen Astronomi seorsim eas a Tauro effingebant, ut Hyginus docet in Tauri fabula. Et inde intelligendus alius ejus locus in Tauri asterismo: *Inter hujus finitionem corporis et Arietis caudam*

stellæ sunt VII, quas Vergilias nostri, Græci autem Pleiades appellaverunt. Et Anonymus, cujus locus est mutilus, quod miror non animadversum, *Ab excisione tauri usque ad id quod septem stellæ sunt, quas quidam Pleiades dicunt.* Ubi *excisio* Tauri est τομὴ τάυρε. Aratus v. 322, Λοξὸς μὲν ταύροιο τομὴ ὑποκέκλιται αὐτοῦ 'Ωρίων. Gr.—SCH.——*Pennæ reddunt*] de g. conj. sb. *pinnæ redeunt* BEGg.—OR.

713. *Tauri cognoscitur*] de g. conj. sb. *Tauri et cognoscitur* BEGg. —OR.

714. *Fixus et in curru*] Hæc cum proximis verbis pugnant. Quomodo enim in curru sine curribus feratur Auriga? *Fixus* est ex Arato, sed meliore in loco. Pro *in curru* legendum *incurvus.* Igitur haud dubie etiam pro *fixus nixus,* nam et nixus et incurvus est Myrtilus. *Fixus* autem ab inepto ex Arato confictum. *Sine curribus illis*] Lege: *sine curribus ullis.* Supra: *Sic nulli currus.* Cætera ita legenda: *Trahitur sine curribus ullis Myrtilus. Haud totum cernes; non integer ipse In cœlum redit. At pars dextera mergitur undis.* Antea legebatur: *Myrtilus, aut totum cernens, cum interit ipsum In cœlum redit, et p. d. m. u.* Grot. Nostra correctio nomen suum tuetur. Primum enim a literis minus recedit, Deinde consentit Arati versui 716: μοίρῃγε μὲν οὐκ ἐπὶ ταύτῃ 'Αθρόος ἀντέλλει· δίδυμοι δέ μιν οὖλον ἄγεσιν. 'Αλλ' ἔριφοι λαιοῦ τε θέναρ ποδὸς, αἰγὶ σὺν αὐτῇ, Ταύρῳ συμφορέονται, &c. Hoc est, interprete Grotio, vers. 752: *Quem tamen haud totum dias in luminis auras Taurus agit: Geminis sed enim completur in ipsis. Sed duplices hædi, et cum planta capra sinistra Cum bove se tollunt.* Denique cohæret oratio. Quum contra Grotii oppositio per particulam *at* videatur locum hic nullum habere, nec reliqua conjectura satis commodam sententiam fundere. Jovem autem Taurum esse, notum est ex fabula.—SCH.—— *Fixus ut in curru*] Halma. *Fixus et in curru* BEGgb. *Nixus et incurvus* s. conj. (Ibid.) *ullis*] E. firmans emendat. g. sb. *illis* BGg. (*Myrtilos* scripsi constantiæ causa pro *Myrtilus.*)—OR.

715. *Haud*] de g. conj. sb. *aut* BEGg. (Ibid.) *cernes*] de g. emend. sb. *cernens* BGg. *cernen* superscr. *s.* E. (Ibid.) *cum interit ipsum*] Sic corrupte BEGg. *non integer ipse* de g. conj. b. *quum Juppiter ipse* s. conj.—OR.

716. *Redit et pars dextera*] Gg. *redit pars dextera* B. *redit* (superscr. *i*, ut sit: *rediit*) *pars dextra* (sic) E. *redit, at pars dextera* de g. conj. b. *redit et pars tertia* s.—OR.

717. *Effugit hædos*] Lege, *efferet hædos,* et altero versu: *Læva Jovis nutrix humero radiabit in ipso* (non *radiavit.*) Capellam quæ lævum Aurigæ humerum obtinet, Jovis nutricem perhiberi, ex Arato, ejus interpretibus, Mythologicis et ipso Lactantio notum. Manilius, lib. I. v. 365: *Nobilis et mundi nutrito rege Capella.*—Gr.—SCH.——*efferet*] de g. conj. sb. *effugit* BEGg.—OR.

718. *Radiabit*] de g. emend. sb. *radiavit* BEGg.—OR.

720. *Surgent*] Ita legendum, non *surget,* ut in MS. Clarius est, quam ut moneri debeat.—Gr.—SCH.——*surgent*] gsb. *surget* BEG.—OR.

721. *Tauro pistrices pariter cristæque refulgent Caudaque vicinum terris jam cernet B.*] Lege et distingue, uti supra expressum est. Grot. *Terris vicinus* est *ad occasum properans.*—SCH.——*Pistricis*] de g. emend. sb. *pistrices* BEGg.—OR.

722. *Cerne*] BE. ut volebat g. sb. *cernet* Gg.—OR.

723. *Et cum se g. d. p. O. S. e. o. Gemino r. r.*] Lege uti supra exscriptum est. Aratus, v. 724: 'Αμφότεροι δὲ πόδες καταδυομένου

'Οφιόνχυ Μέσφ' ἀντῶν γονάτων διδύμοις ἔπι σῆμα τετύχθω. Hoc est: *At serpentigeri tibi descendentia crura Ad genuum finem Geminorum sidera monstrant.*—Gr.—SCH.——*dimisit* BE.—OR.

724. *Geminos*] de g. emend. sb. *gemino* BEGg.—OR.

725. *Totaque jam Piscis lucebunt squammea terra*] Legendum, uti jam exscriptum est. Aratus, v. 726: τὸτ' οὐκέτι κήτεος οὐδὲν Ἕλκεται ἀμφοτέρωθεν. Hoc est, *Ceti nihil undique lucet Alterutra de parte.*—Gr.—SCH.——*Pistris*] de g. emend. sb. *piscis* BEGg.—OR.

726. *Eridani et primo d. n. f.*] Legendum *primos*. Manuscriptus habebat *Heridani*, ut plerumque, et *deprehendat*, ut supra *nihil* pro *nil*. *Primos fontes* vocat πρώτην καμπὴν,. (ita enim in Arato legendum docuimus, non πρώτης) ut Cicero, v. 421: *Gelido delapsum lumine fontis.* Ubi dubito, an non *flumine* sit legendum. *Flumen* enim non semper ποταμὸν significat, sed et ἀπόῤῥοιαν sive ῥεῦμα. Ita Plinius *flumen rivi* dixit. Hinc Jurisconsultis *flumina stillicidiaque*. Mentio fit Inst. Tit. de Servit. § 1. Et in Digestis sæpe. Qui loci explicantur antiqua illa prædiorum lege, quæ apud Varronem: STILLICIDIA FLUMINAQUE UT ITA FLUANT CADANTQUE. Ubi Varro: *Inter hæc hoc interest, quod stillicidium eo quod stillatim cadat, flumen quod fluit continue.* Quod explicant illa Pauli verba: *Digestis de Serv. urb. præd. L. Servitutes 20, § stillicidium 5, quia fit gravior servitus, id est, pro stillicidio flumen.* Hæc obiter.—Gr.—SCH.——*Heridani* BEG. (Ibid.) *primos*] de g. emend. sb. *primo* BEGg. (Ibid.) *deprendet*] s. *deprendat* gb. *deprehendat* BEG.—OR.

728. *Tempora noctes significet v. t. fidamve q.*] Legendum, ut supra exscriptum est.—Gr.—SCH.——*noctis*] de g. emend. sb. *noctes* BEGg.—OR.

729. *Significent*] de g. emend. sb. *significet* BEGg. (Ibid.) *ventosve*] BEGgb. *ventosque* s. (Ibid.) *fidamve*] de g. conj. sb. *fidamque* BEGg.—OR.

VI. NOTÆ AD PROGNOST. ARATÆORUM FRAGMENTA.

[*Ex edd. Schwartz. Burmann. et Orelliana.*]

Notæ ad Frag. I.—*Prognosticorum*] De libro hoc quid judicemus, supra diximus. Fragmentum prius ex Manuscripto est, in vulgatis deest: alterum longe majus ex vulgatis in Manuscripto deest. Prius hoc tractat generatim de signorum virtute ἁπλῶς καὶ καθ αὑτὰ, et de planetarum similiter natura, sed posterior pars imperfecta deest. In posteriori habes relationem et conjunctionem signorum duodecim cum planetis Venere et Mercurio. Desunt et hic nonnulla, ut in principio de Ariete: dubito annon et in medio, ut dicemus. Item post finem de aliis Planetis, Saturno, Jove, Marte: nisi de his prius tractârit. Gr.—SCH.——Habent hoc fragmentum Cdd. BEG. Abest ab AFP.—OR.

1. *Grandine permixtus A. n. q. c. Spargunt vicina tristis supra juga piscis*] Puto legendum, uti nunc expressum est. Aries montes altissimos nubibus spargit grandinosis et nivosis. Atqui, dices, magna nimis differentia inter *nubes* et *pisces*, quod in manuscripto legitur. Imo parva.

Astronomi olim, ut et alii artium professores, nomina usitatiora notis signabant talibus plerumque, ut aut primam tantum literam cum postrema, nonnunquam etiam cum mediarum aliqua referrent. Id ex variis notis Jurisconsultorum aliorumque est notissimum. Itaque pisces ita notabant PS. Sed Astronomi Prognostici una cum Meteorologicis nubes ita signabant NS. Sunt enim hæc vocabula sæpissime occurrentia: nam in iis, quæ ab usu sunt remota, notas imaginari est stultissimum. Hinc igitur natus error. Primæ vero utriusque vocis literæ etiam supra inter se commutationem passæ sunt, ubi pro *Pigra ministeria* MS. habet *nigra.* Gr.—SCH.——*Permixtas*] de g. emend. sb. *permixtus* BEGg.—OR.

2. De g. conj. sb. *Spargunt vicina tristis supra juga piscis* BEGg. (*pisces* E.)—OR.

3. *Et ventos excitat Aries*] Legendum, uti nunc expressum est. Gr.—SCH.——*Acres*] de g. conj. sb. *aries* BEGg.—OR.

4. *Fulmina t. c. i. I. e. t. I. emissus, &c.*] Ex repetitione vocis liquet, Cæsarem *tunc* scripsisse. Sed ex eo natus error, quod ea litera, quæ hanc vocem finire debuerat, sequentem inchoet. Lege itaque, uti nunc expressum est. Gr.—SCH.——*Fulmina tunc*] de g. emend. sb. *Fulmina tum* BEGg.—OR.

5. *Emissis*] E. a. sec. manu, ut volebat g. sb. *emissus* BE. (a pr. m.) Gg.—OR.

6. *Cærula*] maria videlicet. Vid. supra v. 154.—SCH.

7. *Dimittitur* Gg. contra BEsb.—OR.

9. *Cui pectora*] Forte *cum.* Leo erit siccus, sed tunc maxime, cum ea in parte spectatur ubi est pectus, et stella fervidissima, quæ βασίλικος appellatur. Gr.—SCH.——*Quum*] de g. conj. b. *cui* BEGgs.—OR.

11. *Vix rore in illo Scorpios assidue cælo minitabitur ignis Lentior in pluvias, magis invenit arva quieta Atque trucis ventos d. n. s. r. Sagittiferique rara descendit pluvia terris. Ægoceros alia spargit et frigora durat*] Hæc mutationibus et literarum transpositionibus ita puto emendanda, uti nunc expressa sunt. (nisi quod Grotius velit *Scorpius assiduos cælo minitabitur ignes Lentior in pluvias veniet: magis arva quieta,*) *Venti rigebunt,* ut infra *Et rigor accedit ventis. Sagittifero,* ut supra v. 6, *At Geminis leviter perstridunt cærula venti,* Ita enim nos restituimus, ubi MS. perperam habebat *Ad geminis leviter perstridunt cærula venti.* Sensus ultimi versus est, Capricornum aliis omnibus, hoc est, imbribus, fulminibus, tonitruis, ventis parsurum, sed sola frigoris vehementia nociturum. Aliter autem dixit *frigora durat,* quam infra *nive mœnia durant.* Nam hic est ποιητικὸν ibi præter vulgarem usum παθητικὸν, cujus tamen significationis in hoc verbo exempla et alibi reperias. Gr. Versui 13 convenientius tum quod ad ordinem tum quod ad sententiam pertinet, visum est *impetet,* donec melius verbum reperiatur. Tempestates quidem, quarum tonitrua nullæ comitantur pluviæ, periculosiores putantur. Malueram item v. 15, *diluvia arvis* vel *agris.* quanquam Grotii conjectura ferri queat interim.—SCH.—— *Rorat*] de g. conj. sb. *rore* BEGg.—OR.

12. *Scorpios*] BEGgs. *Scorpius* b. (Ibid.) *assidue*] BEGgs. *assiduos* de g. conj. b. *ignis* BEGg.—OR.

13. Omittit vv. 13 et 14 B. (Ibid.) *in pluvias magis invenit arva quieta*] Sic Gg. *in pluvias magis invenit arva ctur* (sic) E. *in pluvias veniet; magis arva quieta* de g. conj. b. *in pluvias magis impetet arva quieta* s. conj.—OR.

14. *Truces venti*] de g. conj. sb. *trucis ventos* EGg.—OR.

15. *Rara Sagittifero*] de g. conj. sb. *Rara Sagittiferi* E. *Sagittiferique*

rara BGg. (Ibid.) *descendunt flumina*] de g. conj. sb. *descendit pluvia* BEGg.—OR.

16. *Egocheros* BE. (Ibid.) *aliis parcit, sed*] de g. conj. sb. *alias spargit et* E. *alia spargit et* BGg.—OR.

17. *Falli vestigia passus*] Valde ineptum vocabulum *passus*. Malim *patitur vestigia falli:* Sed melius est, quod exprimi jussimus.—SCH. ——*Fallit*] s. conj. *falli* BEGgb.—OR.

18. *Lacies* E.—OR.

21. *Incumbit in cælum*] Versus bonus, phrasis optima, si legas: *Imbribus incumbit cælum.* Cætera satis sunt emendata, si modo ita distinguas, uti nos fecimus: nam in manuscripto nullæ hic distinctiones. Gr. —SCH.——*Imbribus incumbit cælum*] E. ut emendavit g. sb. *Imbribus incumbit in cælum* BGg. In B. *in* lineola notatum.—OR.

23. *Hæc ut quisque Deus possedit*] id est, stella, cui adesse et præesse Jupiter, Mars, et reliqui Dii putabantur. Memorabilem explanationem hujus versus suggeret Zoroaster in Geopon. lib. I. cap. 12, pag. 17-22. —SCH.

24. *Torpore* BE.—OR.

27. *Gran* (sic) E. *grande* g. (err. typogr.?)—OR.

28. *Accendit* E.—OR.

Notæ ad Frag. II.—*Ex Germanici Prognosticis Fragmentum ineditum*] Ut de Germanici, Principis eruditissimi, manibus, simulque de Musarum cultoribus bene mererer, hic, loco minime alieno, posteritati vindicare et in lucem proferre visum fuit insigne hoc, licet plurimis in locis fœde maculatum, Fragmentum hucusque ineditum ex Ejus Prognosticis: cujus Operis duo alia fragmenta exhibuit Hugo Grotius in Arateor. Syntagm. pag. 94 et 125, eaque valde etiam corrupta in Notis suis egregie emendavit: tertium edidit et emaculavit in notis ad Phænom. pag. 19, sed cui tamen XIV versus deesse adnotatum inveni in codice Scaligeri, in quo itidem legebatur, subjectis XXVIII versibus ex Festi Avieni Arateis v. 1740 et seqq. Tria ista fragmenta ex Grotianis emendationibus castigata etiam dedit Jo. Conr. Schwartzius post Aratea Germanici, edita in ejus Miscell. Philolog. et Theolog. pag. 136-150. Sed quartum hoc, si recte memini, nemo antehac produxit. Debetur illud vetustissimo Codici Puteaneo, ex quo in fine Schedarum suarum, quæ Scholiastem Germanici edito longe locupletiorem continebant, descripserat N. Heinsius, qui fragmenti hujus versum quintum decimum *Libra tumescentes* &c. ex illo codice adfert ad Ovid. Rem. Am. v. 83, antiquissimum vero hunc MS. esse testatur ad Heroïd. Epist. VI. 54. Ceterum sequebatur hoc carmen ex Prognosticis in isto Codice post v. 584. Phænomenor. Arateor. Germanici, *Quod si nube cava Solis via forte latebis,* reliquis istius operis deficientibus, continuato ordine, quo ultimum hujus fragmenti versum excipiebat alterum illud majus a Grotio post Avieni Arat. Phænomena editum pag. 125, quodque incipit *Ætherium venit* &c. In edendis autem his versibus servandas existimavi codicis ipsius lectiones non minus mendosas, quam in Fragmentis a Grotio editis, ut habeant Viri docti, in quibus vestigia vetustæ membranarum scripturæ sequantur, si in iis castigandis acumen Criticum exercere nitantur. Adjungam interim conjecturas nonnullas, quæ ad maculas locorum depravatorum eluendas nonnihil forte auxilii suppeditabunt.—BURM.

1-50. Constituunt Fragmentum illud, quod ex apographo Heinsiano Codicis Puteanei primus edidit Burmannus in Anthol. Lat. V. 51, Tom. II. p. 338, exstatque etiam in Cod. Basileensi, cujus scripturam in omnibus

vel vitiosissimis fideliter expressimus, adeo, ut de erroribus typographicis cogitandum non sit, exempli gratia in his: *falet, tari, subterpater, acri leonis, equate, Siocatis, æthæ, Adigeret, aflavit, quacolitæ* etc. In utroque Codice sine ulla divisionis nota legitur post Phænomenon v. 585. *Quod si nube cava Solis via forte latebit. p* significat Apographnm Puteaneum, *Bu.* Burmannum.—OR.

1. *Jupiter est illo læto magis, hic ubi solus*] Legendum arbitror: *Jupiter est illo lætus magis, hic ubi Solis Vitavit flammas*, &c.—BURM.——*lætus* Bu. *ubi* p. *Solis* Bu.—OR.

2. *Proprio* p.—OR.

3. *Fallit* p. Sed leg. *fallet.*—OR.

4. *Balavit*] Scribe *balabit*, et v. 7, *Destituat.*—BURM.——*Mugiet e stabulis* p. *balavit* p. *balabit* Bu. (Ibid.) *ovili* p.—OR.

6. *Distituat* p. *Destituat* Bu. (Ibid.) *tauri* p.—OR.

7. *Datas* p.—OR.

8. *Adiit*] Sic correxerat Heinsius. *adit* in MS.—BURM.——*Atque adit geminos* p. *adiit* Heins.—OR.

9. Lege *rabidos. æstus* p.—OR.

10. *Et Leo terribilis sub te pater ipse repellit*] Interpungendum: *Sub te, Pater, ipse repellit.* Ita enim Manilius, lib. II, p. 441: *Jupiter et cum matre Deûm regit ipse Leonem. Pater* ἁπλῶς est Jupiter. Virg. I. Georg. 283: *Ter Pater exstructos disjecit fulmine montes.* v. 283: *Ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca. Fulmina molitur dextra.* Et v. 353: *Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret: Quo signo caderent Austri.*—BURM.——*sub te, pater* p.—OR.

11. *Et Ditis lumina cludit*] *Limina claudit* recte Heinsius. Notum illud Propertii, Lib. IV. El. xi. *Panditur ad nullas janua nigra preces.* Manilius, Lib. II. 950: *Ne mirere, nigri si Ditis janua fertur, Et finem vitæ retinet, mortique locatur.* Vide Goldast. ad Columban. Carm. II. v. 55: *Nigri reserantur limina Ditis.*—BURM.——*Instantes* p. *lumina cludit* p. *limina claudit* Heins.—OR.

12. *In Virgine sorbere vota*] *Solvere* haud dubie corrigendum.—BURM. ——*solvere* Bu.—OR.

13. *Et spice pendent, &c.*] Hæc ita emaculabat N. Heinsius: *Et spicea pendet Ante larem primum perfecta messe corona.* Verissime. Intelliguntur enim coronæ, quibus Cererem, aliaque numina agrestia, et Lares rurales ornabant, ut in illo Tibulli, Lib. I. El. 1, 19: *Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona Spicea, quæ templi pendeat ante fores, &c. Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri Custodes, fertis munera vestra, Lares.* Ubi Elegantissimas Broukhusii notas consule. Recte etiam *persecta messe*, pro *perfecta.* Ut apud Ovid. I. Amor. 15, 12: *Dum cadet incurva falce resecta Ceres.* Ubi *seges* in aliis. Sed alterum Heinsius probat ex versu in Catalectis Pithœi: *Hic gaudet curva falce resecta Ceres.* Qui est ex Epigr. de Navigatione, quod edidi Tom. I. pag. 504. Sed ubi *recisa* legitur. Rem. Am. 191: *Temporibus certis desectas alligat herbas, Et tonsam raro pectine verrit humum.* Ubi *decerptas* in cod. Palatino. Sed *desectas* vindicat Heins. et de fœno exponit. Quod firmatur ex XIV. Met. 646, de Vertumno: *Tempora sæpe gerens fœno religata recenti, Defectum poterat gramen versâsse videri.* Idem Vertumnus apud Propertium IV. 2, 26: *Da falcem, et torto frontem mihi comprime fœno, Jurabis nostra gramina secta manu.* Ubi *semina jacta* male in Dorvilliano secundo. *facta* in aliis.—BURM.——*Jam tum maturæ* p. *et spice pendent* p. *et spicea pendet* Heins.—OR.

14. Fortasse *Ante Larem patrium.* (Ibid.) *perfecta messe* p. *persecta messe* Heins. *corona* p.—OR.

15. *Tumescentes* p. *percoquit uvas* p.—OR.

16. *Scorpion ingrediens tua Libra munera c̄dit*] *Condit* recte Heins. Sed et *Libra* vitiosum est, et pro eo legendum conjiciebat Janus Helvetius, variæ et solidæ doctrinæ atque amicitiæ nomine carissimum mihi caput, *tua, Liber, munera,* vinum nempe. Ut in illo Horatii IV. od. 15, 26: *Inter jocosi munera Liberi.* Virg. III. Georg. 525: *Non Massica Bacchi Munera, non illis epulæ nocuere repostæ.* Supra Lib. IV. Ep. clxxix: *Reddat et Autumnus Bacchi tibi munera semper.* Sic *munera Cerealia,* et sim. vid. Heins. ad Ovid. Rem. Am. 173. Idem v. 20, suspicabatur emendandum: *Si statuit cursus quocumque in sidere fessos.* Sed currus hosce Jovi, deo summo, a veteribus tributos, e quibus fulmen et tonitru ejaculabatur, vindicat sequens versus *Lanigero tonat,* seu in Ariete, et præsertim illud Horatii Lib. I. od. 12, fin.: *Tu gravi curru quaties Olympum, Tu parum castis inimica mittes Fulmina lucis.* Et Od. 34, 8: *Namque Diespiter Igni corusco nubila dividens, Plerumque per purum tonantes Egit equos, volucremque currum.*—BURM.——*Scorpion* p. (Ibid.) *Liber* Helvetius. *c̄dit* p. *condit* Heins.—OR.

17. *Sagitterum* compendio scripturæ pro *sagittiferum,* ut edidi, erat in cod. Putean. et v. 22, *hiberni* pro *hibernis.*—BURM.——*sagitterum* p. *reddit* p.—OR.

18. *Nunquam lætæ hiemi* p.—OR.

20. *Si statuit* p. *fessos* p.—OR.

22. *Hibernis* Bu.—OR.

23. *Atque Phæbeus Mavors*] Sine dubio scripserit Germanicus: *At quum Phæbeos Mavors effugerit ignes.* Et paullo post v. 26, pro *imbris furor* castigandum puto: *Aut arcu pollens, aut imbris fusor habebit.* Ut primo versus membro Centaurus Chiron intelligatur, qui similiter *arcu pollens* dicitur in carmine Asclepiadii supra edito Ep. xxxii. et passim *arcitenens, arcu minax,* vel *arcum tendens* in iisdem Epigrammatib. de Signis Cœlestibus. *Imbris* autem *fusor* est Aquarius. Ut in Juliani Epigr. xxix. *Armatusque arcu Chiron, et Corniger Hircus, Fusor aquæ simul, et fulgenti lumine Pisces.* Ep. xxxv. *Atque amnem fundens, et Pisces sidus aquosum.* Et Ep. xxxix. *Quique refundit aquas, et Pisces ultimus ordo.* Hinc in loco Manilii, Lib. II. 273: *Post hunc inversam defundit Aquarius urnam.* Ut legendum, non *inflexam diffundit,* notavi, supra pag. 334, quod firmatur ex pictura Mensium e vetustis codicibus edita a Lambecio, Bucherio, aliisque, ad Epigrammata de Mensibus (de quibus infra) in Februario, ubi inter alias figuras urna Aquarii, a quo mensis ille incipit, aquam effundens conspicitur.—BURM.——*Atque Phæbeus* p. *At quum Phæbeos* Bu.—OR.

24. *Sive Aries Geminique deum, sive acre Leonis Sidus*] *Acri* scriptum erat in cod. Putean. *acre Leonis sidus* dicit, ut *animosa Leonis signa* Propertius, Lib. IV. El. I. 107, pro *deum* Janus Helvetius corrigendum censebat *domum,* vel *diem,* voce hoc sensu Manilio et Virgilio quoque adhibita. Singulis enim stellis sua datur *domus,* seu *sedes,* qua voce etiam Manilius utitur. Auctor Fragmenti post Censorinum editi, cap. 3, fin. *Multum refert, cujus quæque stella domus sit, alienæ an ipsius: Domus Solis est Leo.* (in MSS. *cujus quæque stellæ domus; alienæ an ipsius sit. Domus Solis Leo.*) *Lunæ Cancer. Mercurii Virgo et Gemini. Veneris Libra et Taurus. Martis Scorpio et Aries. Jovis Sagittarius et Pisces. Saturni Capricornus et Aquarius.* Sic *domus* de ventis, apud Virg. I.

Georg. 371: *Eurique Zephyrique tonat domus.* V. 29, idem legendum putabat: *His idem lentos Pisces cum supprimit ignis.* Priora enim omnia Zodiaci sidera memoraverat, in quæ aliquod Martio sideri imperium. *Lentos* autem dixit, quia, ut ait Germanicus in Phænomenis, v. 243: *Non illis liber cursus, sed vincula cauda Singula utrumque tenent uno coëuntia nodo.* Quod patet ex Icone, pag. 39, ed. Grot. seq. versu *tenebit* scribendum pro *tenebat,* et v. 33, *steterint* pro *steterit.*—BURM.—— *Geminique* p. (Ibid.) *domum* Helv. *acre Leonis* Bu.—OR.

25. *Sydus* p. *æquatæ* p. *Chelæ* p.—OR.

26. Hic v. in Cd. A. geminatus e præcedd. duobus abest a p.—OR.

27. *Fusor* Bu.—OR.

28. *Siccatis*] p. (Ibid.) *nebulis hebetabitur* p.—OR.

29. *Præcipites agitabunt* p.—OR.

30. *Supprimit* p. *His idem lentos Pisces quum supprimit ignis* Helv.—OR.

31. *Velliger et* p. *statione* p. *tenebat* etiam p. *tenebit* Bu. ut A. a sec. m.—OR.

32. *Tunc* p. *tonitru* p. *æther* p.—OR.

33. *Nimbos* p. *nubes* p.—OR.

34. *Steterint* Bu. sed requiritur potius *sciderit,* ut est Phænomenon, v. 423.—OR.

35. *Effundet totas violentior * numine vires*] Nic. Heinsius in margine apographi conjeceret *violento murmure,* vel *turbine,* quod melius, quia *murmura Tauri* mox sequuntur. Sed retineamus *violentior,* et cum Jano Helvetio potius legamus: *Effundet totas violentior agmine vires.* Ut *immensum agmen aquarum* Virgilio I. Georg. 322: *Sæpe etiam immensum cœlo venit agmen aquarum, Et fœdam glomerant tespestatem imbribus atris Collectæ ex alto nubes.* Sequenti versu corrigendum *At modicos imbres proni cum murmure Tauri. pronum Taurum* intellige, ut supra Ep. xl. *Inflexusque* (sic legend.) *genu projecto corpore Taurus.* Sed totum locum idem Janus Helvetius versu uno transposito sic constituendum divinabat: *Sed magis hibernæ steterint cum sidera partis, Frugiferamque Deam vel brumalem Capricornum, At modicos imbres proni cum murmure Tauri Aliger, et liquodo non sævus ab æthere findet, Infertus Cancro, terras, cum letifer ortu Sirius adflavit nocituro, temperat æstus.* Post versum vero secundam aliquid deësse putabat, cum sæva omnia in Virgine et Capricorno moveat. Vide secundum Germanici Fragmentum apud Grotium, p. 127, dein verissima emendatio est, *liquido non sævus ab æthere findet, Insertus Cancro, terras. Terras findere* Sirii ad instar, notum quid sit. Mercurium non fissurum terras rapido sub sidere Cancri, docent sequentia *cum letifer ortu Sirius adflavit nocituro, terras* nempe, quod repetendum, ut in illo Virg. V. Æn. 739: *Et me sævus equis Oriens adflavit anhelis.* Illa autem *ortu nocituro* interpunctione discernenda a sequentibus, et *nocituro* corrigendum erat pro *nocituros.* Tum *temperat æstus* legendum pro *æstas.* Nimirum quia *juvat aura Favoni,* ut est in fragm. apud Grot. pag. 127, et sic legendum in Arateis, de Sirio, v. 352, pag. 60, ex vetusto Scaligeri codice: *Cum tetigit Solis radios, accenditur æstus.* Non *æstas.*—BURM.——*violentior numine vires* p. *violento turbine* vel *murmure* Heins. *violentior agmine* Helv.—OR.

36. *Provi* (sic) *cum murmura* p.—OR.

38. *Aliger et* p.—OR.

39. *Lethifer* p.—OR.

40. *Strius afflavit* p. (Ibid.) *æstas* p. Totum locum sic constituit Helvetius: *Sed magis hibernæ steterint quum sidera partis, Frugiferamque*

Deam vel brumalem Capricornum, At modicos imbres proni cum murmure Tauri Aliger et liquido non sævus ab æthere findet, (sic) *Insertus Cancro, terras, quum letifer ortu Sirius adflavit nocituro, temperat æstus;* in quibus insunt alia probabilia alia prorsus rejicienda, veluti *cum murmure Tauri,* et *nocituro.*—OR.

41. *Scorpios ad prime qua' colit*] Verissime Heinsius *at primæ qua tollit acumine caudæ.* Dein vitiosam codicis scripturam sic emaculo: *Martia non illos turbabunt tela neque imbres, Aut ulla condent.* Nisi *condet* referendum ad *aerem victum* in seq. versu. Ubi *di* pro *si* in cod. Putean. deinde pro *aqua* et corrupta lectione *Rim rigor,* cogitabam: *Et ventos aut fundet aquas, gelidissimus unde Fit rigor.* Sed *gelidissimus undæ* (vel *undis*) *Irruet,* vel *Ingruet, et toto Boreas,* &c. præferebat amicissimus Helvetius.—BURM.——*ad prime qua colit acumine* (sic) *cauda* p. *at primæ qua tollit acumina caudæ* Heins.—OR.

43. *Itelaneque* p. *Martia non illos turbabunt tela neque imbres* Bu. *Martia non illos turbabit stella neque imbres* Helv.—OR.

44. *Haud ulla condet* p. *Aut ulla condent* Bu.—OR.

45. *Sed di* p. *Sed si* Bu.—OR.

47. *Rim rigor* etiam p. *Fit rigor* Bu.—OR.

48. *Ad * flaciles glebæ * basta stringit frigore verno*] Ductum mendosæ membranarum scripturæ secutus hæc et sequentia sic constituenda arbitror: *At faciles glebas astringit frigore verno Alma Venus, Pecudis claro cum vellere fulsit Sub lucem exoriens.* Primo nempe versu *glebas astringit* librarii manus voluit, hæsitans an *glebæ* vel *glebas* scriberet, unde enatum *glebæ bas ta stringit:* seq. versu *Pecudis claro cum vellere,* litera majuscula, Arietis nempe. Ut in fragmento apud Grotium, pag. 126, in fin. *Cum Pecudis villis auratum fulserit astrum.* Ubi Heinsius conjecerat *Cum rutilum villis auratis fulserit astrum.* Ultimum versum, a quo incipit fragmentum majus a Grotio editum, sic ex editione Astronom. veterum Aldina, an. 1499, ubi legitur post *Hydram,* (nam duo minora ex MS. produxit Grotius) in suo Syntagmate exhibuit: *Ætherium venit thalamum super imbribus atrum, Et tonitru, crebraque abscondit grandine terras.* In notis vero, pag. 27, legendum existimat: *Ætherium venit Taurum super, imbribus atris, Et tonitru,* &c. Illud enim fragmentum de Stella Veneris a Tauro incipere notat, recte odoratus aliquid de Ariete deësse: quod hic modo præcessit *Pecudis claro cum vellere fulsit Sub lucem exoriens.* In codice autem Puteaneo *Æthereum venit austros super imbribus astros,* vitiose legebatur, sed *Taurum super, imbribus atris,* bene conjecisse videtur Grotius, nisi malis cum Jano Helvetio: *Eademque ubi terga reliquit Arietis, in Taurum venit super, imbribus atris,* &c. *super,* pro desuper, vel superne. *Arietis* prima longa et trisyllabice, ut in *Abiete,* et sim. *imbribus atris* verissima lectio est, ut in illo Virgilii I. Georg. 235, de zonis: *Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris.* Ex quo verissime Bentleius ad Horat. III. od. 24, 39, corrigit locum Firmici, Lib. I. Astrolog. cap. 4, de Virgilianis his versibus expressum: *duæ vero quæ extremas mundi partes continent, dextris lævisque lateribus inhærentes, cæruleo colore signatæ, atris semper imbribus* (male vulgo *nubibus*) *inundantur, et concretæ* (non *concreta*) *glacie et sempiternis pruinis et duratis gelu nivibus obsidentur.* Ceterum continuato tenore hæc et sequentia Fragmenti illius, ab Aldo et Grotio editi, connectebantur cum fragmento hoc codicis Puteanei, unde primi illud produximus, quod diligentiori cura, ut speramus, viri eruditi emaculare dignabuntur.—BURM.——*Ad flaciles glebæ bas ta stringit* p. *At faciles glebas astringit* Bu.—OR.

49. *Vellere fulsis* p. *vellere fulsit* Bu.—OR.
50. *Sub lucem* p.—OR.
51. *Æthereum venit thalamum*] Incipit hoc fragmentum de stella Veneris a Tauro. Deest itaque de Ariete, ut diximus. Legendum vero puto, uti nunc expressum est. Nam de Tauro loqui certum est, cum sequantur Gemini. Gr.—SCH.——Versus 51-162, habent Cdd. AF. Ed. princeps. Absunt a BEG. (Ibid.) *æthereum* Cd. Putean. (Ibid.) *venit Taurum super*] de g. conj. sb. *venit austrus super* A. *venit austros super* Cd. Putean. *venit Taurus sub* F. *venit in thalamum super* P. *venit thalamum super* g. *hymbribus* P. (Ibid.) *atris*] (F. ?) de g. conj. sb. *astros* A. Cd. Putean. *atrum* Pg.—OR.
53. *Credeo* A.—OR.
54. *Nec*] AFgsb. *ne* P. (Ibid.) *putes*] (F.) Pgsb. *puta* A.—OR.
55. *Fons erit ardentis, tamen hoc in litore*] Lego, uti nunc expressum est. Eleganter. Dixit neque nubila diuturna fore, neque serenis credendum: auram videlicet fore variam et instabilem. Subjungit, hoc unum certum esse, nil certum putare. Simili phrasi aliquis fortunam in sola inconstantia constantem dixerit. Gr.—SCH.——*Fulserit*] de g. conj. sb. *Funserit* A. *Fons erit* FPg. (Ibid.) *ardentis tantum hoc nil sidere*] de g. conj. sb. *ardentis hoc in litore* (om. *tantum*) A. *ardentis tamen hoc littore* P. (De F. non satis constat, præterquam quod is quoque habet *litore*.) *ardentis, tamen hoc in littore* g. *certam* A.—OR.
56. *Flagrantis placide lucens hic . . . Nemeæis*] Conjicio, uti nunc expressum est. *Temperat annum*, ut supra, *Temperat in Geminis annum.* Gr.—SCH.——*Placidi* A. (Ibid.) *lucis vis*] de g. conj. sb. *lucens hic* AFPg. omittit *annum* A.—OR.
57. *Quum posuit*] Agsb. *Composuit* FP. (Ibid.) *Nemeæi* de g. conj. sb. *nemeis* AF. *nemæis* P. *Nemeæis* g. (Ibid.) *astri*] de g. conj. sb. *astris* A. *astrum* FPg.—OR.
58. *Virgineque et Libra*] (F. ?) gsb. *Virgineq. librat* A. *Virginis et Libra* P.—OR.
60. *Nunc quoque n. f. cælum c. S. acer*] Lego, uti nunc expressum est. Multis de causis similia sunt signa, Cancer et Scorpius: quare Germanicus similem tribuit effectum variantis auræ. Gr.—SCH.——*Tunc*] (F. ?) de g. conj. sb. *Nunc* APg. (Ibid.) *cælo*] de g. conj. sb. *cælum* AFPg. (Ibid.) *acrem*] de g. conj. sb. *acer* AFGg.—OR.
62. *Tum Jupiter ignibus O. aut g. c. q. d. p. astra Immitis g. cælo q. &c.*] Corrigo, *Heu quantis terras tum Jupiter imbribus omnes Obruet! heu glomerata cadit quam densa per æthram Immitis grando, cælum quam sæpe sonabit.* Tria ait metuenda, imbres, grandinem, tonitrua. Gr. Nostra conjectura literis propior. *Densa astra* sunt cœlum aqua plenum. vid. infra v. 39.—SCH.——*Tum*] (F. ?) gsb. *cum* AP. (Ibid.) *imbribus*] de g. conj. b. *ignibus* AFPgs. *omnis* AFP.—OR.
63. *Heu* g. conj. elegans, sed non prorsus necessaria b. (Ibid.) *quam*] APgb. *quum* s. (De F. non satis constat.) (Ibid.) *æthram*] de g. conj. b. *astras* A. *astra* FPgs.—OR.
64. *Jam mitis* A. (Ibid.) *cælum*] A. (firmans conj. g.) b. *cælo* FPgs. *quem* F. *sonavit* A.—OR.
65. *Singulaque ignis*] elegans emendatio: *tendentis spicula signi τοῦ τοξότȣ.* Gr.—SCH.——*Attingerit* A. (Ibid.) *spicula signi*] de g. conj. sb. *singula signis* A. *singulaque ignis* FPg.—OR.
66. *Non flamina deerunt*] Hic distinguendum. Nam quod sequitur, ad Capricornum referendum. Gr.—SCH.——*Derunt*] A. *deerunt* (F.) Pgsb.—OR.

68. *Ignes*] forte *imbres*. Et quomodo gelidi ignes? Gr.—SCH.—— *Egoceri cytheus* A. *Agoteri cithereius* P.—OR.

69. *Horridus*] (F.) Pgsb. *Umidus* (sic) A. (Ibid.) *at gelidos*] gsb. *ad gelidos* FP. *ad cælidos* A. (Ibid.) *imbres*] de g. conj. sb. *ignis* AFPg.—OR.

70. *Concretaque grando*] Hic finitur periodus. Deest versus unus aut alter de piscibus, qui propterea ab imperitis hominibus omissi, quia sequitur: *Piscibus a geminis sub prima recurrerit astra Hesperus.* Hoc est: Venus a piscibus regressum facit ad Arietem. Ita Beda cum primum numerâsset diem Solis, post septimum subjungit: *Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.* Gr.—SCH.——*Concratq.* (sic) A.—OR.

71. *Recurret in astra* A.—OR.

72. *Cum Lucifer ora*] Sensus est: Hæc signa sunt a Venere summo mane edita. Quæ jam sequuntur, ad vesperam pertinent. Non dubium vero est, quin eadem stella Veneris matutino tempore *Lucifer* dicatur, quæ vespertino *Hesperus*. Isidorus: *Fertur autem quod hæc stella oriens Luciferum, occidens Hesperum facit.* Ita enim legendum potius, quam *Vesperum.* Quanquam et vulgata lectio tolerabilis, si quidem Latinis *Vesper* ipsam quoque stellam denotat. Cæterum *Lucifer ora* dixit, ut Tiberianus: *Aureos subducit ignes sudus ora Lucifer.* Sed neutrum recte intelligo, dubitoque annon *luce priore* sit legendum, hoc est, *crepusculo matutino.* Gr. Non dubito, quin *lucifero ore* vera sit lectio.—SCH.—— *Hesperos*] bis A. *Hesperus* Cett. (Ibid.) *signa feret quum*] FPgs. *signa refert* b. *signalabitum cum* i. e. *signa dabit, quum* A. (Ibid.) *lucifer ora*] FPg. corrupte. *lucifer curora* (sic) A. *lucifero ore* s. conj. *luce priore* de g. conj. b.—OR.

73. *Ingreditur*] FPgsb. *Ingrediens* A. In lectione A. latet fortasse: *quum Lucifer audit* (i. e. appellatur), *Ingrediens Venus* cet.—OR.

74. *Æthereos* F. (Ibid.) Fortasse: *noctem inducere.*—OR.

75. *Ecce hæc Cytherea*] (F.) gsb. *ecce Cytherea* P. *exoriens hæc cæcytherea* A.—OR.

76. *Hymbres* P. *cavere imbres et fulgera*] (sic) *comamenalto* (sic) A. —OR.

77. *Irradiaverit*] puto *ut radiaverit.* Gr.—SCH.——*Phryxa* superscr. *e.* A. (Ibid.) *pecus ut radiaverit*] de g. conj. sb. *pecus irradiaverit* FPg. *pecudis radiaverit* A.—OR.

78. *Cum mixtusque tragor* (sic) *pluviabilibus* (sic) A.—OR.

79. *Tum stantia*] *instantia* malim, et versu sequenti, *Et cælo diri dejecti grandinis ictus.* Sed sensus adhuc mutilus. Deest itaque versus. Gr.—SCH.——*Terris instantia*] de g. conj. sb. *terris tum stantia* AFPg.—OR.

80. Sic scripsi. *Diræ cælo dejecti grandinis* (omisso *et*) A. *E cælo diri dejecti gr.* Pg. *Est cælo diri dejecti gr.* F. *Et cælo diri dejecti* de g. conj. b. *Et cælo diræ dejecti* s.—OR.

81. *Vere magis nitido T. c. s. f. Appota geminis eadem constantia præstat*] Conjicio, uti nunc expressum est. Liquet ex sequentibus. Gr.— SCH.——*Ver magis infidum*] de g. conj. sb. *Vere magis nitido*] AFPg. (Ibid.) *fulsit*] Agsb. *fulxit* FP.—OR.

82. *Apportat*] (F.?) de g. conj. sb. *Adponi* A. *Appota* (sic) Pg. (Ibid.) *inconstantia*] de g. conj. sb. *constantia* APg. (Ibid.) *perstat*] Sic scripsi. *peristat* A. *præstat* Pg. *præsto est* de g. conj. sb. (De F. non satis constat.)—OR.

83. *Inducet*] A. *inducit* (F.) Pgsb.—OR.

84. *Subito* A. (Ibid.) *mirabere*] A. (F.?) gsb. *mirabiles* P.—OR.

85. *Et modo te vento gelido, modo protinus imber*] Sensus postulat, *Et modo cum vento, gelido, &c.* Inconstantiam auræ denotat. Gr.—SCH. ——*De vento*] s. *te vento* AFPg. *cum vento* de g. susp. b. *gelido protinus* om. *modo* A. (Ibid.) *imbre*] A(F)gsb. *hymber* P.—OR.

86. *Lucens*] gsb. *Lucent* FP. *Lucet et alternavit nube s.* A.—OR.

87. *Sin levis ingressa*] Nullus sensus, ni legas, uti nunc expressum est. Gr.—SCH.——*Si Venus*] de g. conj. b. *Sin Venus* s. *Sin levis* AFPg. *canri* P.—OR.

88. *Nonnulli corpore soles, &c.*] Lege, uti nunc expressum est. *Alieno tempore* hoc est, inimico, ἀλλοτρίῳ. Gr.—SCH.——*Non ulli*] (F. ?) de g. emend. sb. *nonnulli* APg. (Ibid.) *corpora*] A. (firmans g. conj.) s. *corpore* Pgb. De F non satis constat.—OR.

89. *Densi* A.—OR.

91. *Cum* F. *sidera* A.—OR.

92. *Ac rapidis*] Epithetum est vulgare, simili hic ratione positum, ut alibi *æstatem rapidam* dixit. Quanquam *rabidi* epithetum utroque loco restitui possit. Gr.—SCH.——*Ac*] Pgsb. *Ad* A. *At* F. *rabidis* recta g. susp. (Ibid.) *eadem*] A. *idem* (F.) Pgsb. *æstuat* AP.—OR.

93. *Efficient magni conspectu signa, &c.*] Malim hoc quod nunc expressum est. Et sequenti versu pro *plerique* non immerito aliquis substituerit *plenique*. Gr.—SCH.——*Efficiet*] A. (firmans g. conj.) sb. *Efficient* FPg. (Ibid.) *magni signo conspecta*] A. *magni conspectat signa* F. *magni conspecta* (sic) *signa* P. *magni conspectu signa* g. *magni quum spectat signa* de g. conj. sb.—OR.

94. *Plenique* de g. conj. s. *plerique* AFPg. *plenaque* b. *flagores* A.—OR.

96. *Detrahit....repellit....cœlumque, &c.*] Nullus sensus in hisce versibus: quare hæc mutanda. Quid si hoc modo? *Attrahit autumno pluvias, eademque repellit Nubibus assiduis Chelæ: neque frigora prima Extremum autumni superet glacialia Libræ.* Attrahere et repellere plane contraria, ut sciscit Peripateticorum schola. Libra attrahit quidem humores, sed non resolvit, ita ut nubes semper pendeant. Ita alibi: *semper pendentia tantum Nubila continua magis in statione manebunt.* Itaque et dat pluvias et aufert. Frigus vero adfert extremum, adeo ut neque extremum Autumni τὸ φθινόπωρον ἢ μετόπωρον algore vincat autumni principium, quod per Libram noscitur. Ut cum Venus est in ariete, veris initium dixit: Venus enim et Sol pari spatio ferme cursum perficiunt, ut liquet. Gr. *Cœlum* an *Corum?* *Terræ* et *libræ* plerasque literas habent communes, et sententiam fundunt commodam. Igitur vera lectio restituta videtur.—SCH.——*Detrahit*] AFPgs. *Attrahit* de g. conj. b. (Ibid.) *replevit*] A. *repellit* FPgsb.—OR.

97. *Cœlum ob*] A. *cœlumque ob* FPg. *cœlum, ne* s. *Chele; neque* de g. conj. b. (Ibid.) *frigora*] FPgsb. *frigore* A.—OR.

98. *Superent*] AFPgsb. *superet* g. suspic. (Ibid.) *glacialia terræ*] FPg. *glaciaterrorore* (sic) A. *glacialia Libræ* de g. conj. sb. In Add. s. sic.: *cœlum, ne frigora prima Extremum autumni superent glacialia, Libra.* Quum nec Grotii nec Schwartzii rationes rectam sententiam præbeant, corrupta servavi.—OR.

99. *Ne quis cava terra gravetur*] Forte, *ne quid cava terra gravetur:* quanquam malim *ne quid cava terra queratur*, ut sit sensus: Quanquam in Virgine et Libri aura fuerit ingrata et pluvia, tamen Scorpios pluviis abstinens efficiet, ne quid terra possit queri.—Gr.—SCH.——*Scorpius* b. *ad raris* A. (Ibid.) *ne quid*] de g. conj. sb. *ne quis* AFPg. (Ibid.) *gravetur*] AFPgs. *queratur* de g. supervacanea conj. b.—OR.

100. *Ad diros omnia nimbos Continuosque ruit distincta,* &c.] Forte: *At diris omnia nimbis Continuisque fluent,* &c. In Sagittario, inquit, omnia fluitabunt præ nimbis nimiis. Grot. Sed ego malim suspicari *feretur* pro *tenetur* et *rapide;* ut et versus leges serventur, et sententia evadat facilior. *Ruent* quia propius aberat a vestigiis veteris lectionis, retinui.—SCH.——*pluvis* A. (Ibid.) *at diris omnia nimbis*] de g. conj. sb. *addiris o. nimbos* A. *ad diros o. nimbos* FPg.—OR.

101. *Continuisque*] AFP. (prob. g.) sb. *Continuosque* Morel. g. (Ibid.) *ruent*] s. *ruet* A. *ruit* FPg. *fluent* de g. conj. b. *sinua* A. (Ibid.) *feretur*] de g. conj. s. *tenetur* AFPgb.—OR.

102. *Rapide* dedi de g. conj. *rapida* AFPgsb. (Ibid.) *distenta*] de g. conj. sb. *distincta* AFPg.—OR.

103. *Hymbres* P. (Ibid.) *fulmine*] A. firmans conj. Wakefieldi ad Lucret. 2, 1102. *lumine* FPgsb.—OR.

104. *Elidet*] Pgsb. *eludet* F. *etludet* A.—OR.

105. *Mortalia numina v.*] Forte: *mortales numina vincent.* Hoc est, dii homines fulminibus et tonitruis superabunt ac terrefacient. Grot. Ego malim *mortalia lumina vincet,* id est, oculos mortalium terrebit, ut nictent.—SCH.——*cæli* F. (Ibid.) *mortalia lumina vincet*] s. et Wakef. l. l. *mortalia numina vincent* AFPg. *mortales numina vincent* de g. conj. b.—OR.

106. *Aquarius imbrem*] Hic nota ponenda sententiæ completæ.—Gr. —SCH.——*hymbrem* P.—OR.

107. *Extremis sævis*] *Extremi* legendum, ut in catalectis, *Pisces ultimus ordo.* Sequenti quoque versu malim *notavit.*—Gr.—SCH.——*Extremi*] A. (firmans g. conj.) sb. *Extremis* FPg. *sævi* A. (Ibid.) *increbrescere*] Agb. *increbescere* (F.) Ps.—OR.

108. *Ostendent*] A. *Ostendunt* (F.) Pgsb. *venerisq; stella* A. (Ibid.) *notarit*] FPgs. *notarint* A. *natavit* de g. conj. b.—OR.

109. *Est* A. (Ibid.) *certis exstat via*] FPgsb. *certis ratiuiam* (sic) A. Quum v. *exstat* et per se hic admodum langueat et suspectissimum fiat propter varietatem Cd. A., equidem puto fuisse: *Et quoniam certis satis est via cognita signis.*—OR.

110. *Moveat mundo*] Potest hæc lectio tolerari. Sed an mavis *moneat mundum?* Gr. Ego vero nolim. *Cyllenius ignis*] Id est, Mercurius. Dicitur autem Cyllenius a monte Arcadiæ Cyllene, in cujus vertice templum Mercurii situm est. Vid. Pausan. lib. VIII. c. 17, pag. 633, Stephanus de Urbib. in Cyllene, pag. 487, adde notam Berckelii. Strabo, lib. VIII. pag. 595.—SCH.——*quid moveat mundo*] gsb. *quid moveat mundu* (sic) A. *quod moneat mundo* F. *quid moneat mundum* g. susp. Omittit hunc v. P. Unde autem suppletus est jam ante Grotium? Certum hoc est vestigium, ab Editore aliquo post Pisanum inspectum esse codicem, simillimum sane Siciliensi; alioqui plura is supplevisset, mutâsset, correxisset.—OR.

111. *Effugerit* A.—OR.

112. *Matutina ferens*] Hypallage est, pro matutinos cursus per solita sidera. Simile illud Poetæ Æneid. VI. 268: *Ibant obscuri sola sub nocte per umbram.* Gr. In meis libris est: *Ibant obscura soli sub nocte per umbras.*—SCH.——*solitus* A. *sydere* P.—OR.

113. *Cum pecudum*] *Pecudis* legendum, hoc est, Arietis. Infra: *Cum regna Tonantis Ingrediens pecudis redit intrans aurea terga.*—Gr.—SCH. ——*pecudis villis*] de g. conj. sb. *pecudum villis* FPg. *pricum ullis* (sic) A. *aurati* A.] *auratum* FPgsb. *fulxerit* FP. *astro*] A. *astrum* FPgsb. Sed h. l. ut in seqq. subjectum est *Cyllenius ignis.*—OR.

114. *Dira* A.—OR.

115. *Patienti tempore*] Legendum puto: *Non intermisso quatiendi tempore surgent.* Sensus clarus. Sequentia ita puto concinnanda: *Quin pluvias alias etiam in regione notabis Affore, non minimus namque est tunc imber in arvis.* Nam, ut nunc legitur, nullum habet sensum. GROT. Ego pro *patienti* præoptem *pariendi.* Est autem ver tempus pariendi. Dolet autem Auctor, tonitrua cum grandine fere juncta pariendi tempore exaudiri, quoniam fragor eorum ova magno cum agricolarum damno pere dit. Vid. Columellæ lib. VIII. c. 5. Sed pro *alias etiam* certum est illud nostrum *alias alia,* et pro *non omni* ... *arvis* ponendum videtur *non omni—arvo.* Grotii *non minimus* a vestigiis literarum longius recedit.—SCH.——*patiendæ*] A. *patiendi* FPg. *quatiendi* de g. conj. b. *pariendi* s. conj.—OR.

116. *Alias pluvias* A. (Ibid.) *alia in*] s. conj. *etiam in* APFgb.

117. *Non omni*] AFPgs. *non minimus* de g. conj. b. *hymber* P. (Ibid.) *in arvo*] Sic scripsi de s. suspic. *in arvi* A. *in arvis* FPg(s)b.

118. *Taurus se*] Quia Noster versibus insequentibus ad Mercurium respicit, malim hic etiam *Tauri se cornibus effert,* Mercurius videlicet: —SCH.——*Tauri*] A. (firmans s. suspic.) *Taurus* FPg(s)b.—OR.

119. *Grandine significat*] Videtur legendum *grandine signa facit,* pro *grandini* vel *grandinis.* Ex Nonio enim aliisque didicimus, hosce casus permutari. GROT. Ego subintelligi malim *se.* *Geminis tranquilla sereni E. p. n. spondet c. q. f. q. N. a. i. e. ac f. miscet*) Lege, *Gemini tranquilla sereni Et placidum nautis spondent cœlumque fretumque Nubilaque atque imbres, æstus ac frigora miscent.* GR. Nostra conjectura et stilo Auctoris et rebus ipsis convenientior. *Serentis* nomen late patet, ut ex rei rusticæ scriptoribus notum. Pro *Nubila* malim *luces.* Sed nihil ausus sum.—SCH.——*Grandine significat*] AFPgs. *Grandine* (pro: *grandini signa facit* g. suspic. *Grandini signa facit* b. (Ibid.) *Geminis*] AFPgs. *Gemini* de g. conj. b. (Ibid.) *serenti*] s. conj. *sereni* AFPgb.—OR.

120. *Spondet*] AFPgs. *spondent* de g. conj. b.—OR.

121. *Miscet*] Malim *Cancro,* subintellige, spondet Mercurius. Nisi forte malis suspicari, versum esse omissum, in quo Cancri mentio facta sit.—SCH.——*Nubilaque atque*] AFPgb. *Nubila atque ἀμέτρως* s. *Soles atque* s. in Add. *hymbres* P. *æstus a frigore* A. (Ibid.) *miscet*] AFPgs. *miscent* de g. conj. b. "Pro *miscet* malim *Cancro* sc. spondet Mercurius. Nisi forte malis suspicari versum esse omissum, in quo Cancri mentio facta sit." SCHWARTZ.—OR.

122. *Jubet aura Favoni*] Etesias indicat, qui post solstitium æstivum flare solent. Tunc nempe, cum Sol, cui Mercurius est comes quodammodo, in Leone est. Aratus Phænom. v. 152, *Τῆμος καὶ κελάδοντες ἐτησίαι εὐρέϊ πόντῳ Ἀθρόοι ἐμπίπτουσιν.* Sunt autem Etesiæ, teste auctore libelli de mundo, *μίξιν ἔχοντες τῶν τε ἀπὸ τῆς Ἄρκτε φερομένων καὶ ζεφύρων.* Hinc est, quod Plinius et Anonymus noster Aquilones vocent, alii Favonios: quos ita conciliabis. GROT. Pro *jubet* posui *juvet.* Quid enim rectius? De Etesiis vide Cellarium, qui multa collegit, Notit. orb. Antiq. lib. I. c. 8, p. 39.—SCH.——*Certus at ardor*] Sic scripsi; *at* ante syll. *ar* facile poterat excidere. *Certus ardor* A. *Certior ardor* FPgsb. (Ibid.) *juvet*] A(F)Psb. *jubet* g.—OR.

123. *Rabiavit* (sic per litt. *b. v.*) A.—OR.

124. *Templa sed ætherei s. p. ignis*] Dubito, num legendum sit: *Templa sed Astrææ simulac possederit, igni, &c.* De Virgine sine dubio sermo. GROT. Malim nostrum.—SCH.——*Astræi*] s. conj. *extræis* (sic) A. *ætherei* FPg. *Astrææ* de g, conj. b. *possiderit* A. *igni* g. suspicio.—OR.

X

125, 126. *Omnia.. undique venti*] Servavit hæc unus A. In FPgsb. ita in unum versum contracta sunt: *Omnia mixta feret, pluvias meditabitur ingens Undique grando* etc.—OR.

127. *Culmina nimbis*] FPgsb. *culminant imbres* A. *fulmina* vel *flumina nimbis* Wakefield ad Lucret. 1, 1013. Malim: *rumpuntur culmine nimbi;* nimbi se præcipitant a culmine cæli; ut hujus Fragmenti v. 76. *culmine ab alto.*—OR.

128. *Cyllenius arcus*] *arcum* legendum: *arcum* Centauri, ut supra: *Cornua Centauri.* Versu sequenti *consurget* pro *consurgit:* malim et inferius *perrumpet* pro *perrumpit.* Gr.—SCH.——*arcum*] de g. conj. b. *arcus* AFPgs.—OR.

129. *Consurget*] de g. conj. b. *consurgit* FPgs. *Aut idem ubi consurgit capricornis* (sic) *eldebiformis* (sic) A.—OR.

130. *Subito* A.—OR.

131. *Jactum agnum* A. *perrumpet*] ut volebat g. A(F)sb. *perrumpit* Pg. *Olympo* A. e Græca terminatione: *Olympon:* quam restituendam censeo.—OR.

133. *Comparat, aut gelidos*] Legendum puto: *Comparat: at gelidos, &c.* Capricornus, inquit, non cogit nubes, neque attrahit, sed coactas resolvit, ideoque tonitrua ex eo potes prædicere. *Gelidos flatus,* ut Q. Cicero de eodem Capricorno: *Bruma gelu glacians jubare exspirat Capricorni.* Gr. —SCH.——*at gelidos*] de g. conj. sb. *augelidos* A. *aut gelidos* FPg. —OR.

134. *Medius* A.—OR.

135. *Quemvis s.* (Ibid.) *cognoscere fas sit*] FBgsb. *cognoscere detur* A. Etsi mira est varietas, *detur* tamen potius interpolatori deberi videtur, quam alterum.—OR.

136. *Exortus*] s. conj. *exoritur* AFPgb. *Quandoquidem exoritur ignis quoque discedere phœbi* A. a pr. manu. A sec. deleta vv. *discedere phœbi* et superscr. *cyleneus:* ut sit: *Q. exoritur ignis quoque cyleneus.*—OR.

137. *Quid faceret primum*] Legi possit: *Quid faciat primo mundo cum lumine Solis Tempus et occasu moneat, quæ, discere, Phæbi.* Ut sit ὑπέρβατον. Sensus hic. Nunc diximus, quid agat Mercurius, si modo Phœbei flammas evaserit axis. Tempus igitur est discere, quid faciat mundo cum lumine primo Solis, et quæ moneat occasu Phœbi. Res clara. Astronomi, etiam hujus seculi, aliter Mercurium speculantur solum, aliter cum Sole sive oriente sive occidente, nam et hæc in significationibus diversa. Grot. Non persuadet nobis Grotius, nec tamen quicquam habemus commodius. Conjeci aliquando sic scriptum fuisse: *Piscibus hæc eadem quemvis cognoscere fas sit. Quandoquidem exortus mundo Cyllenius ignis Quid facerit privus, docui: jam lumine solis Junctus, quos casus moveat quoque discere suave,* id est, licet cuivis idem in Piscibus cognoscere, jam cum viderimus, quid Mercurius cum Sole tempestatis concitet mane: cognoscemus porro, quid vesperi concitet.—SCH.——Sic scripsi e lect. Cd. A. *Quid faceret primo modo cuicum l. S. Quid faceret primum docui cum l. S.* s. egregie divinans *docui,* quod ipsum latet in corruptis illis: *modo cuicum* A. *Quid faceret primum modo cum l. S.* Pg. *Quid faceret primum mundo cum culmine Solis* F. *Quid faciat primo mundo cum lumine Solis* de g. conj. b.—OR.

138. Sic scripsi e lect. A.: *Tempus et occasus moneatq.* (sic) *discedere phœbi* (in v. *discedere* litt. *de* punctis notatæ, ut sit: *discere*) *Tempus et occasus moneat quoque discere Ph.* FPg. *Tempus et occasu moneat, quæ discere Ph.* durissima constructione, scil. " Tempus discere et quæ moneat

occasu Phœbi." de g. conj. b. *Jam quid ad occasus moneat quoque discito Phœbi* s. conj. Aliter rursus in Add., et minus recte: *exoritur mundo Cyllenius ignis. Quid facerit primum modo* (? volebatne: *docui?*) *cum lumine Solis: Tempus et occasus moneat quoque discere Phœbi.*—OR.

139. *Verserit hibernis* A. *Vix erit h.* F. (Ibid.) *exsecrabile*] Ag. *execrabile* Psb. *exetrabile* F.—OR.

140. *Et crebro tonitru junget, &c.*] Conjicio, *ninget: florentia, &c.* Tria prædicit mixta, *tonitrua, grandinem, nives.* Grot. Nihil muto: quia hæc etiam verba commodam sententiam fundunt.—SCH.——*tonetra* A. (Ibid.) *ninget*] de g. conj. b. *junget* AFPgs.—OR.

141. *Spes quæ .. quantientur* A.—OR.

142. *Urenturque cælumagni* (sic) A.—OR.

143. *Ingrediens pecudis ingreditur*] Et versus vocem hanc repudiat et sensus. Legendum forte, transpositis et mutatis literis, *magni cum regna Tonantis Ingrediens pecudis redit intrans aurea terga. Regna Tonantis* simpliciter cœlum, ut Arato ἔνδιος, ἐνουράνιος. Grot. Nos *conscenderit* reposuimus, dum melius verbum reperiatur. Alludit haud dubie ad Phrixi similitudinem, qui ariete vectus in Colchidem abiit, ut in fabula est.—SCH.——*pecudis conscenderit aurea*] Sic A. firmans s. conjecturam, quæ audacissima videri poterat. *pecudis ingreditur aurea* FPg. *pecudis redit intrans aurea* de g. conj. b.—OR.

144. *Agenarei* P. *artenorei* A., sed correctum a sec. manu.—OR.

145. Fortasse: *rabido. sydere* P.—OR.

146. *Taurum sævire videbis... Cancro aut Geminis: Hic quo dicta Leo, &c.*] Distinguendum videtur et legendum, uti nunc expressum est. Ait, ut liquet, Taurum grandine sævire: Cancrum quoque et Geminos non ferri in contrarium, quod foret optandum: imo et Leonem præfata servare præcedentium siderum vestigia. Versus autem ille, *Flatus aut geminis miscet tranquilla serenis* ita possit legi: *Flatibus at Gemini miscent tranquilla sereni.* Sed quia Leo Geminos debet præcedere, et de iis jam mentio facta, et quia supra habuimus *Gemini tranquilla sereni,* unde hoc repetitum videtur, versum hunc spurium judico. Gr.—SCH.——*quæres*] Sic scripsi ex Cd. A. corruptela. *quæras* FPgsb. *penitusq. res* (sic) A. —OR.

147. *Grandine, nec contra*] FPgsb. *Grandine ntiitcontra* superscr. *i*, ut sit: *nititcontra* A.—OR.

148. *Cancrum aut Geminos*] de g. conj. sb. *cancro aut geminis* AFPg. —OR.

149. *Hinc quo ductu*] Sic scripsi. *Hinc quo dicta* A. *Hic quo dicta* Pg. *Hic quoque dicta* F. *Hæc quæ dicta* de g. conj. sb.—OR.

150. Sic scripsi. *Flatus* (sic) *adgelidis miscet tranquilla serenis.* A. Sed requiritur vocabulum, quod opponatur v. *tranquilla.* Hoc puto fuisse *severis;* Lucretiani illius memor: *pelageque severa. Flatus at geminis miscet tranquilla serenis* FPg. *Flatibus at Gemini miscent tranquilla sereni* de g. conj. b. Itemque s., sed: *serenis.* g. autem totum vers. pro subditicio habuit, quia de Geminis inepte denuo verba fecisse interpolatorem putabat. Nunc apparet ex A. per fœdum errorem hic introductos esse Geminos.—OR.

151. *Spiciferæque manu tendenti libera nutu Dissentit divæ: sed ut hæc, &c.*] Nullus sensus, et signum Libræ omissum, ni transpositis et mutatis paulum literis legas, *Spiciferæque manu tendenti nubila libræ Dissentit Divæ.* Spicifera Dea est Virgo, quam Cererem nonnulli voluerunt, ut Hyginus annotat, ab hac dissentit Libra. Illa manu tendit

nubila; Hæc serena nuntiat. Videtur etiam pro *sed ut hæc* legendum *sed et hæc*, vel *sed enim hæc*. Gr. Liberam esse Cererem, nemo dubitat. Ergo clara conjectura nostra.—SCH.——*Spicifera dea nota manu, nec Libra metenti*] Sic scripsi proxime ad Cd. A.: *Specifer* (sic) *adeamita* (vel ut etiam legi potest: *adeanuta*) *manu nec libera tendenti*. *Spiciferæque manu tendenti libera nutu* FPg. In quibus sententia nulla inest: metri causa inversum vides vetustioris lectionis ordinem; factum autem ex illo *mita* vel *nuta* Cd. A. *nutu*. In v. *tendenti* eo loco posito, quo est in Cd. A., latet attributum aliquod v. *divæ*. Id reposui, quod maxime convenire videbatur. *Spiciferæque manu tendenti nubila Libra* de g. conj. b. *Spiciferaque manu pendenti Libera nutu* s. conj.—OR.

152. *Dissentit Libræ* s. coni. (Ibid.) *sed ut hæc*] AFPg. *sed enim hæc* de g. conj. b. *solum hæc* s. conj.—OR.

153. *At ventis*] Sic scripsi. Poteram etiam: *a ventis*. *adventis* A. *et ventis* FPgsb.—OR.

154. *Astris* A.—OR.

156. *Sigtaiferi* A. *lumine* A.—OR.

157. *Excidis* A. *hymber* P.—OR.

158. *Adrapidis* A. *at madidis* Cort. ad Lucan. 1, 219.—OR.

159. *Brumatusque* A.—OR.

160. *Cum sonitu quatiet nubes secura laboris*] Nullus est sensus. Lege me duce: *Cum sonitu quatiet nubes: si cura laboris Non frustrans animum, &c.* Gr.—SCH.——*si cura sagacem*] Sic scripsi. *secura sagem* (sic) A. *secura laboris* FPg. *si cura laboris* de g. conj. sb.—OR.

161. *Frustruas*] FPgsb. *frustrat* A. (Ibid.) *ducit*] Sic scripsi. *dicit* A. *ducat* FPgsb.—OR.

162. *Inrita* A.—OR.

Notæ ad Frag. III.—Ita nos distinximus et emendavimus. In manuscripto nostro bis erat PHŒBEE duplici E notatum, quæ antiqua est literæ Græcæ ἦτα apud Latinos scriptura. Habebat idem liber pro *circumrotat*, *circumnotat*; pro *namque anno*, *nam qua anno*. Deinde versus ille, qui antepenultimum præcedit, ita scriptus erat: *Hoc peragit spatio brevior citatior orbe*. Item *contempta* pro *contenta*, et *annus* pro *annuus*. Et si quæ similia. Pertinet hoc fragmentum ad librum Germanici de Planetis et signis Zodiaci eorumque operationibus conjunctis. Grot.—SCH.——III.] Habent hoc fragmentum Cdd. BEG. Abest a Cdd. AF. et Editione principe. Grotius dedit in Annotatt. ad v. 526, suæ Ed. Huc collocavit Schwartzius. Ceterum vide, quæ notavi ad Phænomenon v. 534. Unde probabile fit quattuor prima vocabula ita ut nunc leguntur, interpolata esse ex his Germanici: *Hæc via Solis erit*. Omnino minime quadrat voc. *una*, quod h. l. contra Latinitatem articuli Italorum infiniti significatum habet.—OR.

1. *Bisenis* E. (non B.)—OR.

2. *Ac* BE. *Phœbee* BEG.—OR.

4. *Cœlique*] s. *cœloque* BEGgb.—OR.

5. *Et tistiter* (sic) *Saturnus* E.—OR.

8. *Pede alter* om. *concitus* E (non B.)—OR.

9. *Circumrotat*] gsb. *circum notat* BEG.—OR.

10. *Tempore* B. (non E.) *Phœbee* BEG.—OR.

11. *Namque anno*] gsb. *nam qua anno* BEG.—OR.

12. *Volantis* BE.—OR.

13. *Spatium breviore*] gsb. *spatio brevior* BEG. In B. superscr. *q'*, ut sit; *breviorque*.—OR.
14. *Contenta*] gsb. *contemta* E. *contempta* BG.—OR.
15. *Annus* B.—OR.
16. *Gradius* E. *orbis* E.—OR.

NOTÆ AD FRAG. IV.—*Græcia præcurram*] Fortasse *Græca τρίσγωνον*. Fragmentum ipsum repetiimus ex Prisciani libro de Ponderib. et Mensur. pag. 850.—SCH.——IV.] Priscianus in libro *de ponderib. et mensur.* p. 859. Putsch. Krehl. Vol. 2, p. 402.: Cæsar in Arato: *Cur divite lingua* †*Græcia præcurram potius quam triangula dicam?* Additit hoc fragmentum Schwartzius.—OR.

2. Sic Cod. Einsiedlensis Prisciani et Edd.; id quod intelligi nequit. Schwartzius volebat: *Græca τρίςγωνον* (sic) *potius quam triangula dicam?* Sed videtur hoc requiri: *Cur divite lingua Græcia præcurrat? potius, quam triangula, dicam Signa trigona?* Voc. *triangula* tribus syllabis constare fecit, utcunque scribetur. Jam cfr. Manilium 2, 276. *Et quæcunque ferit, dicuntur signa trigona.* Fieri autem potest, ut his ipsis versiculis Germanicus Cæsar reprehenderit Manilium. Quod si probabile est, novum atque insperatum hic habemus de Manilii ætate testimonium. —OR.

VII. NOTÆ AD EPIGRAMMATA.

[*Ex edd. Schw. Burm. et Meyer.*]

NOTÆ AD EPIG. I.—*Ad Hectoris tumulum*] Revocavimus hoc epigramma ex Petri Pithœi Epigramm. Veter. lib. II. pag. 40. Nobis vix Germanici esse videtur. Etsi enim meditatio satis sit acuta et subtilis, neque verba sordeant: tamen a simplicitate illa et gravitate Romana abhorrere videtur. Nam Epigramma hoc et germana fortissimi Achillis ac Myrmidonum irrisio est, et ludenti potius quam gravi viro convenit. Nam extinctum Myrmidonum nomen veteribus Trojanis itidem extinctis solatio esse non poterat: cum præsertim an Romani a Trojanis originem traherent, incertum satis esset: ut novi illi coloni Trojæ nihil præter nomen haberent cum antiquis commune.—SCH.——Alii Germanico Cæsari tribuunt, ut nuper Bernhardy R. Litt. p. 218, alii Hadriano imperatori, cum in Anthol. Græca Brunckii, T. II. p. 285, vel Palatina Jacobsii, lib. IX. ep. 387, idem epigramma extet hac inscriptione adjecta: Ἀδριανοῦ Καίσαρος εἰς τὸν Ἕκτορα, οἱ δὲ Γερμανικοῦ Ἡσύχιος δὲ εἰς Τιβέριον τὸν Καίσαρα ἀναφέρει αὐτό. Et Jacobsius Hadriano tribuit, quia is imperator Trojam multis operibus ornaverit. Qua in re ei non assentior, cum epigramma multo magis in Romam urbem quam in Trojam renascentem conveniat. Alii conversum putant ab Italo aliquo ex Anthologia Græca, ut Pithœus atque Orellius in nova edit. Eclogarum, p. 262. Nec extant alia epigrammata Cæsaris Germanici indubitata. Etsi illud, quod supra in epigrammatis C. Julii Cæsaris dedi, *Thrax puer*, Cæsari Germanico

potius tribuerim. Præterea in Anth. Burmanni, lib. V. 51, *Prognosticorum* Germanici fragmentum legitur, quod, cum ab Orellio V. C. in editione Phædri et Arateorum illius poetæ nuper una cum ceteris fragmentis expoliretur, lubens omisi: (*et in Præfatione*) Dubitatur de antiquitate carminis.—MEYER.

1. *Martia Progenies*] Id est Vir fortis, bellicosis orte majoribus. Non enim stirpis fuit Martis Dei: sed Jovis et Electræ, vel ut altius ascendamus, Saturni et Japeti. Vid. Apollod. III. c. 11, et Conon. narrat. 21. *Hector*] Priami filius, Regis ultimi Trojanorum. Vide Homerum, Virgilium, Dictyn, Daretem, Pentadii tumulum Hectoris in Scaligeri Poemat. Poet. Lat. Vet. p. 178.—SCH.——*Martia progenies*] Ex Græco Hadriani Imp. quod exstat Libro II. Antholog. uno disticho minus, seu veteris illud, seu recentioris sit interpretis. Pithœus, qui edidit Lib. II. p. 49, e Græco Hadriani esse libris etiam suis adnotârant Scriverius et N. Heinsius. Sed legitur in Lib. I. pag. 98, ed. Steph. et meretur hic adscribi: ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ, οἱ δὲ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ, ἐις Τροίαν. Ἕκτορ, &c. quod explicat et Latinis versibus interpretatur Vincent. Obsopæus, p. 145, edit. Wechel. pulcherrimum igitur hoc sive Germanici, sive Hadriani Cæsaris monumentum est: uterque enim præter alios studii poëtici fœtus etiam Epigrammata plurima scripserunt. Germanico certe hoc tribuit Barthius, Lib. XLIX. Adv. c. 17, sub illius saltem nomine nonnulla in his Catalectorum collectionibus habentur. ut illud, *Parce hospes tumulo*, &c. Lib. III. p. 97, apud Pithœum. tum elegans Epigramma de puero Thrace, ibid. pag. 105. Hadriani versus, quibus Floro respondet, noti etiam sunt, ut et illi, quibus animam suam morti vicinus adloquitur, quos ex Spartiano Pithœus, Lib. IV. Epigr. vet. pag. 184, inseruit. Ei etiam tribuitur anacreonticum illud in equum Boristhenem, quod sub finem libri tertii idem edidit Pithœus, nisi id Græce ab eo compositum et a recentiore versum sit, ut putabat Vossius, quomodo et hujus Epigrammatis in Hectorem Latina forsan Hadriano recentior est interpretatio de Græco ejus carmine, ut censebat Pithœus. Ita et Hadriani Epitaphium in tumulum Voconii memorat Apuleius in Apolog. p. 13, ed. Pric. eumque etiam multos liberioris argumenti versus lusisse ibidem testatur. quod firmat Spartianus in Hadr. cap. 14. *Fuit enim poëmatum et literarum omnium studiosissimus, arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritissimus. Jam psallendi et cantandi scientiam præ se ferebat: in voluptatibus nimius. Nam et de suis dilectis multa versibus composuit, amatoria carmina scripsit.*—BURM.

2. *Fas audire*] Nam quietem turbare mortuorum, religio vetabat. Vid. Epigr. Vet. Pithœi, Lib. III. p. 73.—SCH.

3. *Respira*] Id est, bono eo animo. *Heres*] Id est, posteritas, ut credebatur, Trojanorum.—SCH.——*Heres*] Populus Romanus.—MEYER.

4. *Præferat*] Id est, malit a te gentis origines ducere, quam aliunde. Sed satius est legere *proferat*, i. e. continuet, propaget.—SCH.——*Qui patriæ famam præferat*] leg. *proferat*. Pithœus. Ita etiam Heinsius emendabat, adscripto Albinovani versu Eleg. ad Liv. V. 20. ubi similiter *proferre imperium* pro extendere occurrit, *Protulit in terras imperiumque novas*. Tacitus, Lib. I. Annal. c. 3. *Abolendæ magis infamiæ ob amissum cum Quintilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperii*. Seneca VI. Nat. Quæst. 23, de Alexandro: *Imperium ex angulo Thraciæ usque ad Orientis terminos protulit*. Justinus, Lib. I. cap. 1. *Fines imperii tueri magis quam proferre mos erat*. vide et Ciofanum ad Ovid. lib. V. Metam. v. 372, est autem *proferre famam*, quod *extendere* dixit Virgil. *famamque extendere factis*. vulgatum servare placebat Cl. Schradero, et emendare,

Qui patriæ famam præferat usque suæ. hoc est quod alibi in Epitaph. Julii Vindicis, *Imperium adseruit non sibi sed patriæ.* sed prius puto admittendum.—BURM.——*Proferat*] i. e. augeat. Pithœus. *præferat* vulgo. *præferat usque suæ* Schrader.—MEYER.

5. *Ilios*] Et *Ilium* dicitur, ut Stephanus docet et Berkelius in notis ad eum. A Græcis diruta hæc urbs, ab Alexandro Magno et successoribus ornari cœpit, et postmodum a Sylla et Julio Cæsare. Vid. Strabo, lib. XIII. pag. 886. seqq.—SCH.——*Ilios en surgit rursum inclita.*] *Ilion* scribi nominandi casu, more Græco, et quidem feminino genere volebat Scaliger notis ad Catullum, pag. 69, verum utrumque dici, et in libris antiquis promiscue inveniri, videbis ex notis Heinsii ad Ovid. Epist. I. v. 48, sic *Pergamon* et *Pergamos* ut in Epigrammate Sulpitii in Æneidem Virgilii, p. 140. Catalect. Scalig. *Infelix alio cecidit prope Pergamon igni.* ubi Francius in suo libro castigavit *Pergamos.* vide et Gronov. ad Senec. Troad. v. 14.—BURM.——*Ilios*] *Ilion* Scaliger Romam intelligit.—MEYER.

6. *Te Marte inferior*] Id est, non tam bellicosa, quamvis belli studiosa.—SCH.

7. *Myrmidonas*] Gentem Thessaliæ, cui Rex Achilles præerat. Strabo, lib. IX. pag. 662. Adde Berckel. ad Stephani *Myrmidonas*. *Dic Achilli*] Scilicet apud inferos degenti. *esse sub Æneadis*] id est, parere Romanis qui posteri Trojanorum credebantur, et quidem Cæsaribus, qui Æneam propriore cognatione attingere videbantur. Epigramma Græcum ab Anthologia, lib. I. cap. 40, etiam Hadriano Cæsari tribuitur.—SCH. ——*Magnis esse sub Æneadis.*] Forte *magnos isse sub Æneadas.* ita in fragmento præfat. Corippi: *Subjectus paret mundus, Deus omnia regna Sub sedes dedit isse suas.* ita enim legit Barth. lib. XXV. Adv. 6, nisi malis *Sub leges dedit isse tuas.* ut adloquatur Justinum. Sic in vexato Statii loco, lib. I. Syl. I. v. 28, ex emendatione D. Heinsii, *Et minor in leges iret gener et Cato nostras.* vulgata tamen apud Corippum *Sub pedibus dedit esse tuis* etiam servari potest. Ovid. Ep. VII. 6. *Hæc tibi sub domino, Pyrre, puella suo est.* Vellej. Pat. lib. I. cap. 3. *Athenæ sub regibus esse desierunt.* plura vide apud Sanct. in Minerv. IV. 6. p. 678. sæpe autem ita variare codices notavit Cl. Drakenb. ad Silium, lib. XV. 151. Propert. lib. IV. El. 4. 71. *Hic primus cœpit mœnibus esse dies.* ubi *Hinc p. c. mœnibus isse dies* corrigit Heins. ad Ovid. IV. Fast. V. 727, apud Sedulium, lib. V. v. 2. *jam proxima Paschæ Ceperat isse dies.* sic lege, vulgo *esse.* vid. et Heins. ad Ovid. Rem. Am. V. 541, *ire sub imperium* dixit Tibull. lib. II. El. 4. 54. et *sub imperium accipere,* Tacit. lib. I. Ann. cap. 1. ubi frustra Dorleans *sub imperii vim.* Ceterum initio hujus Epigrammatis eriges haud parum sententiam, si mutetur distinctio hunc in modum: *Martia progenies, Hector, (tellure sub ima Fas audire tamen si mea verba tibi!)* ita enim suadet Græcum Epigramma, *κατὰ χθονὸς εἴ πυ ἀκούεις.* simillimum illud Attii ex Epigonis Æschyli apud Cic. II. Tusc. cap. 24. *Audisne hæc, Amphiaraë, sub terram abdite?* Virg. IV. Æn. 387. *Audium, et hæc manes veniet mihi fama sub imos. tellure sub ima.* ut lib. VI. Æn. 459. *si qua fides tellure sub ima est.* et sic D. Heinsius in versione Latina Græci Epigrammatis, pag. 136. Poëm. ex Græc. vers. ubi totum ita reddidit: *Sanguis Martius Hector, adhuc si mortuus audis, Gaude, et, vel patriæ nomine, vive parum. Ilios incolitur urbs inclyta: nactaque gentem est, Si tibi non similem, Martis amore parem. Thessalia at nusquam est. Pete Achillem protinus, et dic, Thessaliam cunctam stare sub Æneadis.* Ceterum edidit hoc etiam Binetus in

Catalect. Petron. et Epigr. vet. pag. 7, sed qui nihil a Pithœo differt.—BURM.——*Sub Æneadis*] Romani subjecerant Græcos.—MEYER.

NOTÆ AD EPIG. II.—Sumtum est hoc Epigramma, (sunt verba Lindenbruchii, in notis ad Veter. Poët. Catalect. pag. 327) ex Græco, Philippi, Antholog. lib. I. tit. 23, *εἰς δυσπραγίαν*, cui nec absimile est Flacci Epigramma Anthol. lib. III. tit. 22, *εἰς ναυαγήσαντας*. Martialis, lib. IV. Epigram. 18, *Qua vicina pluit*, &c. In aliis libris Caio Julio Cæsari tribuitur hoc carmen. Sed propter alia Epigrammata valde similia Auctorem ejus Germanicum, quam Caium Julium Dictatorem prædicare malim.—SCH.——In MS. Mediceo et Moroni Divo Julio Cæsari, in MS. Guelferbytano 93. (conf. Eberti Catal.) Augusto, a Scaligero Germanico Cæsari tribuitur. Recens esse Schraderus censet in epist. crit. p. LXII. nec in alia fuit Dorvillius sententia. Epigramma Grœcum, ex quo originem duxit, extat in Anthol. Palat. l. VII, 542.—MEYER.

1. *Thrax puer adstricto*] Quod pueri Thracis est, adscribitur Julio Cæsari in membranis antiquis. Germanico a Lilio Gyraldo. G. FABRICIUS. Sumtum est hoc Epigramma ex Græco Philippi, Anthologiarum lib. I. Titul. XXIII. (Ep. I.) ΕΙΣ ΔΥΣΠΡΑΓΙΑΝ. cui nec absimile est Flacci Epigramma Antholog. lib. III. Titulo XXII. (Ep. 34.) ΕΙΣ ΝΑΥΑΓΗΣΑΝΤΑΣ. Martialis, lib. IV. Epigr. XVIII. *Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis, Et madet assiduo lubricus imbre lapis, In jugulum pueri, qui roscida templa subibat, Decidit hiberno prægravis unda gelu: Cumque peregisset miseri crudelia fata, Tabuit in calido vulnere mucro tener*, &c. LINDENBR. sub Julii Cæsaris nomine dedit Aldus in Catalectis, pag. 79, descripsit Heinsius ex veteri Mediceo, et Moroni Codice, in quo titulus erat CARMINA DIVI IVLII IN PVERVM SVBMERSVM. et ita profert hoc carmen ex MS. in quo Julio Cæsari adscribi testatur Thom. Bartholinus de Luce Animal. cap. XI. init. Germanico Cæsari tribuunt alii, ut notârat Scriverius, et sic Ang. Decembrius in Polit. Liter. lib. VI. cap. 69, ubi prolixe de elegantia, structura, et artificio poëtico hujus Epigrammatis disserit. sub titulo *Carmen Cæsaris* edidit Laur. Abstemius Fani 1505, et 1515, quæ prioris repetita editio est per Franc. Polyardum, ex officina Hieronymi Soncini, quam solam mihi nancisci licuit. Germanicum etiam auctorem faciunt Vossius de Poët. Lat. pag. 38. Schottus ad Zenob. Cent. V. Prov. 58, et Marq. Freherus, lib. I. Parerg. cap. 23, qui uno disticho in fine auctius producit. eodem modo, quo edidit Binetus in Catalect. Petron. et Epigr. vet. pag. 8, illi enim duos hos versus reliquis subjiciunt: *Me miseram! plus amnis habet, solumque reliquit, Quo nati mater nosceret interitum*. et sic ex Fragmentis Petronianis adfert Cerda ad Virg. IV. G. 136. Sub C. CÆSARIS GERMANICI titulo edidit etiam Scaliger, Lib. I. Catalect. p. 189, unde inter fragmenta post ejus Aratea retulit Schwartzius. sine ullo auctoris titulo exstat apud Pith. lib. III. p. 105, et G. Fabric. pag. 135. Græce verterunt Ang. Politianus, lib. V. Epist. 7, et Scaliger in Epist. p. 668. Legitur etiam in codice Vossiano et libro MS. Antiquitatum et Inscriptionum Viri Ampliss. Balth. Huydecoperi. et ex Cod. MS. Franc. Redii insertum est Inscript. Gudianis, pag. CCXLV. 8. Bimardus autem Dissert. I. ante Muratorii Thesaur. Inscript. pag. 33, putat hoc carmen hexastichum nihil aliud esse, quam interpretationem Latinam Græci Epigrammatis octastichi poëtæ Flacci, quod in Anthologia Græca haberi notavit Lindenbrogius, qui recte etiam indicavit Græcum Philippi Epigramma, ex quo hoc vertisse Germanicum, (non ex altero illo Flacci) censet Obso-

pæus ad Anthol. Gr. pag. 47. Utrumque numeris suis, id est elegantissimis, Latine vertit Hugo Grotius: cujus interpretationes Græcorum Epigrammatum eo libentius cum Musarum studiosis communico, quia illis eximio hoc Viri immortalis thesauro nondum beari contigit: PHILIPPI. *Thrax puer adstricto glacie dum ludit in Hebro, Eripuit vitam mors inopina brevem. Nam minuente gelu cum pondere rumperet amnem, Abscidit infelix lubrica testa caput. Cetera vis fluvii rapuit, servataque tantum Funereo mater repperit ora rogo. Heu miseræ partum diviserat ignis et unda, Qui neutrius erat, sic utriusque fuit.* FLACCI. *Dum puer adstricto glacie lascivit in Hebro, Cessit ad instantes frigida testa pedes. Illapsi tenerum caput a cervice recidit, Pars de Bistonio flumine vincta gelu. In mare fert truncum fluvii violentia: mater Nil, capite excepto, quod tumularet, habet. Et graviter lugens, fili carissime, dixit, Hoc ignis; quod abest, jam sepelivit aqua.* Ceterum de antiquitate hujus Epigrammatis etiam dubitare videtur Cel. D'Orvillius, in Miscell. Observ. Nov. Vol. I. Tom. III. pag. 151, et Bonada, Vol. II. p. 264. Sed quia tamen legitur in Codd. MSS. qui forte vetustiores sunt illo tempore, quo a recentiore poëta post Petrarchæ tempora hi versus componi potuerunt, inter antiqua locum suum facile tueri possunt, quibus etiam inseruit Labbæus Thes. Epit. vet. P. I. p. 73.—BURM.

1. *In Hebro*] Hebrus est flumen maximum Thraciæ, de quo multa collegit Cellarius Geogr. Antiq. notit. libr. II. c. 15, pag. 1301.—SCH. ——*Dum luderet Hebro*] *Dum ludit in Hebro* in v. c. Med. et Moroni, ut in Abstemii, et utraque Aldi editione. et sic apud Bartholin. Scalig. aliosque. *astricta glatie* male apud Gudium, et Bonadam. *adstrictus Hebrus* eleganter, ut apud Lucanum, Lib. I. v. 18: *Adstringit Scythico glacialem frigore pontum.* Ovid. III. Trist. 4, 48: *adstricto terra perusta gelu.* Vid. Heins. ad Claudian. II. de R. P. præf. v. 18: *Hebrum nivali compede vinctum* vocat Horat. Lib. I. Epist. 3, 3, et *Hebri perfidum glacie flumen* Florus Lib. III. 4, § 5. Sic *humus gelu adstricta* recte ab Acidalio restituta est Curtio, Lib. III. 13, 7, ut Lib. VIII. 4, 7, *quamquam imbrem vis frigoris concreto gelu adstrixerat.* Hinc apud Prudent. præf. Lib. I. advers. Symmach. v. 14, legendum: *Exponitque solo litoris invidi Constrictos pluvio frigore remiges.* Pro *Contractos*, ut in vulgatis. Quod et in meo antiquissimo Cod. Egmondano legitur. Unde *contactos* Heinsius. Sed homines æque frigore *constringi* dicuntur, ac *terra*, *humus*, *fluvii*, glacie *constringuntur.* Curtius, Lib. VII. cap. 3, 13: *Multos exanimavit rigor insolitus nivis. Multorum adussit pedes. Fatigati quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant, quæ quum moveri desissent, vis frigoris ita adstringebat, ut rursus ad surgendum conniti non possent.* Ovid. Epist. xv. 112: *Adstrictum gelido frigore pectus erat.* Id est, παγνώθη. Nam eodem modo Græci hoc verbo utuntur. Ut Eurip. Hippol. 803: Λύπῃ παγνωθεῖσα. *dolore adstricta.* Apollonius Rhod. IV. 1279: ἐν δ' ἄρα πᾶσι Παγνώθη κραδίη. Ubi vid. Scholiast.—BURM.——*Ludit in Hebro*] MS. *luderet Hebro* vulgo.—MEYER.

2. *Frigore concretas pondere rupit aquas*] *Pondere concretas frigore* edidit Aldus. *Frigore frenatas* Binetus et Freherus. Idque præfert Cerda ad Virg. d. l. sed male. Ita enim apud Ovid. III. Trist. 10, 32, quem locum auctor hujus Epigrammatis imitatus est: *Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, et undas Frigore concretas ungula pulsat equi.* Sic in Epigrammate ad Juliam, quod edidi Tom. I. p. 650: *Frigore concreta si latet ignis aqua.* In Epigr. Maximiani de amne glacie durato, apud Pithœum, Lib. IV. p. 164: *Ut concreta gelu marmoris instar habet.*

Martialis, Lib. III. Ep. 59: *Concreto riguit vincta repente gelu.* Claudianus, Epigr. VII. 8: *Vel concreta fuit vel resoluta gelu.* Et 1 de R. Pros. v. 71: *Cum gravis armatur Boreas, glacieque nivali Hispidus, et Getica concretas grandine pennas Flare cupit.* Vide notas Patrui ad Virg. II. Georg. 318.—BURM.

3. *Dumque*] Nimis crebrum hic vocabulum *dum*, et vix more melioris ævi positum.—SCH.——*Dumque imæ partes rapido traherentur ab amne*] *Cumque imæ partes fundo raperentur ab imo* apud Binetum. *Stimæ* vitiose apud Gud. et Bonad.—BURM.——*Traherentur*] *traheremur* MS. Gudian.—MEYER.

4. *Lubrica testa*] i. e. crusta glacialis illisa vehementius. Vide notas Barthii.—SCH.——*Adscidit heu tenerum lubrica testa caput*] Hæc lectio est in ed. Pith. Fabricii, et aliorum. *Abscindit tenerum* Abstemius. *Abscidit a jugulo* apud Binetum. *Abscido* enim pro *abscindo* sæpe in veteribus libris, et hinc *abscidit* media brevi sæpe apud poëtas. Vid. Rhodium ad Scribon. Larg. p. 164, 165, et Bentlej. ad Horat. Lib. II. Sat. 3, v. 303. Sic *abscissa gelu membra* apud Silium Ital. Lib. III. 552, in Epigrammate Valeriani, vel Martialis, de Cicerone apud Pith. Lib. II. p. 56: *Abscidit vultus ensis uterque sacros.* Ubi et in aliis *Abscindit.* Vid. de hoc verbo plura apud Dukerum ad Florum, Lib. II. cap. 1, et Patruum meum ad Vellej. Paterc. Lib. II. cap. 66. Præfero tamen hic lectionem codicis Medicei, *Abscidit tenerum.* Ut edidit Aldus, Abstemius, Scaliger. Nec aliter legitur apud Gudium, Bonadam, et in cod. MS. Huydecoperiano. Probabatque hoc in versu Vossius, Lib. II. Art. Gram. 18, ubi et Dousæ emendationem in Martialis vel Valeriani Epigrammate, modo prolato, *heu vultus*, &c. improbat. Freherus vero ita exhibet: *Dumque imæ partes fundo raperentur ab imo, Abscidit a jugulo lubrica testa caput.* Quod firmari posset loco Martialis, quem adfert Lindenbrogius. Thomas autem Bartholinus, loco supra indicato, et Joh. Pricæus ad Apulej. Lib. IX. Met. p. 567, proferunt: *Præsecuit tenerum lubrica texta caput.* Et emendat Pricæus *lubrica testa.* Recte. *Testa* enim *lubrica* pro glacie, seu frusto aquæ in glaciem concretæ. Et hic quoque imitatio est Ovidii Lib. III. Trist. El. 10, 38: *Vidimus ingentem glacie consistere pontum, Lubricaque immotas testa premebat aquas.* Ubi tamen alii legunt *lubrica crusta*, fem. gen. quod et præfert Patruus meus, qui *testam* pro frusto glaciei, insolitam locutionem putat. Itaque et hoc loco sic legi potest, et firmari ex Rutilio, Lib. I. Itin. 484: *Concipiunt acrem nativa coagula Phœbum, Et gravis æstivo crusta calore coit. Haud aliter, quam cum glacie riget horridus Ister, Grandiaque adstricto flumine plaustra vehit.* Non dissimile illud Ausonii Ep. XII. Parentalium: *Occidis emissæ* (*immissæ* Heins.) *percussus pondere testæ, Abjecit tecto quam manus artificis. Non fuit artificis manus hæc, manus illa cruenti Certa fuit fati, supposítura reum.* Ubi non displicet conjectura Heinsii: *manus illa cruenti Carnificis, fatis suppositura reum.* Ut ludat in vocibus *artificis* et *carnificis.* Quod a genio Ausonii non abhorret; licet in codice suo postea eam deleverit. Quod autem Pricæus *præsecuit* proferat, non addit, an ex vetustis libris, an ex ingenio depromserit. Non spernenda tamen hæc lectio, præsertim cum vetus Moroni codex, Heinsio collatus, habeat *Persequit*, unde ipse legebat *Persequit.* Ut in codice Vossiano. Et sic adfert Gonsalius ad Petron. cap. CXXIII. pag. 207, qui bene hoc Epigramma illustrat. Sic *præsecare venas* apud Scholiast. Juvenal. Sat. V. 109, et alibi, pro præcidere. Ceterum Marq. Freherus, Lib. I. Parerg. cap. 23, ubi hoc carmen interpretatur de Cenotaphio, seu

sepulchro vacuo, illud auctius et a vulgatis diversum adfert, sed nescio an ex codice vetusto, sub nomine Cæsaris Germanici, hoc modo: *Thrax puer, adstricto glacie dum luderet Hebro, Frigore frenatas pondere rupit aquas. Cumque imæ partes fundo raperentur ab imo, Abscidit a jugulo lubrica testa caput. Quod mox inventum mater dum conderet igni, Hoc peperi flammis: cetera, dixit, aquis. Me miserum! plus amnis habet, solumque reliquit, Quo nati mater nosceret interitum.*—BURM.——*Abscidit tenerum*] MSS. *abscidit heu tenerum vulgo. præsecuit t.* Pricæus. *persequit* MS. Moroni. *condidit* urna MS. Huydecoper. *condit in urnam* MS. Medic.—MEYER.

5. *Orba quod inventum mater dum conderet urna*] *Quod mox inventum* apud Freher. Bonifacius vero de compon. Epitaph. pag. 29, producit: *Mox caput inventum mater dum condidit urna.* Sed *caput* modo præcesserat. *Quod mox inventum mater dum conderet igni* edidit Binetus, et sic adfert Freherus. Perperam. Vulgata optime se habet, et apud Aldum, Fabricium, Pithœum, Scalig. Gudium, aliosque legitur. *Condit in urnam* cod. Medic. et Fanensis editio Abstemii. *Conderet urnæ* Moroni codex. *Condidit urna* in MS. cod. Inscr. Huydecop.—BURM.——*Urna*] Urnæ sunt in quibus reliquiæ cinerum asservabantur olim. Vide Sponium et alios.—SCH.

6. *Hoc peperi flammis*] *Hoc flammis peperi* in MS. Huydec. et apud Gud. et Bonad. *Hæc peperi* apud Bartholin. eleganter hoc imitatus est Janus Rutgersius Epigrammate in obitum Caroli Clusii, pag. 336, Poëm. *Ingemuit, tollensque manus ad sidera, Terræ Hoc peperi; cœlum cetera, dixit, habet.*—BURM.——*Peperi flammis*] *flammis peperi* MS. Huydecoper. Gudian.—MEYER.

Notæ ad Epig. III.—Hoc epigramma, ex Antholog. lib. I. c. 33, repetitum, nos sic vertere conati sumus: *Alto ex monte lepus cadit improvisus in altum, Dum durum dentem defugit ille canis. Non fugit ast durum fatum. Nam mox canis alti Æquoris arreptum dente rapace necat. Ex igne in flammam cecidisti. Nam tua fata Te terra atque salo denti aluere canis.*—SCH.

3. μόρον] De fato, ut ex hoc etiam loco apparet, ita sentiebant veteres Romani, ut evadi non posse putarent. Vide Curt. lib. IV. c. 6. Adde Lucianum passim.—SCH.

5. Ἐκ πυρὸς, &c.] Proverbii locum tenuisse videtur hæc formula.——δαίμων] Ergo etiam bestiæ suos habere credebantur genios, vel adversarum vel secundarum rerum auctores.—SCH.

Notæ ad Epig. IV.—Epigramma IV. ex eodem Anthologiæ capite translatum est. Quod nos quidem sic interpretari cœpimus: *Me canis a cane diripuit. Quid miror? in alto Et terris eadem mens solet esse feris. Ite viam cœli, lepores, quæ restet. At illam Non minus horresco. Fers et, Olympe, canem.*—SCH.

1. Ξένον] Id est, inexpectatum, admirabile, insolens.—SCH.

2. Ὑγροὶ] Id est, incolæ maris bestiæ, quæ ob illam sedem sint semper udæ.——Πεζοὶ] Opponitur hoc vocabulum rebus marinis ita, ut apud latinos *pedestris* miles classiario.—SCH.

4. Κύνα] Sirium innuit. Nam minoris canis tanta non est auctoritas, ut tam simpliciter signetur. Επίθετον autem friget.—SCH.

Notæ ad Epig. V.—Epigramma V. ex lib. III. c. V. Anthologiæ fuit

excerptum, et a nobis ita versum: *Græcia pro tenui tumulo ponatur, et istuc Barbarica tabulæ cladis acerba nota. Inque basi Martem Persarum pinge sepulcri Et Xerxem. Justis hisce reconde Ducem. Injicitor cippus Salamis, mea facta recensens. Quid? me prægrandem clauserit arca brevis?*—SCH.

2. *σύμβολα ναυφθορίας*] Sepulcris Græcorum et Romanorum sæpe insculpebantur aliquæ figuræ, quæ perpetuæ testes forent factorum, aut eventuum, aliarumve rerum memorabilium. Vide Cicer. Disput. Tusculan. libr. V. cap. 23. Arbiter Satyr. cap. 71, p. 352. Gruter Inscript. p. 698, 705, et alibi. Præcipue lege Joann. Nicolai tractat. de luctu Græcorum, cap. 15, p. m. 200-221. Quum igitur prælio navali Xerxem superâsset Themistocles: Auctor Epigrammatis rem tam memorabilem testatam vult monumento sepulchri.—SCH.

5. *Σαλαμὶς*] Salamis insula fuit, ad quam prælium navale commisit Themistocles et reliqui Græci cum Persarum classe. Vide Nepot. in Th. c. 3 et 4, Justin. II. c. 12, s. 18, Strabonem lib. VIII. p. 576. Diodor. Siculum Bibl. lib. XI.—SCH.

6. *Τί με σμικροῖς κ. τ. λ.*] Hæc verba, quippe nimium superba et arrogantia, (nam fingitur ipse hæc prædicare de sese) si rescissa fuissent, et modestiora reposita, ingenii forent præclari monumentum. Nisi igitur Themistocli eas tribuere velimus ineptias, quæ Græcis fere a Romanis exprobrantur, ab ineptiæ suspicione liberari nequeat Germanicus. Si tamen is auctor est. Nam dubitare liceat, oportet: quum in Arateis illis Phænomenis quicquid genuinum est, vix tale quicquam declaret.—SCH.

Est etiam in Anthologia Latina (Burm. I. p. 226) Epitaphium a Germanico in seipsum scriptum, quod me non pœnitebit hic apposuisse:

Germanici Cæsaris, Caligulæ Patris.

Parce, hospes, tumulo, Cæsar Germanicus hic sum;
  Sæpe etiam ignotis ipse dedi requiem.
Quod si quem tumuli nihil hujus gratia tangit,
  Admoneat, patria fraude quod hic jaceo.
Sed jaceo, quamvis non vitæ et plenus honore,
  Hoc uno ingratus, quod genui patriæ.
Testata est mores lacrimis plebesque patresque,
  Hæc sunt sinceri judicia indicii.

Notæ Burmanni.

Germanici Cæsaris, Caligulæ patris.] Epitaphium hoc Cæsaris Germanici habetur apud Pithœum, Lib. III. pag. 97. Almelooven. pag. 7, et ab aliis ut vetustum profertur. At legitur tamen illud totum quantum est inter Michaëlis Marulli Carmina, Lib. I. Epigr. 14, pag. m. 5, quod dudum ante deprehenderam, quam id codici etiam suo adscripsisse Scriverium vidissem. Sed insigni plagio id sibi vindicâsse videtur Marullus, idque forte in vetusto quodam codice reperisse; sed famæ securus posteritati imposuisse, suis carminibus ineditum, et nemini, ut existimabat, notum aut visum carmen inserens. Quod ne temere me dixisse quis existimet, illustri exemplo aliud ejus mangonium demonstrabimus ad Epigramma illud eximium, quod apud Pithœum legitur eodem libro III.

p. 134: *Viderat exanimem mater Byzantia natum*, &c. quod ille ignobili fuco, infarciens de suo nonnullos versus insititios, poëmatiis suis intexuit. Aliud itidem apud Pith. eod. libro, pag. 102, pro antiquo venditatur, quod ab eodem Marullo fictum ac suppositum Antonius Augustinus credebat, ut suo loco notabimus.

2. *Sæpe etiam ignotis ipse dedi requiem*] Sensus hujus versus est, Germanicum sæpe aliorum vita defunctorum, et quidem ignotorum, manibus dedisse inferias, proinde idem pietatis officium, quod ipse sæpe aliorum tumulis præstiterat, jure sibi etiam exhiberi petit, et recte Casaubonus huc retulit verba Suetonii in Calig. cap. 3, de Germanico: *Sicubi clarorum virorum sepulchra cognosceret, inferias manibus dabat.*

3. *Quod si quem tumuli nihil hujus*] *tituli* rectius apud Marullum, ut videtur; nam quum primo versu præcesserit, *Parce hospes tumulo*, hic denuo eamdem vocem recurrere inelegans, et ab Epigrammatis hujus elegantia abhorret. Frequenter autem hæc invicem commutari vidimus supra.

4. *Admoneat patriæ fraude quod hic jaceo.*] Sic edidit Pithœus. *At moveat, patria fraude* exstat apud Marullum, idque libris suis adscripserant Scriverius et Heinsius. Nec aliter emendabat Casaubon. ad Sueton. Calig. cap. 5, ubi totum hoc carmen adfert, idque elegantius et ad historiæ fidem convenientius sibi videri addit. Quod adtinet ad priorem emendationem, *At moveat*, pro *admoneat*, licet illud ibidem Grævio se probaret, mihi tamen non videtur admittendum. *Admonere* enim eleganti significatione dicitur omne id, quod aliquo cum aculeo ac telo alicui in memoriam redit: ut egregie hunc vocis usum illustraverunt Gronov. Diatrib. Statian. cap. XLIX. Heins. ad Ovid. Epist. III. v. 132, et notis ineditis ad Tacit. de morib. Germ. cap. XXXVII. Patruus meus ad Ovid. Epist. XV. 104, et Broukhus. ad Tibull. Lib. I. El. 6, v. 4. Alterum illud *patria fraude* verius est, nisi cum Grævio et Heinsio malis *patrua fraude*, ut intelligat dolos Tiberii Cæsaris, quibus periit Germanicus, (vid. Sueton. Calig. cap. 2) cujus pater per adoptionem erat Tiberius, natura vero patruus. Vide Drakenb. ad Silium, Lib. XV. v. 10. Huc spectant INFERIÆ GERMANICI memoratæ in Tab. Antiatina, ubi vide Vulpii notas, p. 35. Clariss. Cannegieterus etiam ad Avieni Fab. XXVI. pag. 156, emendat, *At moveat, patria*, vel *patrui fraude*. Quamvis autem parum referre videri posset, an *patrua*, aut *patria* legatur, quia utrumque de Tiberio intelligendum, amplector tamen Patrui mei sententiam, qui ad Sueton. monuit, rectius esse *patria fraude*, quia invidiosius a patre quam a patruo occidi, neque semper Heinsio auscultandum esse, ubi vocem illam *patruus* ubique fere inculcat. Vide ad Ovid. Lib. III. Am. El. 6, v. 49, et IV. Fast. 55, *patria* igitur *fraus* pro patris, ut *patriæ preces* Senecæ Herc. Fur. v. 1272, *bis patriæ cecidere manus* apud Virg. VI. Æn. v. 33, de Dædalo, *patria raptus ab igne manu* apud Ovid. III. Fast. 504, *patria arma* in Epigr. de Caligula apud Sueton. cap. 8, *In castris natus, patriis nutritus in armis*, ubi male in aliis *patris*, et sic alibi passim.

5. *Quamvis non vitæ et plenus honoris*] Recte Scriverius et Heinsius, *at plenus honoris*. Marullus dedit, *at plenus honorum*. *At* etiam apud Casaubonum. Hoc licet levioris rei esse non negem, sæpe tamen animadverti, voculam istam, quæ ad oppositum eleganter transit, a librariis mutatam aut omissam, loca nonnulla turbâsse, et a viris doctis opportune restitutam, sensum illorum adjuvisse. Apud Virg. X. Æn. v. 881: *Desine. jam venio moriturus. At hæc tibi porto Dona prius.* Sic scribit

Heinsius, pro *jam venio moriturus, et hæc tibi porto*, &c. Sic in Epigrammate Cælii Firminiani, ut inscribitur, de Fortuna apud Pithœum, Lib. I. pag. 29: *O fortuna potens ac nimium levis.* Ut vulgata præferunt exemplaria. Sed elegantius omnino erit, si scribatur: *O fortuna potens, at nimium levis.* Et ita legendum puto in Epitaphio eximio apud Gruter. pag. MCXXIII. Ins. 7: *Nam me sancta Venus sedes non nósse silentum Jussit: at in cæli lucida templa tulit.* Ibi etiam male habetur, *et in cæli.* Justinus, Lib. II. cap. XII. § 7, ut optime restituit Gronovius: *Aut si hoc parum tutum est, at vos commisso prælio ite cessim, inhibete remis*, &c. Apud Horatium quoque, Lib. I. od. XI. legebat Patruus meus, *at melius quidquid erit pati*, non *ut*, qui locus mire vexavit Interpretes, et sic apud alios haud raro.

7. *Testata est mores lacrymis plebesque patresque*] *Testati mores* Heinsius malebat. Plerumque enim pluralem præferebat numerum, ubi duo vel plura occurrunt cumulata. Sed vide Patrui mei notas ad Claudian. I. in Rusin. v. 53, *plebes* antiquo more pro *plebs*, ut apud Sallustium, Tacitum, Lucanum, alios. Auson. Idyl. I. v. 8: *Noxia quem scelerum plebes tremit.* Adde igitur hunc versum exemplis, quæ produxerunt Vossius, Lib. I. de Analog. 33; Freinshem. ad Florum I. cap. 26; Rittershuf. ad Gunther. Lib. II. pag. 51; et Gudius ac Patruus meus ad Phædr. Lib. IV. fab. 5, v. 13.

VIII. APPENDIX NOTARUM SCHWARTZIANA.

Phænom.—2 Imperatores invocatos idem numen ad versus inspirandos cum Apolline habere putabant. Ovid. ad Germanicum Fastor. I, 17: *Da mihi te placidum, dederis in Carmina vires, Ingenium vultu statque caditque tuo.* Barth. Adv. XXII. 18, p. 1107.

4. Hunc tam verecundi oris princeps laborem suum ipsemet docti nomine commendet? Enimvero verior videtur scriptura *ductique laboris.* Sive enim ad translationem carminis spectes, sive ad auctorem ipsum, melius ita omnino legas. Aratum enim inter doctissimos Astronomos nemo retulerit, cum ignarus etiam fuerit earum rerum, quas posteris carmine proposuit. Cicero, lib. I. de Orat. *Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum Astrologiæ ornatissimis atque optimis versibus Aratum de cælo stellisque dixisse. Ducere* autem carmen ad modestiam pertinet, velut non grandi aliquo opere sed suavi filo deducatur. Vide quæ ad Cynegeticon Nemesiani notavimus. Barth. Advers. XLVII. 18. Non periclitatur Germanici modestia. *Doctum* enim dicitur, quicquid ingenium aliquod ostendit.

8. Cum veteri libro scribendum est: *Quave Aries.* Et ipse sic supra: *Qua sol ardentem Cancrum rapidissimus ambit.* Barth. Advers. XLVII. 18.

9. Præsidem rerum humanarum Augustum vocat velut Deorum immortalium vicem in terris gerentem. Sic Plinius, lib. VII. c. 16: *Fuere sub divo Augusto semipede addito, quorum corpora ejus miraculi gratia in con-*

ditorio Sallustianorum adservantur hortorum. Pusioni et Secundillæ erant nomina. Eodem Præside, minimus homo duos pedes et palmum Conopas nomine, in deliciis Juliæ neptis ejus fuit. Barth. XLVII. 18.

10. Codex manu exaratus *urva*, cui tamen non accedimus nos. Est enim seculum illud Augustæum jam ab Esaia aliisque prophetis sacris hoc nomine prædictum. Minime vero illud Domitiani, nullo minus nomine commendabile. Barth. Adv. XLVII. 18.

11. In membranis *in cœlum*. Quod sane efficacius. Barth. Adv. XLVII. 18. Supra erratum est ab operis. Ponendum enim fuit: *nunc vacat*] ita MS. Pessime editi libri: *nunc vocat*, &c.

12. *Cognoscere* inibidem exaratum est. Barth. Advers. XLII. c. 58.

13. Codex priscus: *vitet doctus arator*. Quomodo et Aldina et Guilielmi Morellii elegantissima Parisiensis editio. Nos Scaligerum sequimur. Barth. Advers. XLVII. c. 18, p. 2222. Sed quum non tam agricolæ stellarum rationem intelligerent, quam eruditi, ut Plinius fatetur; *doctus* mihi videtur interdum melius esse.

15. *Hæc ego dum lætis conor p. M.*] Priscus liber *cogor*. Et ita Morellius etiam, Commelinus et Hervagius. Nec tamen γνησίως: cum adscripta lectio facile germanitatem suam tueatur. Sed et *Latiis* scribendum cum membranis Susianis, certa fides Josepho Scaligero, qui sine ulla ultra controversia auctor est notarum Grotianarum. Barth. Advers. lib. XLVII. c. 18, p. 2222. *Latiis* a Grotio est, non a membranis Susianis. De reliquis Barthii verbis docti judicent.

16. Manilius, lib. I. v. 13: *Hoc sub pace vacat tantum*. Ea vero lectio ex Germanico patet. Uterque alludit templum pacis ab Augusto constructum, ut notavit Scaliger. In MS. alioqui *vocat* habetur, sed altero in marginem adscripto. Sententia vero nullibi recte explicata hæc est: *Tantum pacis tempore vacat nobis his studiis frui*. In laudem Augusti dicit, nam bellicis temporibus hæc studia jacent. Barth. Advers. I. c. 8. ——Secundare *Numen* poscit ab Augusto. Quod *numen* et quale, quod secundatione Principis opus habet? Ego commodam interpretationem adhuc inquiro. Barth. Advers. XLVII. c. 18. Numen Musarum adjuvari vult ab Augusto Germanicus.

19. Alii, *Axis stat, motus semper vestigia servat*. Exigua mutatione verum attigerimne, docti judicent. Morel. Haud dubie vera est hæc scriptura. Priscus codex cum cæteris nonnullis absurde: *Axis stat motus*. De *axi* pulcre Theodosius Tripolita libro I. Sphæricorum definitione III. Ἄξων δὲ τῆς σφαίρας ἐϛὶν ἐυθεῖά τις διὰ τοῦ κέντρȣ ἠγμένηκαὶ περατουμένη ἐφ' ἑκάτερα τὰ μέρη ὑπὸ τῆς ἐπιφανείας τῆς σφαίρας, περὶ ἣν μένουσαν ἐυθεῖαν ἡ σφαίρα ϛρέφεται. Geminus: Τοῦ κόσμου σφαιροειδοῦς ὑπάρχοντος, ἄξων καλεῖται ἡ διάμετρος τοῦ κόσμȣ περὶ ἣν ϛρέφεται ὁ κόσμος. Barth. I. 47, c. 18.

21. In aliis codicibus *Geminis* legitur, nullo sensu. Geminus, inquit, polus, quem ita dixere Graii, terminat axem, δύω Πόλοι, Aratus, v. 24. Cic. de Nat. D. II. c. 40: *Extrema ora et determinatio mundi*. Morel.

22. *Quem Graii dixere polum*] Vetus liber. *Quem dixere polum veteres*. Barth. XLVII. c. 18. *Pars mersa*] Ad notam nostram adde illud, quod apud Ciceronem, v. 241 et 242, *latus* est *linea*. Atqui quum triangulum sit quasi una linea, terna inflexione in seipsam rediens, nimis apertum est, cur Cicero dicat *Tertia pars lateris*.

25. *Arcti seu Romani*] Alii *Romanæ cognominis ursæ plaustrum: vel facies st. p. v.* Morel.

26. Priscus liber *vera*. Scribendum est *veræ*. Barth. Adv. XLVII.

c. 18. Me non suffragante, jubere hoc licet Barthio. *Plaustrave*] Homerus Iliad. Σ, Ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.

32. *Ctesia vos tellus aluit*] Membranæ *habuit*. Barth. XLVII. c. 18.

34. *Quod fidæ comites*] Aldus habebat: *Quod fidei comites prima incunabula magni Fuderunt Jovis, attonitæ cum furta parentis*. Mor. *Quod fidæ comites primo incunabula magni Fuderunt Jovis—Dictæi exercent Dominæ famuli Corybantes*] Codex priscus: *Fidei comites prima incunabula magni Fuderunt Jovis—Dicta exercere dominæ famuli Corybantes*. Latet profundior nævus, nec de Attyde mentio huc congrua, qui necdum in rerum natura fuit. Legam: *Attonitæ cum furta parentis* (*Ærea pulsantes mendaci cymbala dextra Vagitus pueri patrias ne tangeret aures*) *Dictææ tegerent dominæ famuli Corybantes*. *Dictæa Domina* Rhea est, Jovem in Creta enixa, cujus famuli tum Corybantes. Fabula obvia apud Apollonium II. Argonaut. Fragmenta Mœrus Poëtriæ, Claudianum, Minutium Felicem, Aratum hoc loci, Callimachum hymno Jovis, Ovidium, Scholiastem Sophoclis, et alios. Nihil ad lectionem hanc constituendam deest præter syllabam unam in voce *exercere*, quam utilem tamen esse non posse nemo ibit inficias. Barthius Advers. XLVII. c. 18, pag. 2223.

36. *Cymbala*] Vide de Cymbalis etiam Senecam Natur. Quæst. lib. II. c. 29, et Clericum ad Hammond.

38. *Dictæi exercent*] Ald. *Dicta exercere Dominæ*. Quod quidam correxere *Dictæi exercerent*. Morel. *Atydis*] Adde de *Atyde* Donat. Æneid. VIII. 116. Salmasius ad Solinum, pag. 37 a B. C. Ἄτυς inquit, *nomen Lydum est—Attis vero nomen Phrygii ephebi, quem dilexit mater Deum*. Sed Inscriptiones testantur etiam ephebum illum *Atyn* dici. De Atti etiam Tatianus contra Gent. p. 147. *Corybantes*] Cybeles ministri. Servius ad Æneid. III. v. 111, et VII. v. 796, et præsertim ad Æneid. III. 104.

44. *Septem quam Ctesia flammis*] Ald. *Septem qua Ctesiæ flammis*. Sensus est, nulla stella magis micat in cœlo, quam Helice septem flammis illustris. Morel.

48. *Has inter m. a. fluminis instar*] Vitiose alii habent *Luminis*. Aratus enim habet ὅιη ποταμοῖο ἀποῤῥώξ. Morel.

65. *Haud procul effigies inde*] Aldus corrupte *efficiens, unde*. Effigiem enim dicit quam Aratus εἴδωλον, et versu sequenti *non illi numen*, cum ex Arato, v. 64, constet *nomen* legendum esse, τὸ μὲν οὔτις ἐπίςαται ἀμφαδὸν εἰπεῖν. Morel.

67. *Diversaque tendens brachia suppliciter*] Mos vetustissimus miserabilium personarum. Vid. Barth. Advers. III. c. 2, p. 106.

71. *Ariadneæ*] Vide de Ariadna etiam Epigramma vetus apud Pithœum in Epigramm. Vet. pag. 94.

73. *Terga nitens stellis*] Aldus hunc et sequentem versum Coronæ affixerat, itaque scripserat: *Terga nitet stellis, a quo se vertice tollit Succiduis genibus lapsum et miserabile*. Morel.

88. *Ad quam si dorso*] Aldus: *Ad quem se dorso pervadet lubricus anguens*.—Morel.

89. *Insigni cœlum*] Dissentire cœpit a se ipse Grotius in notis ad imagines, nec vult *Insigni* esse *non claro*. Vide eum, p. 37.

90. *Baculoque minatur Sive ille Arctophylax Bacchio munere cæcus Icarus ereptam pensavit munere vitam*] Ita enim corrigendus ille depravatissimus locus apud Germanicum. Quod Aratus ἐλάοντι ἐοικὼς, et Manilius I. v. 316, *instat juvencis*, ipse verbo agricolarum dixit *baculo*

minatur. Nam minari boves est, quod Græcis ὁμοκλεῖν, et Tibullo, lib. I. Eleg. I. v. 10, *increpare: Aut stimulo tardos increpuisse boves.* Inde minari ἀντὶ τοῦ βοηλατεῖν. Quod Apulejus et vetus bibliorum sacrorum interpres usurparunt, ac vulgo in idiotismo Italico, Hispanico, Gallico in usu est. *Baculo minari* ait, intelligens pedum, quod Asterismi Græcorum vocant κολόρροβον, hoc est, καλάυροπα. Adjicit Germanicus, Arctophylacem a nonnullis Icarum vocari. Propterea Septentriones Icarios boves vocat Propertius II. Eleg. 24, v. 24: *Flectunt Icarii sidera tarda boves.* SCALIGER ad Manil. I. v. 316, p. 33, 34. *Baculoque minatus*] Aldus, *minatur.* MOREL. *Baculoque minatur*] Mihi *aquiminalia* vasa videntur minandis sive agendis aquis utilia. Nec lectio vetus mutanda, quod doctissimi isti homines voluerunt, cum etiam optimis auctoribus *minari* idem sit quod *agere.* Germanicus Cæsar Arateis: *Inde Helicen sequitur senior h. q. m.* BARTH. XLVII. c. 7, p. 2198. Sed cum Barthio novam significationem fingere nolim.

92. *Icarus*] Græci scriptores omnes Icarium appellant. Latini variant. Nam et Tibullus hunc eundem Icarum appellat. Ait enim lib. IV. *et cunctis Baccho jucundior hospes Icarus.* Quod idem apud Ovidium reperitur aliquoties. MOREL. *Icarus*] Arcas matrem transfixurus sagitta in cœlum repositus est, ut esset Arctophylax. Alii hunc volunt esse Icarum. Servius ad Georg. I. 68.

98. *Quam te, diva, vocem*] Brœckhusius ad Tibulli lib. I. Eleg. II. p. 205, putat hanc Virginem etiam *pacem* posse perhiberi.

105. *Seu genus Astræi*] Aldus hos duos versus ita cudit: *Sive illi astra genus fuerit, quem fama parentem Tradidit astrorum, se vero intercipit æva.*—MOR.

106. Ad notas adscribe etiam Servium, qui itidem Erigonen Icarii filiam esse statuit, in notis ad Georg. II. 389.

107. *Mediis te læta ferebas Sublimis populis*] Ita eo loco habent omnes editiones, antiquæ et recentes, etiam Bononiensis nostra MSS. ipsis æquabilis. At neque mollitudo carminis nec consuetudo Poëtæ abnuunt reponendum *sublimem in populis.* Duriusculum enim numerum unum eodem sono et casu de eadem re repetere. Arguit autem alacritatem Divæ. BARTH. Advers. XXII. c. 7, pag. 1085.

108. *Nec dedignata subire*] Aldus, *designata.*—MOR.

112. *Discordia nota*] Alia lectio *discordia nata.* Vide Lactantium, lib. V. de justitia, cap. 5, ubi hunc locum Germanici citat.—MOR.

116. *Nave petebat divitias fructusque*] Aldina editio habet, *Nave petebant divitias fructusque.*—MOR.

121. *Rarius invisit*] *Invasit* scripsit Aldus.—MOR.

122. *Ore velato*] Ex prisco more virginum, quæ velato capite incedebant. BARTH. Advers. XXI. c. 2, p. 1019. Imo etiam ex more lugentium et mœrentium.

126. *Increpat, o patrum soboles*] Aldus habet, *Increpito partum soboles oblita priorum. Degeneres habuit semperque habitura minores.*—MOR.

129. *Nova secula vestra Artibus indomitis tradent*] Ubi ego legam *vestras.* Nova secula vestras artes indomitis artibus tradent. Hoc est, in vicem vestrarum exercebunt artes malas. Non intellectus haetenus Germanici locus. Martialis libr. XI. epigram. 7: *Ardua res hæc est opibus non tradere mores, Et cum tot Crœsos viceris, esse Numan.* Sic in Claudiano restitutum. *Atque oneri traduntur opes, &c.* BARTH. XXIV. c. 5, p. 1288. Exempla Barthii non movent nos, ut Germanicum inde intel-

ligamus. *Artibus indomitis tradent*] *Tradant* Aldus, et versu sequenti, ubi est *super montes* habebat ille *super monitus.*—Mor.

134. *Semina virtutum vitiis d. r.*] Esse in hominibus cœlitus demissa virtutum semina scribunt Auctores, quæ usu bonarum rerum deinde excrescant. Rutilius in Itinerarii I. *Semina virtutum demissa et tradita cælo Non potuere aliis dignius esse locis.* Barth. XXII. c. 17, p. 1106, et XXIX. c. 5, p. 1360. *Demersa*] Vide plures hujus generis locutiones apud Barthium Advers. XXIII. cap. 2, pag. 1120, et XXIII. c. 10, pag. 1133, collectas.

135. *Ferrique invento*] Ut Hesiodus cum nostro pugnare ne videatur, tum primum ferrum inventum esse dicemus. Quod probare videtur Bochartus Hieroz. II. c. 32, p. 314.

136. *Polluit et taurus*] Adde huc Bochartum, qui in Hierozoico, lib. II. cap. 32, pag. 314, plurima collegit voca veterum, qui ab esu bovis antiquitus abstinuisse testentur homines superstitiosos.

146. *Vatibus ignotæ*] Aldus legit *ignotis.* —Mor.

148. *At capiti suberunt gemini*] Aldinus codex habet, *Ancipitis suberit gemini qua posterior pes.* Posteriora verba *Qua posterior pes* ut ad Leonem referrem, Arati verba fecerunt, itaque cuderem, ut nunc habes. Mor. *Gemini*] Ad locum Varronis supra citatum adde Servium in Æneid. XI. v. 259, scit triste Minervæ sidus: *Hæc numina, quæ inter sidera non videmus, licet sua signa propria non habeant, cum aliis tamen potestate sunt permixta: ut Ophiuchus, ipse est Æsculapii: Gemini Apollinis et Herculis esse dicuntur: sic Minervæ Aries esse dignoscitur.*

162. *Hippodamiam*] De hac vide etiam Servium ad lib. VIII. Æneid. v. 130, et ad libr. Georg. III. ineunt.

165. *Una putatur*] Lactantius, lib. I. de falsa religione, *Ipsius autem,* inquit, *Cretici Jovis sacra quid aliud quam quomodo sit aut subtractus patri, aut nutritus, ostendunt? Capella est Amalthææ nymphæ, quæ uberibus suis aluit infantem. De qua Germanicus Cæsar in Arateo carmine sic ait:* Illa putatur, &c.—Mor.

169. *Hædos ostendit nautis inimicum sidus*] Servius ad Æneïd. IX. 668, *Pluvialibus hædis.* "Subter Tauri cornu est signum cui Auriga nomen est. Hunc Tauro una clara stella conjungit. Retinet autem auriga stellas duas in manu, quæ hædi vocantur, quorum et ortus et occasus tempestates gravissimas facit. Oriuntur autem cum Scorpione mense Octobri."

174. *Taurus*] Adde ad scriptores, qui tradunt fabulam de Io primum in vaccam, deinde in Isim mutata, etiam Servium in Æneid. VII. v. 789.

178. *Fronte micant Hyades*] Emaculandum puto *Fronte notant hyades.* Cætera cum eruditissimo editore recentiore. Avienus: *Sic mediam creber frontem pecori asperat ignis: Sic Hyades Tauri toto procul ore coruscant.* Barth. Advers. XXII. c. 12, p. 1094. Mihi vetus lectio antiquior est. *Cornus*] de hoc genitivo ex *cornu* vide etiam Servium ad lib. III. Æneid. v. 22.

182. *Ruit Oceano bos*] Ex Virgilii imitatione: *Procumbit humi bos.* Vid. Barth. Advers. XXI. 20, pag. 1061.

194. *Clara etiam pernox*] Aldus *pernix.*—Mor.

196. *Obici*] Scaligeri locus, quem Grotius innuit, est in notis ejus ad Manilii lib. I. v. 354, pag. 37, 38. *Claviculæ*] Add. Barth. Advers. XVI. c. 1, p. 825, de quantitate syllabæ secundæ: *Qualis ferrato se obici clavicula dente Subjicit et foribus seducit vincula claustri*] *Obex* est pessulus, cui ferrato dente se subjicit clavicula, ut vincula claustri seducat

foribus. Ita emaculandos eos Germanici versus arbitramur, in quibus nec ipsemet Scaliger nobis satisfacit, sed nec de clavi Laconica Theonem ex Plauto refutans. Nam de exteriore et interiore feræ collocatione, non valvarum deductione loquitur. Neque quicquam contra facit locus Comici. BARTH. Adv. XXXV. c. 14, p. 1613.

200. *Piacula matris*] Ad Manilii v. 541, adscribit Scaliger, *Victima pro natis*, piaculum succidaneum stultitiæ matris, propter quam necesse fuit dare natos Ceto. Unde Germanicus de Andromeda: *meritæ non justa piacula matris.*

202. *Obscura sub nocte licet*] Brœckhusius in notis ad Propert. lib. I. eleg. IX. v. 30, p. 36, Ciceronem in lib. II. de nat. Deor. c. 43, nostro non repugnare demonstrat.

205. *Sed pœnæ facies remanet*] Sic Manilius: *Nec minus et scelerum facie rerumque tumultu Gaudebit. Facies scelerum* est figura rem ipsam spirans proxima veritati. Contrarium est species, quod nimirum nihil veritatis habet. BARTH. Advers. VII. c. 6, p. 323.

209. *Alvo, fulget equus*] Aldus scripserat *Albo* corrupte. Aratus enim habet γαςέρι νειαίρῃ. MOR. *Tres armos et latera æquis, &c.*] Armi sunt in equo, qui humeri aut scapulæ in homine. Vide hæc verba, et exempla plura in BARTH. Advers. XLIX. c. 7, p. 2292, seq.

212. *Qua ferus*] Nomen *feri* ad Arabicum פרש *pharas* alludere putat Bochartus Hieroz. lib. II. c. 6, p. 99. Quod equidem fortuitum malim credere.

224. *Inde subest Aries qui longe maxima torrens Orbis, et ad finem spacii non segnior horam Pervenit et quando graviore Lycaonis Arctos*] Scribendum nullo negotio arbitror, ut clara et perspicua exeat sententia: *Inde subest Aries qui longe maxima torrens Orbis, at ad fidem spacii non segnior horam Perveniet quam actu breviore Lycaonis arctos. Maxima* amplissima spacia dicit longissimaque. Sic Avienus in eodem asterismo: *Haud procul astro Visus equi magno celsum secat aera motu. Torrens* ruentem magna vi significat. Lucanus, lib. VII. *Abstulit ingentes fato torrente ruinas.* Quare eam vocem in Germanico non mutaverim. Summa autem sententiæ est Arietem magnum orbem tam cito perficere, quam Arcton minutum. Avienus ut Aratum non afferam omnibus obvium: *Tunc celer ille Aries longi qui limitis orbe Æthera percurrens nunquam Cynosuridos ursæ Segnior ablapsu convertitur.* BARTH. Advers. XXII. c. 12, p. 1094.

235. *Donum hoc Nili*] Seneca, lib. IV. nat. Quæst. c. 2, p. 698: *Nilus illato limo arenas saturat ac jungit. Debetque illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas.* Adde Diodorum Sicul. Bibliothec. lib. III. init. et eundem illum Senecam Nat. Quæst. VI. c. 26.

236. *Divitibus veneratum Indis in sede notârit*] Ita enim emaculandum, cum Basileenses libri imponant nobis, *undis* præferendo. BARTH. Advers. XXV. c. 7, p. 1227. Nihil habet lectio proposita a Grotio, cur Barthianam ei præferamus conjecturam.

239. *Hinc Aries*] Aldus, *Hunc Aries.* Itidem de piscibus, *Hunc ultra gemini pisces.*—MOR.

246. *Nodum stella premit*] Aldinus codex legit: *Nondum stella premit piscis qui respicit auras, Threiciæ dextram Andromedæ cernuntur ad ulnam.*—MOR.

249. Jupiter apud Homerum Iliad. Ξ de Danaë: Ἡ τέκε Περσῆα πάντων ἀριδείκετον ἀνδρῶν.

268. *Ventus superimminet auster*] Nescio quid in animo habuerit Ger-

manicus, qui ita vertit Arati v. 267. An legit *ἐπερχομένοιο νότοιο* pro *ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο*? An per ventum austrum intellexit imbres, qui Vergiliarum occasum sequi solent, et serendi tempus significant? Ita sementem instantem expresserit *τὸν ἐπερχόμενον ἄροτον*. Videtur tamen *per austrum superimminentem agricolis τὸ θέρος ἀρχόμενον* expressisse, et per *hiemem surgentem et portu fugiendam τὸν χειμῶνα ἀρχόμενον*. Hæc sunt bina tempora, quæ Vergiliis significantur orientibus et occidentibus, &c. SALMASIUS Plin. Exercitat. pag. 517.

275. *Contra spectat avem*] Tres hi versus in aliis codicibus cum superioribus de Lyra conjuncti erant, qui mihi ad Cycnum pertinere visi sunt.—MOR.

281. *Haud medii fulgoris*] Aldinus codex et Germanicus: *Aut medii fulgoris erunt penna utraque læta.*—MOR.

291. *Et cum terrores auget nox atra*] Aldus, *Mox atra*. Vitiose. Ut et versu sequenti pro *aspectaveris aspectaverit.*—MOR.

313. *Tunc alto Cynosura regit*] Eo tempore, quo Scorpius oritur matutino, nocte jam extrema ac præcipiti, tum Cynosuræ caput alte attollitur. Ita Cicero accepit, ita Germanicus. SALMASIUS Exerc. Plin. pag. 506 a F.

317. *Cælum ascendit*] Hanc cœlestem et Deam avem merito ridet Lucianus in concil. Deor. tom. II. p. 712.

331. *Tela, caput, magnisque humeris*] Orationis consequentia postulat *magnosque humeros.*—MOR.

340. *Primo speculatur ab ortu*] De ortu Caniculæ et prænotionibus quæ ex illo fiunt, vide Geopon. I. c. 8.

349. *Præligat*] Sic etiam Munckerus scripsit in notis ad Hygini fabul. 14, pag. 50. Similiter Cicero in phænom. Ar. v. 370: *At Canis ad caudam, servens prælabitur Argo.* Ubi et Grotius et Munckerus l. c. p. 49, annotant, quasdam editiones habere *prolabitur*. Monere debuerat uterque, *prælabitur* ante ferendum esse. Sed quoniam in contextum versuum *prælabitur* receperunt, satis apparet, utrum præoptandum censuerint.

360. *Auster Pistris agens*] In aliis codicibus est *agit.*—MOR.

362. *Bellua sed ponti non multum præterit amnem*] Licet locum Manilii, I. 428, et de mari capere, ut Germanicus. BARTH. Advers. lib. VII. c. 7, p. 326. Ego vero nolim.

369. *Procul a motis*] Alias *amotis.*—MOR.

392. *Ante Sagittiferi multum*] Alii *nullum pernicia.*—MOR.

395. *Arcturum contra*] Hoc est, ex adverso positum. BARTH. XLVII. c. 1, p. 2183.

397. *Thuribulum*] Alii *Thuribulo*. Et versu sequenti *præcipiti tactu*. Item versu ab hoc octavo *Erigat emittantque latus.*—MOR.

398. *Præcipiti tractu vastis demittitur undis*] Vitiose arbitror Germanicum dixisse. BARTH. Adv. XVII. c. 9, p. 872. Quod probatum esse pervelim.

424. *Si tenuem traxit nubem*] Alii codices: *Sic tenuam.*—MOR.

430. *Corvum*] Fabulam Corvi ad sacram historiam Noachi respicere, qualis illa quidem a LXX Interpretibus narratur, videtur Bocharto Partis II. lib. II. Hierozoic. c. 13, p. 212. Sed hoc mihi petitum longius videtur. Ad v. 451, Servii loco supra citato adde illum Senecæ ex Natur. Quæst. lib. V. c. 17: *Cælum dividitur in circulos quinque, qui per mundi cardines eunt. Est septentrionalis, est solstitialis, est æquinoctialis, est brumalis, est contrarius septentrionali. His sextus accedit qui superiorem partem mundi ab inferiore secernit. Hanc lineam quæ inter aperta et*

occulta est, Græci ὁρίζοντα *vocant, nostri finitorem dixere, alii finientem. Adjiciendus est ad hunc meridianus circulus, qui horizonta rectis angulis secat, &c.*

472. *Cancro qui fulgent oculi, cui regula currit*] Haud dubie versus legendus ita, ut expressus est.

544. *Nautis lætissima*] Sextus Empiricus advers. Math. lib. VIII. p. 324: Τούτῳ συμφωνεῖ τὸ τοὺς Διοσκόρους ἀγαθούς τινας εἶναι δαίμονας, σωτῆρας ἐνσέλμων νεῶν, *Cui rei congruit, quod Dioscuri sunt boni quidam dæmones, servatores navium.* Adde Strabonem I. pag. 83, et V. p. 354. Lucianum Dialog. Apoll. et Mercur. tom. I. pag. 237; Artemidorum Onirocrit. lib. II. c. 42, p. 133. Videndum autem ne confundatur interdum a veteribus meteorum stellæ Castores appellatum cum stellis ipsis. Videatur Plinius II. c. 37.

549. *Secura novercæ*] Ulitius ad Gratii v. 305, seq. *Tum denique fœtæ Cum desunt operi fregitque industria MATRES, Transeat in catulos omnis tutela relictos,* adscribit: τὴν φιλοτεκνίαν. Ovidius Metamorph. VIII. v. 463: *Pugnant materque sororque, Et diversa trahunt unum duo nomina corpus.* Ἡ φιλοτεκνία καὶ φιλαδελφία Althææ modo filium suum, modo fratrum funus objectat. Hinc lucem capit Germanicus Cæsar in Phænon. *Nunquam secura novercæ.* Quod ita παραφράζει Avienus alibi: *novercales ut semper proderet iras.* Hactenus Ulitius, qui idem ad v. 17 Nemesiani, pag. 320, ita scribit: "Novercam pro pellice posuisse videtur Germanicus in Phænom. Arat. v. 143, *secura noverca* Alcmen scilicet. Quod tamen et aliter explicavi."

566. *Syriæ duo numina Pisces*] Venerem et Cupidinem designantes. Vide Jac. Ouzelii animadv. ad Minucii Octavium, pag. 180.

655. *Nudabatque feris*] Fuit enim Venator. Hinc Homerus Iliad. Σ fingit, Arctum timere Orionem, quippe venatorem. Sic enim canit: Ἥτ' αὐτοῦ στρέφεται καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει.

702. *Plus mediam*] Grotii observationem stabiliet exemplum ex Livii XLII. cap. 8: *Ligures quum majorem multo partem civium amissam, quam superesse cernerent (nec enim plus decem millia hominum erant) dediderunt se.* Sed plura suppeditabit tum Tursellinus noster, cap. 155, p. 882, et cap. 21, p. 141, tum Grammatica. Nostram autem observationem qui *mediam* esse *dimidiam* diximus, ex melioribus scriptoribus probabimus, ne quis cum Casaubono ad Capitolini Pium, c. 4, id nove dictum putet, et ex eo antiquitatem Auctoris nostri convellere audeat. Columell. XI. c. 2, p. 426: *Pridie nonas Maias Nepa medius occidit.* Et pag. 428 edit. Comelin. *Pridie Nonas Julias Cancer medius occidit. Calor. Octavo Idus Julias Capricornus medius occidit.* Palladius Januan. tit. 18: *Postea expressis myrti granis colabis, et in eo vino medium croci scrupulum et folii unum scrupulum mittis.* Sed apud Varronem, lib. III. de re rust. cap. 7: *Hieme demunt cibum medium,* male aliquis exponit *dimidium.* Nam contra dicunt verba proxima superiora: *Deinde manducato candido farciunt pane: hieme hoc bis, æstate ter, mane, meridie, vesperi. Hieme demunt cibum medium.* Hoc est, cibum meridie negant.

PROG. II.—69. *Horridus at gelidos*] Alii codices *ad gelidos.*—MOR.

93. *Conspectu signa leonis*] Aldinus codex *conspecta.*—MOR.

94. *Plenique in nube fragores*] *Plenus* videtur pro gravi, magno, vehemente, poni.

97. *Cœlum*] Nolim hoc vocabulum mutari. Nam quum cœlum repelli

dicit, videtur serenum et purum aërem intelligere, cui cum prætenduntur nubes, cœlum cum stellis repulsum quasi videtur.

98. *Libræ*] Legatur *Libra*, quod nomen quidem a proximo superiori vocabulo *glacialia* per virgulam sejungatur. Nihil videtur certius. Induci igitur pace mea possunt, quæ ibi adscripsi.

99. *Gravetur*] Grotius videtur non recordatus esse, etiam *gravari* esse *queri*, vel potius *graviter ferre*. Quod hic quidem valde elegans est. Lucanus, lib. V. v. 258: *Seque putat solum regnorum injusta gravari.* Sueton. August. cap. 72: *Ampla et operosa prætoria gravabatur, et neptu quidem suæ Juliæ profuse ab ea extructa etiam diruit ad solum.*

101. *Continuosque ruit*] Alias, *continuisque*.—Mor.

121. *Nubila*] Pro nomine hoc ponendum conjectavi *luces*. Nunc malim *soles*, repudiata vetere conjectura. Nam ipse auctor belle et diserte *nubila* et *soles* inter se opponit versu 53 hujus ejusdem fragmenti: *Cum dederit soles, inducit nubila cœlo, Nubila cum fuerint, subitos mirabere soles.*

124. *Templa*] Id est, regionem sive locum definitum et certis limitibus circumscriptum. Videtur hoc nomen ex Augurum disciplina petitum. Iis enim est perfamiliare.

135. *Quamvis*] Nimis apertum est, *quemvis* esse legendum.

136. *Exoritur mundo Cyllenius ignis Quid faceret primum modo cum lumine Solis, Tempus et occasus moneat quoque discere Phœbi*] Nova correctio nostra clarior omni luce videtur, et idcirco merito recepta.

Epig. I.—*Martis amica*] Homines bellicosi et strenui amici Martis dicebantur. Ita Germanicus Cæsar (non enim indignum Heroe tanto carmen est) ad tumulum Hectoris, &c. Barth. Advers. XLIX. c. 17, p. 2318.

Epig. II.—*Abscidit*] Ne quid, propter secundam syllabam, immutandum putes, ecce Lucani de Bell. Civ. lib. VI. v. 568: *Illa comam læva morienti abscidit ephebo. Testa*] Ovidius Trist. III. eleg. X. v. 38, pulcre *testam* vocat glaciem duram, instar testæ igne concretæ, frigore densatam: *Vidimus ingentem glacie consistere pontum, Lubricaque immotas testa premebat aquas.* Testa enim est, quod instar figulini habet operis. Sic glaciata vina testam vocat idem Ovidius: *Nudaque consistunt formam servantia testæ Vina.* Barth. Advers. XXXII. c. 21, p. 1500. Sed Barthius aberrat a vero, quum hîc vina glaciata testa putat significari. Testa enim dolium est testaceum, cujus formam vinum frigore concretum retinet. Fuerunt enim Romanorum dolia testacea. Qua de re ad Columellam dicemus.

IX. APPENDIX ORELLIANA.

Orellius, in supplemento Phædri sui, hæc narrat de fragmento Germanici ab Iriarte editum in libro, quem ipse nancisci nequibat:

"Admonuit me nuper optimus amicus Bardilius principem editionem Germanici proprie non esse Venetam a me hoc nomine designatam, sed eam, quam Hain in repertorio, vol. II. p. 352, n. 10707, describit, scilicet

Bononiensem anni 1474, junctam Manilio. Hanc qui consulere aliquando poterit, id ante omnia examinet necesse erit, utrum Veneta mea ex illa sit expressa, an, quod suspicor, ex alio codice ducta. Præter Burmannum autem etiam Iriarte in Catal. MSS. Gr. Matriti 1769, p. 203, fragmentum Germanici prius ineditum vulgavit, quo libro me carere magno opere doleo. Fortasse iidem sunt versus, qui misere corrupti extant in Codd. Puteano et Basileensi."

Dum pagina, in qua hoc questus est, adhuc a prelo madebat, forte Orellio evenit ut libri desiderati exemplar in manus venerit, quo facto addidit Phædro suo Appendicem quæ sequitur :

Fortefortuna quum opportuno etiamnunc tempore nactus sim Joannis IRIARTE librum rarissimum, omnia ex eo, quæ ad κρίσιν Arateorum Germanici facerent, sedulo excerpsi. (Pag. 203-212.)

Codex Matritensis membranaceus Sec. XII. (A. 22) simillimus omnino est Basileensis, nisi quod in loco a Burmanno primum edito duobus etiam versibus auctior est et in nonnullis, paucissimis tamen, emendatior. A Codice Bas. his differt lectionibus :

1. *Ex illo—ubi.* Post v. 2, habet hos duos : *Commissus cæreri fruges spectabis in erbis. Pomaque purpureo primum nascentia flore.*

3. *Infætu falit.*
4. *Ovili.*
6. *Distituat tauri.*
8. *Adid geminos.*
10. *Subte pater.*
13. *Jam tum maturæ spicea pendent.*
15. *Percoquit.*
16. *Liber.*
18. *Num qua læte.*
22. *Omnia quæ.*
24. *Geminique.* (Ibid.) *acre leonis.*
25. *Æquate—chelæ.*
28. *Nebulis hebetabitur.*
29. *Præcipites agitabunt.*
30. *Lentos.*
31. *Belliger et—statione.*
32. *Tonitru—æther.*
36. *Probi.*
38. *Adigerit.*
40. *Syrius* (Sirius.)
41. *Adprimæ qua colit ecumina.*
43. *Marcia non illos turbabititella.*
44. *Haud.*
45. *Sed si forte.*
46. *Undæ.*
48. *Ad faciles glebæ lusta stringit.*
49. *Vellere fulsit.*
50. *Sub lucem.*
51. *Taurus.*
54. *Puta.*
55. Firmat *fulserit.*
56. Omittit *annum.*
57. *Nemeis.* Habet *astrum.*
58. Om. *et.*
60. *Nunc—cælum—acer.*
62. *Cum Juppiter ignibus omnis.*
64. Ut nos.
65. *Singula signis.*
68. *Egokeri.*
69. *Humidus ad gelidos—ignis.*
71. *Sub prima recurret in astra* (*suprema recurret in astra* Ir. susp.)
72. *Hesperos hæc tibi signa labe tum cum lucifer cur ora* (*signa dabit,* ut ego, conjecit etiam Ir.)
73. *Ingrediens.*
75. Om. *hæc.*
76. *Vere cavere imbres et fulgera comam en alto* (*culmine in alto* Ir. susp.)
77. *Phrixee rutulo* (sic) *pecudis radiaverit.*
79. *Flaminatque.*
80. Ut nos.
82. *Apponi geminis eadem constantia perstat.* In v. *perstat* firmat meam conj. Propius ad Codd. Bas. et Matrit. atque, ut artius cohæreat cum præcedd., locum sic constitues : *Exoriens ecce hæc Cytherea movebit : Vere* cadent *imbres et fulmina culmine ab alto, Phrixeum rutilo pecus ut radiaverit astro. Nubila commixtusque fragor pluvialibus undis, Flami-*

naque assiduo terris instantia pulsu Et diræ cœlo dejecti grandinis ictus Vere magis, nitido *Tauri quom sidere fulsit,* Apparent: *etc.* sive aliquod verbum finitum eliciendum e Codd. lect. *Apponi,* quod referatur ad vocc. *nubila—fragor—flamina—ictus.*—OR.

83 et 85. Ut nos.

86. *Lucet et alternabit.* (*Lucet et alterna variabit* Ir. susp.)

88. Firmat *ulli.*

92 et 93. Ut nos, nisi quod *Ad rap.*

94. *Plerique* (*plureaque* Ir. susp.)

96. *Replebit.* Hoc recipiendum. Malim etiam *detrahet.*

97. *Cælum ob frigore primo.*

98. *Glacia terrore.*

100. *Ad diris omnia nimbos.*

101. *Ruit.*

103. *Fulmine ruptis.*

105. (*Lumina vincet* conjecit etiam Ir.)

106. *Prædicet.* Recte, puto.

107. *Extremis ævis.*

108. Ut nos.

109. *Est quoniam certis rati viam cognita signis.* (*Est q. c. recte via* Ir. susp.)

110. *Mundus.*

112. *Solitus.*

113. *Cum pecû* (*pecoris* Ir.)

115. Ut nos.

116. *Alias pluvias.*

118 et 119. Ut nos. (Ibid.) *sereni.*

121. Ut nos.

122. *Certus ardor* Cet. ut nos.

126. *Scorpios et pl.*

129. *Aut idem ubi consurgit capricornis et debiformis* (*Capricornus inde biformis* Ir. susp.)

131. Ut nos.

135. *Cogn. detur.*

136. *Exoritur ignis quoque cylleneus.*

137. *Primo modo cui.*

138. *Moneatque discedere.*

140. *Junget.*

142. *Urenturque.*

143. Ut nos.

146. Ut nos. Seqq. corrupta ut in contextu Grotii.

150. *Flatus ad gelidis miscet trunquilla serenis.* (*Flatibus at gelidis miscet tranquilla serena* Ir. conj., melior mea, atque recipienda.)

151. *Nuta manu nec libera tendenti.* (Eodem prorsus modo atque ego, Iriarte emendavit versum corruptum.)

153. *Adventis* (*a ventis* conjecit etiam Ir.)

158. *A rapidis.*

159. *Brumatusque.*

160. *Securas agem.* *Non frustrat animum.* (Ut ego, emendavit etiam Ir. Nunc tamen video e Codd. *frustrat* leg. esse *frustrata animum* pro *frustrans a.*)

In PHÆNOMENIS etiam Cod. Matrit. habet nostrum v. 558, et vv. 571-574. Versu 574, perperam exhibet *in austros* pro *in auras.*

PHÆNOM. v. 38. Heinsius conjecit: *Dictæis texere adytis famuli Corybantes.* Cfr. Schraderi *Emendd.* p. LV. (v. 35. *Foverunt* exhibet etiam Ms. Put. ab Heinsio collatus.) Ibid. p. LVI. v. 127, *minores*] contra Grotii *nepotes* recte vindicat P. Bondam *Var. Lectt.* p. 301.

LOCUS NOSTRÆ EDITIONIS, (p. 20)

Probabiliter Restitutus.

Juppiter est illo lætus magis. Hic ubi Solis
Vitavit flammas, proprio bene lucidus ore,
Commissas Cereri fruges spectabis in herbis,
Pomaque purpureo primum nascentia flore;
Nec pecus in fetu fallet; nova turba repente
Mugiet e stabulis, arcto balabit ovili.
Idem, ne tellus nimium siccata tepore
Destituat sata, quom tetigit fera cornua Tauri,
Dat pluvias; sorbetque datas, quom Pleiada fugit
Atque adiit Geminos; Cancro placidissimus idem
Dat modicas vires, rabidos et temperat æstus:
Et Leo terribilis sub te, Pater, ipse repellit
Instantes morbos et Ditis limina cludit.
Incipit agricolis in Virgine solvere vota.
Jam tum maturæ segetes, et spicea pendet
Ante Larem primum perfecta messe corona.
Libra tumescentes musto bene percoquit uvas.
Scorpion ingrediens tua, Liber, munera condit.

CONJECTURARUM AUCTORITATES.—1. *Lætus*] Burmann. Iriarte. (Ibid.) *Solis*] Bu. Ir.

5. *Fallet*] Or. *fallit* p. Ir.

6. *E stab.*] p. *in stab.* Ir. (Ibid.) *arcto*] Scil. propter ipsam agnorum multitudinem. Or. *alto* Codd. *altum* vel *alte* Ir. suspic. (Ib.) *balabit*] Bu. Ir.

7. *Tepore*] Ir. suspic. F. *nimio.*

8. *Destituat*] Bu. Ir.

9. *Quom Pliada*] Or.

10. *Atque adiit*] Heins. Ir.

11. *Rabidos*] Or.

14. *Solvere*] Bu. Ir.

15. *Pendet*] Heins. Ir.

16. F. *patrium.*

Jamque Sagittiferum scandens sua sidera reddit
Nunquam lætæ hiemi; modice tamen in Capricorno.
Hydrochoon Piscesque agitat sævissimus idem,
Si statuit currus quocunque in sidere fessos.
Lanigero tonat et Pœni per terga Leonis;
Omniaque hibernis permiscet mensibus astra.
At quom Phœbeos Mavors effugerit ignes,
Sive Aries Geminique deum sive acre Leonis
Sidus et æquatæ librato pondere Chelæ,
Aut arcu pollens aut imbris Fusor habebit,
Spissatis cæcus nebulis hebetabitur aër,
Nullaque præcipites agitabunt æquora venti.
His idem lentos signis quom supprimet ignes
Belliger et nigra cursus statione tenebit,
Tum crebro magnus tonitru pulsabitur æther,
Tum resoluta dabit nimbos cum grandine nubes;
Sed magis, hibernæ sciderit quom sidera partis,
Effundet totas violento numine vires.
At modicos imbres, proni quom cornua Tauri
Frugiferamque deam vel brumalem Capricornum
Attigerit, liquido non sævus ab æthere fundet.
Insertus Cancro, terras quom letifer ortu
Sirius afflavit, nocituros temperat æstus.
Scorpios at primæ qua tollit acumina caudæ
Frigidaque extremi jam claudunt sidera Pisces,
Martia non illos turbabit stella, neque imbre
Aut ulla condet nitidos caligine soles.
Sed si forte diem victus mutaverit aër

19. *Sidera*] Ir.
24. *Hibernis*] Bu. Ir.
25. *At quom*] Bu. Ir.
28. *Fusor*] Bu. Ir.
29. *Spissatis*] Or. (*Siccatæ* enim *nebulæ* nullæ sunt.)
31. *Supprimet*] Ir.
35. *Sciderit*] Or. *steterit quom sidere* Ir.
36. *Violento*] Heins. Ir.
37. *At*] Helvetius. Ir. (Ibid.) *proni*] Helvetius. Ir.
39. *Attigerit*] Ir.
40. *Insertus*] Helvetius. Ir.
42. Emendarunt Heins. et Ir.
44. *Martia non illos turbabit stella*] Helv. Ir. (Ibid.) *imbre*] Ir.
46. Hunc v. non intelligo. Fuitne: *Sed si forte diem varias mutaverit aër*, an *die* (genit. ant.) *vultum mutaverit aër?* Or.

Et ventos aut fundet aquas, gelidissimus undæ
Fit rigor et toto Boreas dominabitur orbe.
At faciles glebas astringit frigore verno
Alma Venus, Pecudis claro quom vellere fulsit
Sub lucem exoriens; eademque ubi tempore eodem
Ætherium venit Taurum super, imbribus atris
Et tonitru crebraque abscondit grandine terras.

48. *Fit*] Bu. *Tum* Ir.
49. *At faciles glebas astringit* Bu. *At facilis glebæ luta stringit* Ir. Cetera, in quibus differt restitutio nostra a Cod. Basil., correcta sunt e Codd. Puteaneo et Matritensi.

NOTIS AD PHÆNOM. 123 ADDE.—Longe probabilior quam Grotiana conjectura *tristique genas abscondita vitta* est Salmasiana (Tertull. *de pallio.* Lutetiæ, Paris, 1622-8, p. 117) *tristique genas abscondita rica*, a Gesnero et Forcellino in *Thesauris* v. *rica* sine auctoris nomine memorata.

X. NOTÆ BREVES DE SCHOLIASTÆ QUIBUSDAM LOCIS.

VIR doctus C. G. Heynius in epistola, quam ad J. C. Schaubachium Eratosthenis editorem conscripsit, hæc habet: *Si recte video, Eratosthenes nihil aliud egerat, quam ut Arato brevia Scholia subjiceret, seorsim perscripta, ... Scholia ad Germanicum fuere qui ab ipso Germanico carmini ex Arato verso adjecta crederent; sunt tamen ea tam imperite et barbare ex Eratosthene, adjectis aliis aliunde, reddita, ut non nisi a seriore aliquo homine proficisci potuisse videantur, qui uti Aratum scholiis viderat Græcis instructum, ita Germanicum Latinis onerare voluit.* Utrum hæc sententia vera sit, lector facile dicat: hoc certe comperti est, Scholiastem Germanici usque adeo ad verbum Eratosthenem sequutum ut in omnibus fere locis, siderum numeris et nominibus conveniant, atque etiam ubicumque inter se variant hi duo scriptores, causa sit in imperito imitatore, qui Eratosthenem, Græce scribentem, minus intellexerit. Stilus quoque nostri Scholiastæ ac genus loquendi, merito eum in deteriorem Linguæ Latinæ ætatem relegant. Sequuntur breves quædam observationes, quas partim suppeditavit amicus meus G. Burgesius, partim mihi libellum meum retractanti hic, etsi levis quidem momenti, visum est adjungere.

Pag. 27. Sub torrido quidam habitare, etc.] i. e. *homines* sive *incolas*, quæ vox ante modum infinitivum *habitare* omissa satis de ævo Scholiastæ argumenti præbet: eadem res de eadem voce duarum intervallo linearum iterum notanda.

Pag. 29. " Sed et Crates comicus *A Vesta incipiens et profari carmine*] Pro *Crates* legi debet Cratinus. Similiter in Cygno ' *Crates tragœdiarum scriptor.*' Valckenaer ad Phœn. 447 emendavit ' *Cratinus comœdiarum,*' &c. Versus Comici fuit, opinor, 'Αφ' Ἑστίας ἀρχόμενος ᾠδ' ᾄδειν μέλη : unde

et Latina corrigere est legendo *ita* pro *ut*. Extat Ἀφ' Ἑστίας ἀρχόμενος in Aristoph. Vesp. 848."—G. B. (*Ibid.*) Sophron. in Mimo, qui Nuncius inscribitur] "Nulla hujus Mimi mentio facta est Blomfieldo neque in Diario Classico, N. 3, neque in Museo Critico, N. 7."—G. B. (*Ibid.*) Philonem Comicum] "Lege *Philemona*, quod præcepit Meineke ad Philemon. p. 392."—G. B.

Pag. 30. Dei igitur, &c.] i. e. Dei *officium* sive *mos* est in delicta lenem se præbere. (*Ibid.*) Arctum emixa est] Pessime in hoc loco Scholiastes Eratosthenem interpretatus; Græcus auctor hæc dicit: *καὶ οὕτως τεκεῖν, Ἄρκτον γενομένην, τὸν κληθέντα Ἀρκάδα, atque ita, ursam factam, filium quem Arcadem appellant peperisse.* (*Ibid.*) Habet autem stellas, &c.] Consentiunt hic Scholiastes et Eratosthenes de toto numero stellarum, de collocatione earum diversa narrant. Idem in aliis sideribus notandum.

Pag. 31. Quam Sidones aspicientes] "Sic et Ovid. Fast. *Magna minorque feræ, quarum regis altera Graias, Altera Sidonias, utraque sicca, rates.*"—G. B. (*Ibid.*) Asiaticis] "Hyginus *Aglaosthenes qui Naxica scripsit.* Eratosthenes quoque Ἀγλαοσθένης ἐν τοῖς Ναξικοῖς. Inde colligi potest τὰ Ναξικὰ esse particulam τῶν Ἀσιατικῶν seu potius τῶν Νησιωτικῶν."—G. B. Pro *Agathosthenes* lege in textu *Aglaosthenes*. (*Ibid.*) et maxime altera] Schaubachius in notis legit *maxima*. (*Ibid.*) flexuoso corpore] Videntur mihi hæ voces in priore loco delendæ; nec enim quicquam ad sensum proficiunt, et tam proxime recurrunt, ut contra aurem legentis offendant. (*Ibid.*) Ob memoriam virtutis Herculis] "Locus explicatu difficilis et fortasse mutilus. Confer Hygin. in Serpent. Nonnulli dixerunt hunc Draconem a Gigantibus Minervæ objectum esse, cum eos oppugnaret: Minervam vero arreptum Draconem contortum ad sidera jecisse."—G. B. (*Ibid.*) ab invicem] Utrum hic scribi oporteat *ab se invicem*, ignoro: nam Vitruvius non dubitavit *a peregre* scribere, quod tamen minus fortasse, quam *ab invicem*, aures offendit.

Pag. 32. Quia cum Liber] Schaubachius omittit *cum*: mallem equidem *quia* omisisset, quæ vox minus mihi apta videtur, cum modo subjunctivo *uenisset* conjuncta.

Pag. 33. Chelippio—Celsionio] "Vox utraque est fortasse mendosa. Eratosthene teste mons fuit Κολώνη nomine."—G. B. Schaubachius legit *monte celso*. (*Ibid.*) irridens Dianam, &c.] "Hæreo in locutione *quæ—constituebat*. Quod ad res narratas attinet, confer Eratosth. in Orione, 32, δοκεῖ ἀπειλήσασθαι ὡς πᾶν θηρίον ἀνελεῖν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς γιγνομένων: quo respexit Hygin. in Scorpione, "*dixisse etiam Dianæ et Latonæ se omnia quæ in terra oriuntur, interficere.*"—G. B.

Pag. 37. Nigidius refert] Locum impeditum ita tentavi: *hunc Leonem nutritum apud Lunam* (dele *jussu Junonis et*) *in terra Arcadia, in regione Nemææ* (*in spelunca Mihdimon nomine fuerit quam quidam Aphriso dicunt*) *et jussu Junonis ad Herculis exitium dimissum*, etsi vereor ne lector hæc quoque obscuriorem sensum præbere putet—Mihdimon] "Portentum est istud *Mihdimon*, cujus loco legere malim *Muchodomi* (*μυχοδόμου.*) Extat παραυλίζουσα πέτρα μυχώδεσι μακραῖς in Eurip. Ion. 494."—G. B. (*Ibid.*) Dumque cubiculum introirent, certando Vulcanus semen in pavimentum injecit] Hanc historiolam paulo fusius enarrat Hyginus in Heniocho: "De cujus (Erichthonii) progenie Euripides ita dicit, Vulcanum, Minervæ pulchritudine corporis inductum, petiisse ab ea, ut sibi nuberet, neque impetrâsse, et cœpisse Minervam sese occultare in

eodem loco, qui propter Vulcani amorem Hephœstius; quo persecutum Vulcanum, ferunt, cœpisse ei vim afferre et cum plenus cupiditatis ad eam ut complexui se applicaret ferretur, repulsus, effudit in terram voluptatem." Hæc omnia ex Eratosthene sunt Latine reddita. Λέγει δὲ καὶ Εὐριπίδης περὶ τῆς γενέσεως αὐτοῦ τὸν τρόπον τοῦτον, Ἥφαιστον ἐρασθέντα Ἀθηνᾶς βούλεσθαι αὐτῇ μιγῆναι· τῆς δὲ ἀποστρεφομένης καὶ τὴν παρθενίαν μᾶλλον αἱρουμένης, ἔν τινι τόπῳ τῆς Ἀττικῆς κρύπτεσθαι, ὃν λέγουσι καὶ ἀπ' ἐκείνου προσαγορευθῆναι Ἡφαίστιον· ὃς δόξας αὐτὴν κρατήσειν καὶ ἐπιθέμενος πληγεὶς, ὑπ' αὐτῆς τῷ δόρατι, ἀφῆκε τὴν ἐπιθυμίαν, φερομένης εἰς τὴν γῆν τῆς σπορᾶς. Inde nullo molimine ipsa Euripidis verba erui possunt.

Ἐρᾶν Ἀθάνας φασὶν Ἥφαιστον θέλειν τ'
αὐτῇ μιγῆναι· τὴν δὲ λέκτρ' ἠρνημένην,
ἢ παρθένειαν μᾶλλον ἦν αἱρουμένη,
φυγεῖν Ἀφάννας ἔς τε γῆς κρύπτρ' Ἀτθίδος,
οὕτως ἀπ' ἔργου τοῦδέ γ' ὠνομασμένα.
οὐδ' ἔλαθεν Ἡφαιστεῖον ὄμμ', ὃς ἕσπετο.
ἐπιθέμενος δὲ καὶ κρατεῖν δόξας, θεᾶς
πληγεὶς ὑπ' αὐτῆς, δόρυ γὰρ ἐκ Παλλαντίδος
γῆς Παλλὰς ἔβαλ', εὐνῆς ἀφῆκε τὸν πόθον,
ἄλλως φερομένης τῆς σπορᾶς εἰς τὴν χθόνα.

v. 1. Illud τ' admitti posse satis comprobat Soph. in Œd. *r.* 29, μέλας δ' Ἅιδης στεναγμοῖς: at in Œd. C. 1164, Σοὶ φασὶν αὐτὸν ἐς λόγους θέλειν (vulg. ἐλθεῖν) μολόντ' Αἰτεῖν.

v. 3. Ἀφάννας. Hanc vocem ex ingenio inserui memor gl. Hesych. Ἀφάνναι· χωρίον τῆς Δαμαρτίδος φυλῆς πόρρωθεν. Lege, τῆς Δημητριάδος φυλῆς πόρρω Ἀθηνῶν. Neque locus hic est unicus, ubi Ἀφάνναι evanuerunt. In Thucyd. VI. 54, vulgo legitur, ὁ Ἵππαρχος, ὡς αὖθις πειράσας οὐδὲν μᾶλλον ἔπειθε τὸν Ἁρμόδιον, βίαιον μὲν οὐδὲν ἐβούλετο δρᾶν, ἐν τόπῳ δέ τινι ἀφανεῖ, ὡς οὐ διὰ τοῦτο δὴ, παρεσκευάζετο προπηλακιῶν αὐτόν. Ibi Levesquius et Dobræus legunt τρόπῳ. Atqui et locus et modus injuriarum erant ἐμφανέστατοι. Tu vero scribe, quod scripsit Thucydides, ἐν τόπῳ δέ τινι, Ἀφάνναις, οὗ διῃτᾶτο ἀνέδην, παρεσκευάζετο προπηλακιεῖν αὐτόν. Ita enim ἐν τόπῳ τινὶ Ἀφάνναις plane congruunt cum verbis Plutarchi in Lycurg. ss. 16, τόπον τινα Λέσχην καλουμένην. Congruunt quoque διῃτᾶτο ἀνέδην cum gl. Hesych. Ἐξεδιῃτᾶτο. ἔξω τῆς νομίμου διαίτης ἐγεγόνει, quæ pertinet ad Thucyd. I. 132, ἐξεδεδιῄτητο: sed et simplex δεδιῄτημαι exstat in Thucyd. VII. 77. Concinit quoque διῃτᾶτο ἀνέδην cum ἀνέδην ἐπόρνευε in Lucian. Alexandr. c. 5, ἀνέδην ἐπόρνευε. Amice denique conspirant inter se διῃτᾶτο et ἀνέδην, uti patet ex ἀνειμένῃ τῇ διαίτῃ in Thucyd. I. 6. Verum ut ad Euripidea revertar, in *v.* 4, κρύπτρα est *latibula.* Iterum excidit vox eadem in Herc. F. 1103, uti monui in Class. Journ. N. 46, p. 401.

In *v.* 6, ὃς pendet de Ἥφαιστος in Ἡφαιστεῖον subaudito. Vid. Porson Hec. 22. In *v.* 8, inserui Παλλαντίδος ex Hesych. Παλλαντίς. ἡ Τριτωνὶς λίμνη, quem juxta locum Pallas solebat morari, teste Æschylo in Eum. 290. Ἀλλ' εἴτε χαίρουσ' ἐν τόποις Λιβυστικοῖς Τρίτωνος ἀμφὶ χεῦμα γενεθλίου πόρου Τίθησιν ὀρθὸν ἢ κατωφερῆ πόδα Φίλους ἀρήγουσα."—G. B.

Hæc dicit Burgesius; cui serius ad emendandum, quam aliis ad intelligendum auctorem quemlibet vires deficient. Versus, quos sub nomine Euripidis currente calamo scripsit, ne plus veræ antiquitatis quam

pulchritudinis habeant, equidem non metuo. Res mihi nunc de emendatione Thucydidei loci agitur: ubi omnino amicum meum a scopo aberrâsse, nullus dubito. Ait quidem Thucydides Hipparchum, ab Harmodio spretum, (ἐν τόπῳ τινὶ ἀφανεῖ, ὡς οὐ διὰ τοῦτο δὴ, ἐβουλεύσατο προπηλακιῶν αὐτὸν) consilia cepisse ut Harmodium, in secreto quodam loco, quo se ob hanc causam id agere minus putaretur, injuria afficeret. Omnis difficultas in voce τόπῳ jacet, quam cum Levesquio, τρόπῳ legendo, tollas, ut sit *secreto quodam modo*—at tamen quo modo Hipparchus rem, quam in mente habebat, assecutus sit, Thucydides ipse, interjecta tantum una pagina, fusius narrat: Sororem Harmodii, ad sacra publice facienda invitatam, ministri, qui illi rei præfuerunt, ab Hipparcho instigati utpote indignam rejecerunt. Hoc itaque modo Hipparchus, qui æque ac alii Pisistratidæ usque ad illum diem ab injuriis in cives exercendis cauta se abstinuerant, judicium populi, si eam rem cum repulsa sua conjunctam existimarent, evadere speravit.

Pag. 44. In ramum Atticæ regionis] Non dubium est *in Rhamnum* hic legi oportere: Eratosth. εἰς Ῥαμνοῦντα manifeste dicit.

(*Ibid.*) Crates Tragœdiarum Scriptor] i. e. Cratinus: vide not. ad pag. 29.

Pag. 45. Jactaret] Lege *jactarent*, error. typog.

Pag. 46. Dele punctum inter *Œgyptii* et *Œgipana imposuerunt.*

Pag. 47. Sositheus autem tragœdiarum scriptor illum affirmat esse Crotonem, *Euschemis* Musarum nutricis filium, et inhabitâsse Heliconem, atque sagittis et venatu vitam exegisse, qui inter Musas sæpius commoratus plausu cantus earum distinguebat, id est ad pedem manibus plaudebat, *quo alii timerent,*' et paulo infra, 'Nigidius de Crotone idem dicit, sed non conversatum cum Musis; sed dum illæ cantus chorosque celebrarent, hunc procul auditu repentino plausu ad pedem feriendo oblectare canentes'] "Eandem fere historiam sed compendiose scriptam narrat Hyginus. 'Dicunt nonnulli hunc esse Crotum nomine, Euphemes Musarum nutricis filium; at ait Sositheus, tragœdiarum scriptor, eum domicilium in monte Helicone habuisse, et cum Musis solitum delectari, nonnunquam etiam studio venationis exerceri.' Cum Hygino consentit Eratosthenes in *Euphemes*, quo teste, ἀλλὰ μᾶλλον Κρότον, τὸν Εὐφήμης τῶν Μουσῶν τροφοῦ υἱόν· οἰκεῖν δ' αὐτὸν καὶ διαιτᾶσθαι ἐν Ἑλικῶνι, ὃν καὶ αἱ Μοῦσαι τὴν τοξείαν εὑράμενον τὴν τροφὴν ἀπὸ τῶν ἀγρίων ἔχειν, καθάπερ φησὶ Σωσίθεος· συμμισγόντα δὲ ταῖς Μούσαις καὶ ἀκούοντα αὐτῶν ἐπὶ σημασίας ἐπαινεῖσθαι κρότον ποιοῦντα, τὸ γὰρ τῆς φωνῆς ἀσαφὲς ἦν ὑπὸ ἑνὸς κρότου σημαινόμενον· ὅθεν ὁρῶντες τοῦτον καὶ οἱ ἄλλοι ἔπραττον τὸ αὐτό. Ex his novissima primum tractabo. Vice οἱ ἄλλοι manifesto satis legi debet οἱ ἄνοι, i. e. ἄνθρωποι. De confusis inter se ἄλλοι et ἄνοι vid. Valcken. Annotat. Crit. in N. F. p. 365. Sluiter Lect. Andocid. p. 106, et Roulez. in Themist. p. 126, C. Tueri tamen ἄλλοι videtur Schol. in Germanica suis verbis, utcunque mendosis —'*quo alii timerent*'—ita ni fallor, corrigendis, 'quod alii intuentes imitarentur,' propter Eratosthenea ὁρῶντες—οἱ ἄλλοι ἔπραττον τὸ αὐτό. E contra ope Scholiastæ corrigi possunt Græca verba, καὶ ἀκούοντα αὐτῶν ἐπὶ σημασίας ἐπαινεῖσθαι, legendo, ἐν ποσὶ ἀσήμως κατὰ Πᾶνα ἰᾷναι τὰς θεάς—quibus concinunt parte aliqua Latina, 'plausu ad pedem feriendo *oblectare* canentes.' Alibi corrumpitur ἰᾷναι. Nempe in Eurip. Heracl. 434, vulgo legitur Οἴμοι, τί δῆτ' ἔτερψας, ὦ τάλαιν' ἐμὲ Ἐλπὶς τότ', οὐ μέλλουσα διατελεῖν χάριν. At minime Spes poterat dici misera, verum Iolaus ipse potius miserrimus. Lege igitur Τί δῆτ' ἔθρεψας, ὥστ'

ἴῳναί μου στόμα Ἐλπὶς—Aperte enim imitabatur Euripides Homerica in Il. X. 495. Χείλεα μέν τ' ἐδίῃν', ὑπερώην δ' οὐκ ἐδίῃνε—quæ et Damascius respexit apud Suid. in Ἐπ' ἐλάχιστον—se quoque ipsum imitabatur in Hec. 351, ἐθρέφθην ἐλπίδων καλῶν ὕπο. Phryg. Fragm. 3, δι' ἐλπίδος τρέφου. Bacch. 617, ἐλπίσιν δ' ἐβόσκετο. Phœn. 408. Αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας. Exquisita vox ἰαίνειν compareat in fragmento Alcmanis, Ἔρως γλυκὺς κατείβων καρδίαν ἰαίνει: necnon Anacreontis, ἰαίνει τάμ' Ἔρως ὑπογαργαλίζων σπλάγχνα: eademque restituitur Æschylo in Agam. 277, Ἀλλ' ἦ σ' ἐπίανέν τις ἄπτερος φάτις; ubi Toupius verissime emendavit, σέ γ' ἴῳνεν—licet ἐπίανεν tueri videatur Phrynich. Arab. p. 51, Λόγοις πιαίνειν· παραμυθεῖσθαι—sed et ibi legi debet, ἐπιαίνειν. Mirifice verbum idem in pejus deflectitur in Soph. Fragm. apud Schol. in Aristoph. Lys. 8, Ὡς ἂν Διὸς μέτωπον ἐνταυθοῖ χαρᾶ, ita enim Cod. Voss. at, Dindorfio teste, ἐκτανθῇ, unde ipse eruit ἐκταθῇ: verum Suidas in Τοξοποιεῖν exhibet ἰανθῇ, quod, quia ἰανθῇ primam corripit, ducit ad οἷς καὶ Διὸς μέτωπον ἰάνθη—juxta Homericum in Ιλ. Ο. 102, Οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσιν ἰάνθη. Sed ad Eratosthenea revertar. Voces ἀσήμως κατὰ Πᾶνα, vel simile quid manifesto postulant illa τὸ τῆς φωνῆς ἀσαφὲς ἦν τοῦ Πανὸς κρότου σημαινόμενον, ita enim lego, Hesychio facem præferente, Πανὸς σκότος οἷον νυκτέρινος φαντασίας: ubi latet Sosithei, opinor, fragmentum, Πανὸς κρότος, οἷ' ἐκ νυκτερίνης φαντασίας ἦν: eidemque tribuas alteram gl. Πανὸς κῶλον· ὄνομα σχήματος, ὅταν οἱ ἀπὸ σκώλου ᾖ πεπληγὼς ἄντρον τι λέγεται σχῆμα, ita corrigendam, ὅταν τις Πανὸς κώλῳ ᾖ πεπληγὼς ἄντρον, τοῦτο λέγεται τὸ σχῆμα: quæ gl. apprime facit ad intelligendum Aristoph. Ran. 38, HP. τίς τὴν θύραν ἐπάταξεν; ὡς Κενταυρικῶς Ἐνήλαθ' ὅστις; εἰπέ μοι, τουτὶ τί ἦν; ΔΙ. ὁ παῖς. At quid sibi velit istud Κενταυρικῶς, nemo dixerit, nisi cui nota fuerint verba Hesychii, ὅταν τις Πανὸς κώλῳ ᾖ πεπληγὼς ἄντρον: unde patet, ne quid dicam de ὅστις perperam claudente sententiam, Comicum scripsisse ὡς Κενταυρικῶς Ἐνήλαθ'· οὗτος, εἰπέ μοι, τουτὶ τί ἦν; ΔΙ. ὁ πούς. Nempe Herculi sciscitanti, quis fores pulsabat, Centauri more, respondit Bacchus, *pes* pulsabat. Hac demum emendatione recepta intelligi possunt Eratosthenea, ἐν ποσὶ κατὰ Πᾶνα: quibuscum conferri debent verba Pseud—Orphei in Argonaut. 442, Αὐτὰρ ὁρῶν (scilicet Orphea canentem) Κένταυρος ἐθάμβεε, χεῖρ' ἐπὶ χειρὶ Πυκνὸν ἐπισείων, οὖδας δ' ἤρασσεν ὁπλῇσι: cujus loci indicium Dycio meo Venerum omnium, quas degustat unice, delibatori debeo. Inde patet evidentissime Scholiastem scribere, 'id est ad Panis modum pedibus et manibus plaudebat.'"—G. B. (*Ibid.*) obsconditum] Corrige *absconditum.*

Pag. 48. Misit qui eum peteret] Has voces fortasse ex priore linea repetitas uncinis inclusi.

Pag. 50. Celinio] Lege Cyllenio.

Pag. 51. Ad Posteros] Schaubachius jure corrigit *pastores.*

Pag. 53. Catastroma] Lege *catastromate.*

Pag. 54. Nilus, qui et Gion existimatur] An Scholiastes noster Christianus fuerit, aliis judicium relinquo.

Pag. 56. Isidorus] Hæc citatio ætatem Scholiastæ post Isidorianam cadere, i. e. post annum Christi 600 plane demonstrat. (*Ibid.*) Dele distinctionem inter *quinque dies* et *et quadrantem.*

Pag. 58. Singula vero signa Sol trecenis diebus] *Sol* in hoc loco plane redundat.

Pag. 63. Desinnut] Err. typog. pro *desinunt.*

Hæc habui quæ de Germanici Scholiasta dicerem: operi jam absoluto libet adjungere versus novem, nuper ab Ottleio ex codice MSto, qui in Museo Britannico* asservatur, in lucem prolatos. Ii profecto scripti sunt olim a M. Tullio Cicerone quem Prognostica Aratæa Latinis versibus reddidisse unicuique diu satis notum. At tamen hujus operis, versus tantum 471 continua serie cohærentes ad nos pervenere: cæteri, numero circiter 25 hic illic apud Priscianum atque apud ipsum Ciceronem sparsi reperiuntur. Ottleii tandem diligentia novem alii, qui optime ad finem priorum versuum locum habent, comperti. Ne connexio cum antecedentibus minus clara videretur, quinque versus priores repetiimus:

Inde obiens Capricornus ab alto, lumine pellit
Aurigam, instantemque Capram, parvos simul Hædos,
Et magnam antiquo depellit nomine Navem.
Obruitur Procyon; emergunt alite lapsu
E terris volucres, existit clara Sigitta.
Sed, cum se medium cæli in regione locavit
Magnus Aquarius, et vestivit lumine terras,
Tum pedibus simul et supera cervice jubata
Cedit equus fugiens; at contra signipotens nox,
Cauda Centaurum retinens, ad se rapit ipsa,
Nec potis est caput atque humeros obducere latos.
At vero Serpentis Hydræ caligine cæca
Cervicem atque oculorum ardentia lumina vestit
Hanc autem totam properant depellere pisces.

* No. 647 inter Codices MSS. Harleianos. Vide Ottleii Libell. inter 'Archæologia,' vol. xxv.